



INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

AD USUM STUDIOSÆ JUVENTUTIS

AUCTORE

CAJETANO DE FULGURE

AVERSANÆ

CATHEDRALIS ECCLESIÆ CANONICO

OLIM

IN AVERSANO CLERICORUM SEMINARIO S. THEOLOGIÆ PRÆCEPTORE

Editio quarta auctior, et emendatior.

TOMUS I.

Complectens Tractatus
De veritate Religionis Christianae.
De Locis Theologicis.
De Deo uno.
Accedit SS. Pontificum, Conciliorum generalium, Patrum, et Haereticorum brevis historia.



NEAPOLI 1822.

EX TYPOGRAPHIA JANUARII REALE.

Superiorum Facultate.

Quodcumque in hac Ecclesiae agricultura fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur, et observetur, hoc idem floreat, et maturescat, hoc idem proficiat, et perficiatur. Fas est etenim, ut prisca illa caelestis Philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantnr; sed nefas est, ut commutentur, nefas, ut detruncentur, ut mutilantur.

Vincentius Lirinensis Commonit. 1 Cap. 30.

Πιϛιν ημεις ϐτε παρ αλλων γραφομενην ημιν νεωτεραν παραδεχομεθα ϐτε αυτοι τα της ημετερας διανοιας γεννηματα παραδιδοναι τολμωμεν, ινα μη ανθρωπινα λογιζωνται τα της ευσεβειας ρηματα αλλ᾽ απερ παρα των αγιων πατερων δεδιδαγματα, ταυτα τοις ερωτωσιν ημας διαγγελλομεν.

Basilius *Epist. ad Antioch. Eccles.*

PRÆFATIO

Quam doctrinam non in Academiae, aut Lycei spatiis natam, sed ab ipsa aeterni Patris mente haustam, unus totius humani generis magister Christus Dominus tradidit, eam quantum mediocri ingenio assequi, ac rudi eloquio explicare potero, tironibus enucleare proposui, ut sacris litteris eruditi, et suos ipsorum mores ad pietatem, et religionem componere, et aliorum, cum tempus feret, emendare vitia, excolere virtutes valeant; donec omnes ad summum rerum omnium principium, ac finem Deum, unde haec disciplina profecta est, Deo ipso operante, atque adjuvante, perveniamus. Qua in re utrum operae pretium sim facturus, ignorare me fateor: illud tamen certo affirmare possum, nihil esse a me laboris, ac diligentiae praetermissum, ut adolescentium commodo, atque utilitati hac in parte deservirem.

Atque eum quidem laborem non eo consilio suscepi, quo eos omnes, qui hucusque a viris doctissimis editi sunt de hoc eodem argumento, libros aut contemnerem, aut reprehenderem, quod utrumque, cum me ex illis profecisse sciam, aut superbi esset animi, aut certe ingrati. Verum illud semper, nec immerito, persuasum habui, idque etiam negaturum esse arbitror neminem, veterum labores non eam legem imposuisse posteris, ut ceterum inertes semper, atque otiosos esse nos oporteat, neque ita palmam omnibus praeripuisse, nullum ut reliquerint industriae locum: imo potius nostram excitasse, atque exacuisse diligentiam, ut ipsorum laudabile studium in sacris disciplinis excolendis, quas limari semper, atque expoliri fas est, si non aemulari, at saltem quantum pro ingenio possumus, imitari conaremur.

Jam vero illud in plerisque dissimulari non poterat incommodum, quod nonnulli nimia rerum copia prolixiores tironum opprimebant animos; alii contra majori, quam par erat, brevitate jejuni, atque obscuri, nec ab omnibus intelligi facile poterant, nec intellecti satis eruditos adolescentes educebant. Mitto peculiares auctorum opiniones, veterisque philosophiae, scholaeve praejudicia, quae uno in tractatu posita per omnes ferme Theologiae partes veluti principia vagabantur. Quaestiones vero post eorum aetatem exortas, sed hoc tempore scitu maxime necessrias omnino intactas reliquere veteres. Quibus, aliisque de causis; jam a multis novum aliquod Theologicarum Institutionum corpus nostrorum ingeniis accommodatum desiderari intellexeram; praesertim postquam nonnulla magno studio elaborata, vel ipse Scholarum non receperat, aut antiquaverat usus, vel Romani Pontificis judicium improbaverat.

Ceterum ut ea, quae commemoravi nulla essent, ipsa me compulit ad scribendum optimi olim Antistitis nostri FRANCISCI DE TUFO *auctoritas, qui id sibi esse vehementer in optatis affirmavit, ut hanc provinciam susciperem, in eaque adornanda curam, et industriam collocarem. Cumque opere jam affecto, et pene ad umbilicum perducto, in turbulentissima illa tempora inciderimus saeculo superiore exeunte, quibus temporibus inter ingruentium undique bellorum strepitus, perturbationesque populorum, de vita potius fuit, quam de litteris cogitandum, ipse Praesul amantissimus supremo jam fato proximus non aliud mihi commendavit, nisi ut ea quae scripsissem, in publicum (ut pro sua in me benevolentia existimabat) edere commodum non omitterem. Cujus votis etsi me satisfecisse tantum abest, ut affirmem, quin potius multos in hoc ispo opere naevos a viris doctis deprehensum iri, facile mihi persuadam; erit tamen haec meae qualiscumque temeritatis purgatio, atque hic aliis*

for-

fortasse stimulus, ut quod ego frustra conatus sum, ipsi meliore ingenio, diligentia majore perficiant.

Habes igitur instituti mei rationem. Nunc de Theologiae ipsius nobilitate, ac dignitate satis unicuique perspecta, non est, cur longiori praefatione disseram, cujus orationis difficilius esset exitum, quam principium invenire. Nam si eo nobiliorem, atque illustriorem existimari scientiam oportet, quo praestantior res ei quasi materia subjecta est, quaenam est, quae cum Theologia ullo pacto comparari possit, quae circa id versatur, quo nihil non solum esse, sed ne cogitari quidem majus potest? Si magistri nobilitas, si scientiae ipsius utilitas; si jucunditas, si explorata veritas, si denique necessitas in ullius unquam disciplinae commendatione, ac laude commemorari possunt; quid ista praestantius, quae ab ipsa Dei Sapientia hominibus tradita, neque ad inanem gloriam aucupandam, aut ad interitura vitae hujus commoda comparanda, sed ad beatam vitam capessendam instituta, ad ipsum aeternae veritatis fontem erigit animum, atque attollit, illumque veritatis ipsius siti perpetuo anhelantem, quantum in hac vita optari fas est, reficit interim, ac recreat; donec eum pleno divinitatis lumine circumfusum, Deique consortem uberrimo caelestis voluptatis torrente satiet penitus, et inebriet, ac beatitudine repleat sempiterna?

Unum est, quod hic praetermitti non oportet, ut scilicet Graeculis quibusdam ora obstruamus, qui ut sunt homines ad despicienda ea, quae nesciunt, procliviores, ita dictitant: prostratas hodie, atque extinctas esse haereses; nihil ut jam opus sit Theologorum disputationibus, qui cum Arianos, Macedonianos, Manichaeos tanto molimine oppugnant, veluti cum umbris confictantur, frustraque tempus terunt, quod utilius in moralibus disciplinis, quae solae usui esse possunt, excolendis collocarent. Qua quidem in oratione stultitiae plenissima nihil aliud, nisi suam ipsi inscii-

scitiam, atque imprudentiam produnt. Primum quippe extinctas hodie esse haereses, utinam verum esset! Nam ut omittam Nestorianorum, Eutychianorum, aliorumque adhuc in Oriente spirantem factionem, nonne hodie Sabellianorum, Arianorum, aliorumq. veterum haereticorum somnia, atque portenta Sociniani ambabus ulnis amplexi, incredibili subtilitate, ac pari pertinacia defendunt? Nonne fratres olim nostri, nunc autem inimici Lutherani, et Calvinistae longe, lateque per universam Europam pervagati, magno cum matris Ecclesiae luctu ab ejus sinu recedentes, antiquas plerasque haereses renovarunt? Ipsi omnium vetustissimi, atque impurissimi Simoniani, Marcionistae, Manichaei in Libris Petri Baelii *revixerunt; quos libros avidissime legentes increduli, non unum aut alterum religionis caput, ut alii olim haeretici, sed totum Christianae doctrinae corpus irrident, et oppugnant. Quas quidem omnes saepe numero redargui oportet, vel ad ipsorum mentes, si fieri potest, sanandas, vel ad aliorum avertendam perniciem. Sed fac, bellum esse hac tempestate nullum adversus Christianae religionis dogmata: quis ignorat in pace parari arma, eruditi milites consuevisse, ne improviso ingruente bello suis ipsi cladibus rem militarem ediscant? Accedit, quod adolescentes, qui populi doctores futuri sunt, summa diligentia aliorum perspecta habere oportet errata, quae variis temporibus catholicam doctrinam temerarunt, ne forte et ipsi errore lapsi pro veritate errantium haereticorum somnia obtrudant; quae si admoniti retractare nolint, jam vetera illa monstra, quae extincta isti dicunt, reviviscent. Quod vere de moralibus disciplinis, posthabita Theologia, excolendis addunt, adeo putidum est, et ineptum, ut refutatione non indigeat. Qui enim illas sine Theologiae principiis velit addiscere, ne minimum quidem ab eo abludit, qui aedificium sine ullo prorsus fundamento extruere moliretur. Neque vero per tot absurda opinio-*

nionum portenta postremis hisce temporibus, tanta facta esset disciplinae moralis ruina, si illi, qui Casuistae *vocitantur, ejus scientiae molem solidis Theologiae fundamentis constituere staduissent. Sed jam vereor, ne aut nimium molestus sim lectoribas, aut eorum ingenio injuriam inferre videar, si eos de rebus tam perspicuis longius disserendo fatigem.*

His igitur omissis, quid in hoc opere praestiterim, paucis in antecessum monere lectores necesse est. Primum inter varias, quae iu Theologorum Scholis agitari solent, controversias eas selegi, quae adolescentibus scitu maxime necessaria videbantur, in eisque quid ad fidei dogmata pertineret adnotavi, ne aut tirones in haereseos nota contrariis opinionibus inurenda, quod valde periculosum est, essent procliviores, aut pari contentione pro fidei dogmate, ac pro Theologicis conclusionibus decertarent. Scholasticam vero disputandi rationem, non horridam illam quidem, atque hispidam, sed paulo liberaliorem sectatus sum, utpote quam infigendis profundius adolescentium animo Theologicis disciplinis aptiorem esse multorum annorum experientia sum edoctus. In proponendis vero adversariorum objectis saepe fui parcior, tum quia tirones magis de argumentis, quibus nostra probantur, oportet esse sollicitos, quae si rite teneant, facile omnia quae in contrarium opponi poterunt, argumenta dissolvent, tum ut assuescerent etiam ipsi per se, ac marte suo novas excogitare, aut invenire rationes, quas in publicis, privatisque disputationibus exercitationis gratia proponerent, quod quidem ad exacuendum eorum ingenium, ac diligentiam excitandam plurimum valet. Deinde ea, quae a se mutuo sejuncta esse videbantur, per scholia, *et* corollaria *ad unum idemque principium revocare studui. Nihil vero habui antiquius, quam ut res omnes quanta maxima fieri potuit brevitate, ac perspicuitate explicarem. Sed ne iis, qui promtiori essent ingenio, deessem in unoquoque fer-*

me

me capite libros indicavi alios, in quibus rem eandem plenius, ac fusius pertractatam invenire possint. Quod non ideo feci, ut tironibus auctor essem plures libros cum elementis addiscendis dant operam evolvendi: distrahit enim potius hoc eorum animos, redditque instabiles; sed ut emenso harum institutionum cursu, cum maturo jam judicio pollebunt, si quando occasio se obtulerit, scirent fontes, unde uberiorem rerum copiam haurire possint; neque ut omnes nullo discrimine libros perlegant, sed ut si quos Ecclesia improbavit, eos tunc tantum, cum per Ecclesiam ipsam liceat, caute consulant. Denique ne in recitandis Patrum testimoniis essem longior, quod adolescentium memoriam frustra praegravare, atque opprimere potuisset, contentus paucis, reliquos in ima paginae ora indicavi, ut essent duo, vel tres ejus dogmatis, quod proponitur, testes, et adstipulatores, nec deessent alii; qui veluti subcenturiati pro re nata produci possent.

Erit fortasse aliquis, qui optasset, ut in tanta litterarum luce a vocibus nonnullis minime latinis usurpandis abstinuissem, atque elegantiori usus essem sermone, ac stilo. Verum is si instituti mei rationem perspexerit, facile mihi iudulgendum hac in parte existimabit. Nam praeterquamquod habet unaquaeque scientia peculiares sibi voces, quas si Latinorum vocabulis commutare voles, longo tibi verborum circuitu utendum esse animadvertes, sunt nonnullae a Patribus, atque ab Scholasticis Theologis usurpatae voces, quibus nihil significantius, et expressius apud Latinos invenimus. Quapropter si Romani ipsi Scriptores hanc sibi veniam dandam esse existimarunt, ut nova etiam aliquando vocabula fingerent, quando aliter ea, quae a Graecis in Philosophia fuerant tractata, latinis litteris explicare non poterant, ut a Cicerone, Lucretio, aliisque factum esse scimus, quanto magis existimabimus, licuisse semper, ac licere Theologo res divinas, Latinis

pror-

prorsus ignotas, novis, ac propriis vocibus exponere? Accedit quod, si quis omnia vitare velit Scholae vocabula, is in volutandis veterum Theologorum libris, velut hospes, ac peregrinus inter homines alienae, atque ignotae linguae nihil prorsus intelliget. Quibus de causis ita mihi rem componendam, ac temperandam putavi, ut neque nimis sollicite dicendi ornamenta persequerer, nec tamen adeo putide, ac barbare scriberem, ut singulis fere verbis honor praefandus esset, quorum alterum minus perspicuam orationem effecisset, alterum maximo fuisset fastidio lectoribus. Ad elegantiam vero stili quod attinet, habenda mihi ratio fuit non eorum dumtaxat adolescentium, qui Latinis, Graecisque litteris satis exculti in Ciceronis, Livii, *aliorumque veterum lectione versati sunt; sed et eorum praecipue, quibuscum praeclare agitur, si rude aliquod, et incomtum, nullaque verborum translatione exornatum dicendi genus intelligant. Caeterum juxta* Augustini *monitum non timui ferulas Grammaticorum, dum tamen ad veritatem solidam, et certiorem pervenirem; magisque spectavi, quid adolescentium exposceret utilitas, quam quid humaniorum litterarum studiosis placeret, eorumque delectare oculos, aut aures mulcere posset.*

In omnibus autem quaestionibus, in illud maxime omnes ingenii nervos intendere, atque omnem adhibere sollicitudinem, ac diligentiam curavi, ut ne latum quidem unguem a Catholicae Ecclesiae doctrina, atque a Sedis Apostolicae sententia recederem, cujus judicio haec omnia, si quid fortasse humanae imbecillitatis vitio sit erratum, tamquam filius obediens eo quo par est obsequio, reverentia, ac veneratione subjicio.

MO-

MONITIUM.

QUamquam in Institutionibus hisce concinnandis summam, ut in *Praefatione* professus sum, diligentiam adhibuerim, ut ne quid ab Ecclesiae Catholicae doctrina discreparet; tamen cum ipse Paulus Apostolus, magnis a Christo *revelationibus* illustratus, Jerosolymam venerit, ut Evangelium, quod praedicabat, cum Apostolis aliis conferret, *ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset*, *Galat. II.* 2. tali utique exemplo tremefactus, meoque judicio diffisus, maximos rogavi Theologos, quorum doctrinae, ac pietatis fama longe, lateque vagata est, ut hoc, qualecumque esset, lucubrationum mearum, attentis oculis, atque animis perlegerent, ac si quid in iis fortasse offenderent, quod veritati ullo pacto vel leviter nocere posset, aut pietati, id severiori censura notarent, et Christiana libertate patefacerent. Quorum judicia, ac testimonia hic invitus inserere coactus sum, non ut libros meos tantorum virorum facerem commendatione celebriores, sed quia nulla mihi nunc patebat via, ac ratio qua lectores certiores facerem, nihil hic contineri religioni, bonisque moribus adversum, nihil quod Theologica censura castigandum esse videretur.

Responsum Illustriss. ac Reverendiss. Domini Aloysii Elefante, Metropolitanae Neapolitanae Ecclesiae Canonici, Examinatoris Synodalis, Clerique Studiis Deputati.

CUm me rogaveris, ut de tuis institutionibus theologicis Ecclesiasticae juventuti in primis excolendae accomodatis, tibi quid sentiam, sine ulla assentatione aperirem: id non mediocriter, ut vere dicam, animum meum commovit. Tanti enim me ipse non facio, ut hac super re, me aliquod judicium quantulumcumque id sit, proferre posse existimem, et mearum virium tenuitatem, et sentio,

et

et fateor libentissime. At ne qua in re tibi deessem, operamq. homini amicissimo denegarem, summa, quoad ejus fieri poterat, diligentia opus tuum perlegi, animumq. induxi tuae obsequi voluntati. Dicam igitur quod sentio. Opere tuo nihil gravius, nihil splendidius, nihil eastigatius legi unquam posse censeo. Omnia enim ex divinis eloquiis, traditionibus sacris, ac SS. Patrum libris deprompta, sunt uberrime disputata, et quod magna in laude ponendum, abstrusa quaeque ita inoffenso pede exsoluta, ut nemo unus ea delibaverit, quin velit statim avidissime exhaurire, quasi sit diuturnam sitim expleturus. Plerumque sunt, qui ita vagantur, nullis ut coerceantur cancellis, et vicissim, sunt, qui jejuna exilitate ita tabescunt, ut quae in rem dicenda essent, non sine magno Juvenum dispendio, saepe practermittant. Tu ea, qua longe omnium excellis, ingenii felicitate ab utroque vitio abhorres; eam enim docendi rationem es persecutus, quae nec jejuna statim a mente delaberetur, nec latius diffusa, legentibus stomachum facesseret. Ratio vero scribendi ornata, polita, elegans mirum in modum animos pervadit, tantaque suavitate permulcet, ut veluti prono alveo effluere videatur. Quod admirari satis, vix possum. Haereticornm denique deliramenta, qui ex composito quaquaversus arcem Sion invadunt, ut iteratis ictibus, si id fieri posset, labefactata corruat, tam acriter frangis, ut nihil magis desiderari queat. Quapropter cave credas, hoece opus tuum inscriptum *Institutiones Theologicae ad usum studiosae juventutis* etc. tantum adolescentibus, quorum commodis studes, et usui futurum, et adjumento: mea quidem sententia vel in tanta saeculi luce se se viris et ingenii ubertate, et doctrinae copia praestantibus, nullo negotio commendabit; habebunt enim opus theologicum numeris omnibus absolutum, in quo illis deinceps licebit conquiescere. Quare te etiam atque etiam rogo, ut illud quamprimum typis in lucem publicam edas. Est igitur quod tibi gratuler hoc potissimum, quod nihil habes antiquius quam ut curas, stu-

studia, labores ad Christianae Religionis praesidium tam sedulc impendas quam qui maxime. Utinam Ecclesia haberet multos tui similes! Sed de hoc fortasse plura quam constitueram.

Interea te rogo, valetudini inservias, tibique persuadeas, te a me ita observari, et coli insigniter, ut paucos admodum invenias tui, quam ego sum, studiosiores. Vale.

Neapoli . . . . an. 1806.

Aloysius Canonicus Elefante.

Responsum Illustriss., ac Reverendiss. Domini Cajetani Gaglione, Metropolitanae Neapolitanae Ecclesiae Canonici Poenitentiarii, et Examinatoris Synodalis.

Quod me constitutum volueris, Vir clarissime, tuarum dogmaticae Theologiae Institutionum quasi censorem, et judicem, undenam oriri potuerit, quamquam exploratum non habeo, tamen benignitati tuae, ac modestiae adscribere, ac referre non dubito. Nam obscuri nominis hominem ad hujusmodi materias examinandas destinare, tot doctissimis viris praetermissis, quid aliud esse existimandum est, quam certo naufragii periculo rem totam exponere? Nisi dicere velimus, Te in hoc negotio ad vanam hariolandi artem confugisse, qua nihil levius, et infirmius ab homine sanae mentis haberi potest. Sed dicam melius. Quod Benignitas, et modestia tua, ut me prae ceteris electum velles in opere discutiendo fuerit causa, certissime sentio, et firmissime teneo, utpote auditor neque recens, neque rarus non magis famae nominis tui, et tuae doctrinae, quam morum, et virtutis. Ut vero voluntati tuae obsequar; quid de tuis Theologicis Institutionibus opiner, imo judicem, brevissime dico: Opus illud omnibus esse omnino numeris absolutum. Et quidem Te verbis oris tui ego judico. Tu enim sapientissime statuisti, Tractatorem rerum Theologicarum in tribus dotibus excellere oportere, in sanitate scilicet

licet doctrinae, in ordine, in proprietate, et castitate sermonis. Quae tria cum Te exactissime servasse vidissem, non possum quin Te promissis stantem, non solum fide liberatum, verum etiam opus ex *omni parte beatum* confecisse pronunciem. Doctrina enim libri tui eadem est ac Ecclesiae Catholicae doctrina; ordo perspicuus, stilus proprius, et castus. Quid reliqui ergo est, si opinionem meam ratam habere velis, nisi ut publici juris facias lucubrationem tuam, quam non modo Tibi privatus homo familiariter approbo, sed quantocius fieri potest edendam in lucem, publice sententiam meam flagitantibus declarando, dicere non formido; et quotquot in sacra scientia vel delectari, vel proficere intacta, et tuta conscientia cupiunt, ut legant, versent sedula et perpetua manu, hortor, et exoro. Denique, Te, Vir sapientissime, ut sincerissimum hunc animi mei sensum benignissime accipias, demississime precor.

Neapoli . . . . an. 1806.

Cajetanus Canonicus Gaglione.

Reponsum Illustriss. ac Reverendiss. Domini Joachim Lavitrano, Metropolitanae Neapolitanae Ecclesiae Canonici Theologi, et Examinatoris Synodalis.

Libentissime accepi Institutiones theologicas Te auctore conscriptas, et pro tua in me benevolentia mihi transmissas. Quod enim in re theologica potissimum exoptandum est, ut Catholicae Ecclesiae doctrina fideliter exponatur, et ab Adversariorum objectionibus liberetur, id in tuis Institutionibus reperiri gratulatus sum. Accedit, quod methodo etiam, atque ordine digestae sint, ita ut veritatem suo in lumine collocatam, et veluti per gradus quosdam procedentem habeant in iisdem perlegendis Adolescentes Ecclesiae mancipati. Postremo certam dicendi mensuram, qua nec superfluis locus sit, nec necessaria desiderentur, servatam agnovi; quod scientiam

tiam sacram faciliorem reddit, atquo amoeniorem. Si quid igitur meum hac de re amice prolatum valet judicium, id opto, ut quam citissime in publicum bonum typis vulgentur. Vale.

Neapoli . . . . an. 1806.

. . . .

Joachim Canonicus Lavitrano.

Responsum Admod. Reverendi Patris Domini Philippi Carfora, Congregationis Piorum Operariorum Presbyteri, et Metropalitanae Neapolitanae Ecclesiae Examinatoris Synodalis.

Legi tuas litteras, quas proxime ad me cum Theologicis Institutionibus tuis miseras; ex quibus intellexi, Te de illis quid sentirem, scire velle. Valde miror, cur in animum tuum hoc induxeris, quasi aliquid tibi hoc in genere sapere viderer. Eas tamen diligenter, ut par erat cum perlegissem, facere non potui, quin admirationem tibi meam, laetitiamque, qua affectus sum, patefacerem. Nihil enim Tironum aetati, eorum captui, temporique studiis praefinito accomodatius per te fieri poterat. Neque tamen majori fraudari subsidio illos voluisti, qui acrioribus in Theologiam stimulis incitati, uberiorem illius cognitionem optarent. Hac face praelucente quam facile Ss. Pp. Scriptorumque Ecclesiasticorum opera versabunt, ex quibus quasi fontibus foecundis ampliorem Divinae hujus scientiae haurient plenitudinem. Quanto heic in lumine mirari licet sanam Orthodoxamque Doctrinam! Quam firmis argumentis munitam! Quam facili via ducuntur ad argumenta adversariorum, fallaciasque refellendas! Quapropter gratulor summopere adolescentibus, qui in Ecclesiae spem sucerescunt; quibus plana, facilis, ac munita satis per te parata est ad Theologiam via. Quid vero de scribendi genere loquor? nec obscuro, aut inculto, nec exquisito, ac nimis concinno sermone usum te suspexi: illud enim adolescentes offendisset, hoc autem minime dignum caelesti illa

se praebuisset doctrina. Ita mediam ingressus viam et illorum captui, et sacrae scientiae Majestati consultum iri providisti. Cum vero Scholasticam methodum persequaris, nihil tamen asperum, aut fastidiosum offendere ibi quis poterit omni illius aevi barbarie penitus ablegata. In Polemicis autem, ac Dogmaticis quaestionibus, mirum est, quanto ingenio, quantaque sollertia et Novatorum tenebras expellis, simul et Divini Verbi ejusque Interpretum Sacram venerandamque Auctoritatem a calumniantium calumniis vindicas. Verae Critices praeceptis inhaerens, atque Evangelicae Caritatis flammis incensus errores detegis, quin injuria quemvis afficias. At quis ego, aut quid ego? Manum de tabula. Quare ignoscas rogo, qui me coëgeris. Cui enim omni officio satisfacere semper optavi, hac in re morem tibi gerere, mei immemor, indignum duxi. Quod unum tamen a te peto illud est, ut quamprimum haec in lucem, aspectumque proferas, quae adolescentibus plurimo erunt emolumento, usui, delectationi, ornamento, ut caelesti illa divinaque scientia per te locupletati, ad animarum salutem proferant de thesauris suis nova, et vetera.

Neapoli ex aedibus S. Georgii . . . . an. 1806.

. . . .

Philippus Carfora Piorum Operariorum.

DISSERTATIO PRODROMA

De Theologia ipsâ, ejusque proprietatibus

DE Theologiae natura multa Scholastici disputarunt, quae nos breviter, et sobrie attingemus, ad solidiora properantes. Theologia itaque Graecum nomen, Latine *sermo, sive ratio de divinitate* dicitur ab *Augustino Lib. VIII. de Civ. Dei cap.* 1. Sermonem autem de divinitate instituere possumus vel sola ratione naturali, vel ex ipsius Dei revelatione. Hinc duplex est Theologia, naturalis, et Christiana, sive *supernaturalis*. Prior illa ad Philosophos pertinet, unde idem *Augustinus* Theologiam vocat eam Philosophiae partem, qua *Plato* disserit de Deo, quem Gentiles ex creaturarum testimonio *cognoverunt*, sed *non sicut Deum glorificaverunt*, ut inquit Apostolus *Rom. I.*, 21. De posteriori tantum Theologia hic agimus, quae longe sublimior, et certior est. Cavendum tamen, et enixe orandum, ne postquam Deum cognoverimus, non sicut Deum glorificemus, aut gratias agamus.

C A P. I.

Theologiae definitio, atque divisio.

§. I.

Theologiae definitio.

Nostra igitur Theologia definiri potest: *Scientia, et Sapientia, quae ex principiis divinitus revelatis de Deo, rebusque divinis certas conclusiones elicit* (a).

 Que

(a) Patres Graeci pressius loquentes eam solum sacrae doctrinae partem θεολογιαν appellant, quae tractat de natura divina, ejusque proprietatibus; unde disserentes de Christo eam partem, qua de ejus divinitate tractatur θεολογιαν, ubi vero de humanitate, οικονομιαν dicunt. *V. Petav. in Proleg.* Nos ampliori significatione hoc nomen usurpamus.

Qua una definitione probe explicata, multae solvuntur, quae in Scholis agitari solent, controversiae.

Est itaque Theologia 1. *scientia*. Nam scientia est cognitio certa, evidenti ratiocinatione, ex certis principiis deducta. At Theologia talis est. Ex principiis enim certissimis, quia a Deo revelatis, evidenti ratiocinatione suas deducit theses.

Nec quemquam moveat *Aristoteles*, a quo scientia definitur: *cognitio certa, et evidens per demonstrationem acquisita*, cum e contrario nostra Theologia utut certa, non tamen evidens sit, quippe quae principiis fidei certis quidem, sed tamen obscuris, innitatur. Etenim ad rationem scientiae sufficit explorata veritas, sive *certitudo* principii, et evidentia consequentiae. Cum autem in naturalibus scientiis, de quibus loquebatur *Aristoteles*, non possit esse certitudo principii, nisi innitatur evidentia, quae veritatis naturalis *criterium* est; merito ille scientiam definivit cognitionem certam, *et evidentem*. Sed eam certitudinem, quam principia naturalium scientiarum habent ex evidentia, principia Theologiae habent, et quidem longe majorem, ex auctoritate, et veritate Dei.

2.° Theologia est etiam *sapientia*. Cognitio enim rerum per altissimas caussas *sapientia* est. At Theologia est cognitio divinarum rerum, per altissimam caussam, Dei scilicet revelationem. Merito igitur sibi vindicat etiam sapientiae nomen.

3.° Verba illa *quae ex principiis divinitus revelatis*, indigitant tum differentiam Theologiae a quacumque alia naturali scientia, tum etiam fontes, unde Theologus haurire certa argumenta debeat. Quod enim sunt axiomata Geometris, id sunt Theologis propositiones a Deo revelatae.

4.° *De Deo rebusque divinis* Theologia disserit. Deus ergo est ejus *objectum* quod vocant *materiale primarium*, *et attributionis*: Reliqua vero, quae ad Deum quoquo modo referuntur, quatenus divinae revelationi subsunt, objectum *secundarium*. Unde Deus ipse, et omnia, quae ad Deum referri possunt, objectum sunt Theologiae *adaequatum*.

5.° Ex principiis revelatis *certas conclusiones* Theologia

logia deducit, qua in re Theologiae habitus a fide differt; fidelis enim rebus a Deo revelatis sine ratiocinatione simpliciter adhaeret propter summam ejus veritatem, ut suo loco fusius explicabimus: at Theologus conclusionibus suis assentitur propter earum nexum cum propositionibus revelatis: unde *objectum formale*, ut ajunt, seu *motivum* fidei *quod*, sive *immediate* est Dei veritas; *motivum* vero Theologiae *immediate* est nexus cum propositionibus revelatis, qui naturali lumine conspicitur, *mediate* vero est Dei veritas.

Ex hac porro Theologiae definitione varia consequuntur. Ac I. quidem cum Theologia sit scientia simul, et sapientia, sapientis autem sit de rebus omnibus judicare, utpote qui res omnes in altioribus principiis consideret; consequens est, ut Theologia de rebus omnibus, imo et de principiis aliarum scientiarum judicet; ita ut, si quae in iis sint, quae rebus a Deo revelatis repugnent, ea tamquam falsa rejiciat.

II. Cum sacra haec doctrina ex principiis a Deo revelatis pendeat, sequitur, ut humana ratio, non ut domina, sed tantum ut ancilla in ea versari debeat. *Quid enim magis contra rationem est*, inquit Bernardus *Tract. De error. Petri Abael. quam ratione rationem conari trascendere*, et ea, quae supra naturam, supra rationem a Deo revelata sunt, ad humanae rationis regulam exigere? Accedit, quod humana ratio, omnino caeca in rebus supernaturalibus, facta est etiam in naturalibus infirmior ex peccato, ex quo tamen exarsit simul cupiditas, quae judicium rationis, etiam in rebus facilioribus, saepenumero pervertit; et impotens libido omnia curiosius investigandi, vagandique ultra eos fines, quos humanae scientiae fixit Deus. Unde fit, ut ipse *scientiarum Dominus*, qui superbis constantissime resistit, confundat aliquando humanae mentis intemperantem curiositatem, et audaciam, eamque, ultra suos fines vagantem, in gravissimos errores labi permittat. Quae in re terrere nos debent magnorum sive veterum, sive recentiorum exempla Scriptorum, qui, dum intemperantius

divinorum mysteriorum majestatem scrutari voluerunt, ab eorum gloria oppressi sunt.

III. Etiam sequitur, humanam rationem non esse a Theologia penitus ablegandam, imo maximo usui esse posse, si intra praestitutos sibi cancellos coërceatur. Primo enim humana ratio ad id valet, ut contra incredulos demonstremus, principia Theologiae non esse humanae rationis figmenta, sed divinitus revelata. Deinde, ut haereticorum, et incredulorum sophismata detegamus, et exsufflemus. Denique, ut ex principiis revelatis recta ratiocinatione Theologicas conclusiones deducamus. Christum ipsum naturalibus quibusdam argumentis esse usum, ex Evangelio constat, ut cum exemplo volatilium, ac liliorum nos ad fiduciam in Deum cohortatur, *Matth. VI.* 26. Apostolus etiam exemplo seminis, veritatem futurae resurrectionis insinuat. *I. Cor. XV.* Patres vero quam frequenter, atque utiliter ratione usi sint, nemo, qui vel leviter eorum opera attigerit, ignorat.

IV. Inde etiam sequitur, neminem eximium fore Theologum, qui dogmata divinitus revelata non calleat; ea enim principia Theologiae sunt; ac proinde parum in hac sacra facultate proficiet, qui non fuerit in Scripturarum, Patrum, et Conciliorum lectione versatus, iis enim libris, ut suo loco dicemus, divina revelatio continetur.

V. Quidquid ergo contrarium est vel Scripturae, vel Patrum auctoritati, id a Theologo rejiciendum est, non secus ac in Geometria rejicitur ut absurdum quidquid contra axiomata ipsa pugnat. Hinc illa *Tertulliani* regula *Lib. De Praescript. cap.* 31. *Verum quod prius traditum; falsum, quod posterius immissum.* Quod et Lyrinensis in *Commonitorio* egregie confirmat. Qua quidem una regula omnia facile errata detegi, caverique possunt. *Dignum est*, inquit Fulgentius, *Lib. De verit. praedest. Cap.* 14., *ut in singulis quibusque sententiis, in quibus nubilo cujusdam obscuritatis ambigimus, Sanctorum Patrum definitionibus haereamus.*

VI. Rursus sequitur, ut non solum ea, quae Scripturis, et Patribus aperte contraria sunt, sed etiam quae omnino nova, atque ignota Patribus, ut falsitatis sa-

suspecta, rejici debeant. Christus enim ipse doctrinam suam ex eo commendat, quod non esset sua, sed a Patre accepta *Joh. VII.* 16. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Apostoli non aliud se docere professi sunt, quam quod a Christo acceperant I. *Joh. I. Quod vidimus, et audivimus, annunciamus vobis.* Patres omnes non alia ratione suas confirmarunt sententias, quam quod illas a majoribus acceperunt: *Responsionum formas*, ut inquit Leo M. *Epist. XXXVII. vel ex Sanctarum Scripturarum disciplina, vel ex Patrum regulis colligentes.* Quisquis igitur unquam in rebus Theologicis errore lapsus est, ex hujus regulae transgressione peccavit. *In hanc insipientiam cadunt,* inquit idem Leo M. *Epist. X. ad Flav., qui ad cognoscendam veritatem, cum aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, non ad Apostolicas litteras, non ad Evangelicas auctoritates, sed ad se recurrunt, et ideo magistri erroris existunt, qui veritatis discipuli non fuere.* Quibus novitates suas effutientibus dicendum cum Propheta *Ezech. XIII.* 2. *Dices prophetantibus de corde suo: haec dicit Dominus Deus: Vae prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum.*

VII. Consequens est etiam, ut quaestiones illae, quae ex revelatis principiis definiri non possunt, cujusmodi sunt plurimae a plurimis Scholasticis agitatae controversiae, censeri non debeant Theologicae, sed humanae Philosophiae foetus, imo a Theologia exterminandae; iis tantummodo exceptis, quae ad revincendos haereticos, et incredulos homines necessariae sunt. Non enim ad charitatis aedificium, sed ad contentionem, et emulationem valent, et frustra occupantes tempus, quod utilius Scripturarum, et Patrum lectioni daretur, ad liquidam veritatem pervenire non possunt, ut ex ipso Scholarum aeterno dissidio patet.

VIII. Hinc etiam prono alveo fluit, easdem animi dispositiones in Theologo requiri, quae ad contemplandam veritatem a Deo revelatam requiruntur, cum tota ex revelatis principiis Theologia pendeat. Sunt autem 1.° cordis munditiES, *in malevolam enim animam non introibit sapientia Sap. I.* 4. Hinc Apostolus

Ephes,

Ephes. III. 17. rerum divinarum scientiam in cordis munditie, veluti fundamento, inaedificatam esse docet: *In charitate*, inquit *radicati, et fundati ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis. quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum; scire etiam, supereminentem scientiae charitatem Christi.* Et *Rom. XV.*, 14. *Et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia.* 2.° Recta intentio, scilicet, ut non inflemur a scientia, sed ut scientia praelucente, aedificemur a charitate, atque alios aedificemus. 3°. Humilitas, et summa erga Dei verbum reverentia. *Ad quem respiciam*, inquit ipse Deus apud *Isaiam Cap. LXVI. 2. nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos?* 4°. Amor veritatis; sic enim Spiritus S. nos admonet: *Eccle: VI.* 19. *Quasi is, qui arat, et seminat, accede ad eam*, hoc est magno labore; et flagranti desiderio. Unde *Augustinus*, qui tanto veritatis amore incensus erat, ut diceret. *O aeterna veritas . . . . tu es Deus meus, ubi suspiro die, ac nocte, Lib. VII. Confess. Cap.* 10. sic praecipit *Lib.* 1. *De morib. Eccl. cap.* 17. *n.* 31. *Si veritas non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest; at si ita quaeratur, ut dignum est, subtrahere sese, atq. abscondere a suis dilectoribus non potest.* Et *Tract. XCVI.* in *Joh. n.* 4. *Non diligitur quod penitus ignoratur, sed cum diligitur quod ex quantulacumque parte cognoscitur, ipsa efficitur dilectione, ut melius, et plenius cognoscatur.* Hinc generalis sententia ejus est: *Non intratur ad veritatem, nisi per charitatem, Lib. XXX. cont. Faust. cap.* 18. Qui quidem veritatis amor in omnibus aliis scientiis necessarius est, maxime vero in Theologia, cujus *objectum* est, qui est summa veritas, Deus.

IX Cum principia Theologiae sint divinitus revelata, inferebant passim veteres, Theologiam *quoad se* esse certiorem qualibet naturali scientia, quia certiori, ac firmiori principio, scilicet auctoritate Dei revelantis innititur, quamvis *quoad nos*, hoc est, ex infirmitate nostra accidat, ut mens firmius adhaereat aliquando demonstrationi Geometricae *ex. gr.*, quam Theologicae, quia scilicet principia, lumine naturali nota, movent mentem modo magis naturae consen-

sentaneo, ita ut intellectum satient, et quietum reddant. At recentiores nonnulli, inter quos *Holdenius Lib.* 1. *Cap.* 3. *De Resolut. Fidei* concedunt, Theologiae certitudinem esse altioris ordinis, sed negant esse majorem certitudine scientiarum naturalium, et primorum axiomatum, quia, inquiunt, quando certitudo summa est, non potest altera fingi major, ac proinde docent, aequalem esse Theologiae, aliarumque scientiarum certitudinem. Nos veterum sententiam sequimur, ut fusius explicabimus, ubi agemus de certitudine fidei.

X. Ex eo quod Theologici assensus ratio, sive *motivum* est nexus propositionis Theologicae cum veritate revelata, ex qua Theologus conclusionem deducit; hic autem nexus lumine naturali conspicitur; sequitur, Theologiam esse scientiam intrinsecus naturalem, extrinsecus vero *supernaturalem*.

§. II.

Theologiae partitio.

Dividitur Theologia 1. in *Dogmaticam*, et *moralem*. Prior in probandis, illustrandis, et vindicandis fidei dogmatis occupatur: posterior in moribus, juxta Dei legem, et fidei regulam dirigendis.

Quapropter, cum Theologia generatim nonnisi principiis divinitus revelatis innitatur, patet, non solum dogmaticam, verum etiam moralem Theologiam ex Scripturarum, et Patrum fontibus hauriendam esse; ideoque illam propositionem, nuper a quibusdam Casuistis vulgatam, *Theologia moralis nova est*, non solum esse falsam, sed etiam contradictionem involvere; si enim nova est, Theologia non est.

Dividitur 2. in *Positivam*, et *Scholasticam*. Prima ex iis, quae posita, et definita sunt in Scripturis, et Traditione, disserit stilo fusiori, atque oratorio, cujusmodi est SS. Patrum Theologia. Altera vero addit etiam dialecticam, stilum pressiorem, et certam methodum, cujusmodi est illa, quae ducibus *Petro Lombardo*, (qui *sententiarum Magister* dicitur) *Joanne Da-*

Damasceno, aliisque, jam obtinet in Scholis.

Celebris etiam 3.° est divisio Theologiae in *speculativam*, et *practicam*. Eam tamen divisionem *S. Thomas I. P. Q. I. art.* 4. merito rejicit; quia sicut ea, quae Deus revelavit, *omnia ad charitatem nutriendam, atque roborandam, et cupiditatem vincendam, atque extinguendam valent*, ut ait *Augustinus Lib III. de Doct. Christ. cap.* 10. ita quidquid Theologia disputat, etsi in sola veritatis contemplatione sistere videatur; tamen ad inflammandam charitatem, moresque nostros dirigendos aptari potest; cujus rei specimen eximium dedit *Vincentius Contensonius* in sua *Mentis*, *et cordis Theologia*. Idem ergo habitus Theologicus *eminenter* est *speculativus*, et *practicus*.

CAPUT II.

Ostenditur, Theologiam positivam non singulis fidelibus, sed Ecclesiae necessariam esse; Scholasticam non necessariam sed maxime utilem.

Adverte. NEcessitas multiplex est, ut suo loco explicabimus. Quod tamen attinet ad rem praesentem, illud dicitur absolute, et simpliciter necessarium ad finem, sine quo ex ordinaria Dei lege finis attingi nullo pacto potest. Quapropter, cum varias Theologiae species supra descripserimus *Cap.* 1. §. 2. quaenam ex illis, et cui necessaria sit, explicabimus subjectis thesibus.

PROPOSITIO I.

Nulla Theologiae species est singulis fidelibus absolute necessaria ad salutem.

Prob. Fides enim, quae per charitatem operatur, sufficit singulis ad salutem. *Habacuc* II. 4. *Justus in fide sua vivet*; quod repetit Apostolus *Rom. I.* 17. *Marci XVI.* 16. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*, et 1. *Cor. XII.* 29. *Numquid omnes doctores?* Patrum loca praetermittimus, ne tempore abutamur in re clarissima. Quod

Quod ergo Petrus *Epist. I. Cap. III.* 15. singulis fidelibus praecipit, his verbis *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe*, non eum habet sensum, ut quilibet fidelis more Theologorum fidem exquisite defendat, sed tantum, ut simpliciter exponere sciat, eamque, si oporteat, generalibus quibusdam rationibus, captui imperitorum accomodatis, defendere, *ex. gr.* quia Ecclesia tot miraculis fundata falli non potest in fidei articulis proponendis; quia nihil apud Deum est impossibile, quamvis humanam rationem superet; etc. Vide *Estii Commentaria* in hunc Petri locum.

PROPOSITIO II.

Theologia positiva est simpliciter et absolute necessaria toti Ecclesiae.

Prob. I. Apostolus *Ephes. IV.* 11. de Christo ait: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, et doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi...... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Et ad *Tit. I.* 9. *Oportet, Episcopum sine crimine esse .... amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, et seductores .... quos oportet redargui, qui universas domos subvertunt, docentes quae non oportet, turpis lucri gratia.* Sunt ergo ex ipsa Christi institutione necessarii in Ecclesia Doctores, qui sacram hanc scientiam doceant, atque defendant.

Prob. Augustinus Theologiae quatuor munera esse docet, *Lib. XIV. de Trin. cap.* 1. *Est scientia*, inquit, *qua fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Atqui quatuor ista sunt Ecclesiae absolute necessaria. Licet enim praedixerit Deus apud Isaiam *Cap. LIV.* 13. sei-

psum fore fidelium doctorem: *Ponam universos filios tuos doctos a Domino*; et apud Jeremiam *Cap. XXXI. 33. Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam*, tamen non exclusit ministerium Pastorum, et doctorum, quos ipse Deus se daturum promisit apud Jeremiam *Cap. III. 15. Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia, et doctrina*: Sed id tantum sibi voluit, nempe pastoribus extrinsecus loquentibus, ipsum Deum per gratiam Spiritus Sancti docturum, et moturum intrinsecus corda hominum; sicut etiam Apostolus ait *I. Cor. III. 6. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit*; *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. Sed de his uberius, ubi de Gratia disputabimus. Necessaria est igitur Ecclesiae sacra Theologiae doctrina.

PROPOSITIO III.

Theologia Scholastica non est Ecclesiae simpliciter necessaria.

Prob. Ecclesiae enim fides, et doctrina per plura saecula stetit sine ope scholasticae Theologiae, scilicet apud Graecos usque ad VIII. saeculum, quo floruit *S. Joannes Damscenus*, et apud Latinos usque ad Saeculum XII. quo *Petrus Lombardus*, aliique Scholasticam methodum adhibere in Scholis coeperunt. Ergo illa methodus absolute necessaria non est.

PROPOSITIO IV.

Scholastica Theologia Ecclesiae adprime est utilis.

Haec propositio maximi momenti est; in eam enim haeretici vesano impetu debacchantur non amore, sed odio veritatis; quippe Scholasticam Theologiam experti sunt sibi maxime infestam, suisque cavillationibus, et sophismatis exufflandis aptissimam. Eis autem arma suppeditaverant *Rhenanus* in suis ad *Tertullia-*

lianum Commentariis, et *Erasmus* in I. *ad Timot.* I. aliisque in locis.

Prob. autem I. Judicio, atque usu ipsius Ecclesiae, quae non solum Theologicas Scholas privilegiis, et honoribus auxit, principesque Scholasticorum in sanctorum album relatos semper ob doctrinam commendavit, verum etiam in Concilio Constantiensi *Sess. XVIII.* inter *Wicleffi* errores damnavit eum, quo asseruerat, *Universitates, Studia, et Collegia vana garrulitate introducta esse.*

II. Theologia Scholastica tria tantum addit positivae, stilum, methodum, et dialecticae usum. Atqui tria haec, recte adhibita, utilissima sunt, 1°. enim stilo simpliciori, et pressiori, quo utitur Scholastica, status quaestionis rectius intelligitur, ambiguitates explicantur, et haereticorum fallaciae deprehenduntur 2°. Methodus, qua Scholae utuntur, utilitatem simul, et jucunditatem habet, imo et laboris compendium, dum res singulae ad propria capita revocantur. 3°. Sobriam dialecticam ipsi laudarunt, et usurparunt SS. Patres. Basilius *ad Cap. I. Isaiae: Vis dialectices*, inquit, *dogmatum est murus, quae ea a quibuslibet, qui vellent, facile interverti, aut facile expugnari non sinit. Tom. I. Edit. Garnerii Paris.* 1721. Et Augustinus *Lib. II. de doctr. Christ. Cap.* 31. *Disputationis disciplina ad omnia genera quaestionum, quae in sacris litteris sunt, penetranda, et dissolvenda plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido rixandi, et puerilis quaedam ostentatio decipiendi adversarium.* Et *Lib. I. contra Cresconium Cap.* 13. 14. et 15. probat, dialecticam esse laudabilem, eaque usum esse Apostolum Paulum, imo ipsum Christum Dominum. Cumque haereticus ille dialecticam in scriptis Augustini reprehenderet, et tamen ipse eadem uteretur, respondet S. Doctor *Cap.* 13. *si noxia sunt, quare hoc facis? si non sunt, cur arguis?* Quod in adversarios nostros aptissime quadrat, qui in Scholasticis dialecticam arguunt, et tamen ipsi innumeris dialecticae tricis, et cavillationibus pugnant. Vide de hoc argumento Petavium *in Prolegomenis.* Canum *Lib. VIII. De loc. Theol.* Hieronymum Angestum *Lib. de Academiis cont. Luther.*

Sol-

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Apostolus *ad Coloss.* II. 8. *Videte*, inquit, *ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam.* Ergo dialectica a Theologia prorsus ablegauda est, atque adeo rejicienda Scholastica.

℟. *Dist. ant.* Per philosophiam captiosam, qua haeretici abutebantur ad destruendam fidem *conc.* Per philosophiam rectam, et fidei pedissequam, quam solam admittimus, et laudamus in Scholastica, *neg.*

Objic. II. Plerique Patres adversus philosophiae, et praesertim dialecticae usum declamant, tamquam Religioni inimicum. *Tertullianus* enim *Lib. De anima Cap.* 3. vocat Philosophos *Patriarchas haereticorum*, et *Cap.* 18. argumenta philosophica ait esse *tormenta cruciandae simplicitatis, et suspendendae veritatis*, Et lib. De Praescript. *Cap.* 7. *Miserum*, inquit, *Aristotelem, qui illis* (haereticis) *dialecticam instituit artificem struendi, et destruendi versipellem.* Gregorius Nazianzenus *Orat. XXVI.* artificium Aristotelicae artis, et alia hujus generis *quasi Ægyptiacas quasdam plagas in Ecclesiam incubuisse* conqueritur. Similia docent Augustinus *Serm. LXXXVII. de Tempore*, Ambrosius *in Psalm. CXVIII.* De Scholastica vero Theologia Catholici ipsi, et quidem viri doctissimi, multa conquesti sunt, ut Mabillonius *De Stud. monast. Part.* 2. *Cap.* 6. Harlayus *Lib. De myst. Eucharist.* etc. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Declamant adversus philosophiae usum sive abusum impium illum quidem, atque perversum, qualis erat in Gentilibus, et haereticis, qui Religionem Christianam, et Catholicam Philosophorum, et praesertim *Platonis*, et *Aristotelis* auctoritate, et captiosis, sophismatis impugnabant, *conc.* Adversus usum rectum philosophiae, quam ipsi Patres contra inimicos Religionis adhibebant, *neg.* Idem esto responsum ad catholicorum illorum auctoritatem, qui de Scholastica queruntur. Philosophia ergo, modo non ut domina, sed ut famula in Scholis Theologicis versetur, utilis, et laudabilis est. Vide *Cap.* 1. §. 1.

Inst. Scholasticis hoc vitium est, ut primas dent dia-

dialecticae, et *Aristoteli*; rarissima sint apud eos testimonia Scripturarum, et SS. Patrum; de ipsis fidei articulis excitent controversiam, eosque ex philosophiae regulis explicare conentur, quod Religionem incredulorum ludibrio posset exponere; innumeras cieant quaestiones partim frivolas, et ridiculas, partim gravissimas quidem, sed inutiles, et quae humano ingenio solvi non possunt: denique lingua utantur barbara, et vocabulis insuetis. Quanto praestabilior est igitur positiva Theologia, *quae*, ut inquit Petavius Tom. *I. Cap.* 1. *ad eruditae vetustatis expressa speciem, hoc est a Dialecticorum dumetis liberioris ad campi revocata spatia, solam ad ornatum, cultumque sui, nativam, et domesticam copiam ostentat?* Ergo.

R. *Dist. ant.* Et hoc vitium est omnibus, *neg.* Nonnullis, *subdist.*: et hoc vitium est ipsius doctrinae, *neg.*; ipsorum docentium, et saeculi durioris, in quo scribebant, *conc.* Itaque dum Scholasticam doctrinam commendamus, vitia doctorum non defendimus, sed cavenda praecipimus. Dialecticorum dumeta vitamus, et nativam, ac domesticam Theologiae copiam, quantum necesse est, non ad eloquentiae ostentationem, sed ad adolescentium utilitatem, non respuimus. *Quem vero intelligimus Scholasticum Theologum*, inquit Melch. Canus. *Lib. VIII. Cap.* 1. *aut hoc verbum in quo homine ponemus? Opinor in eo, qui de Deo, rebusque divinis apte, prudenter, docte e litteris, institutisque sacris ratiocinetur.* De vocabulis vero Theologiae peculiaribus non est cur adversarii litem intendant; nam, preterquam quod unaquaeque disciplina habet peculiares voces, ut observat ipse Tullius *Lib.* 1. *Academ.* Theologia cum disputet de rebus, quae priscis Latinis ignotae erant, novas etiam debuit usurpare voces. Riduculus vero esset, qui haec latinis vocabulis explicare conaretur, ut observat ipse *Heineccius* Lutheranus in *Fundamentis stili cultioris Part.* 1. *Cap.* 2. §. 12. *Mundanis Scriptoribus tota cura de verbis est; nostris, de rebus*, inquit Augustinus *Lib. cont. Adimant. Cap.* 2. qui et alibi ait: *Non timeamus ferulas Grammaticorum, dum tamen ad veritatem solidam, et certiorem perveniamus. Tract.*

II.

II. *in Joh.* Et *Lib. IV. De doct. Christ. Capit.* 11. *Quid prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest, aut quid obest lignea, si hoc potest? Quando nihil quaerimus, nisi patere quod clausum est?* Unde *Melchior Canus* elegantissimus utique Scriptor *Lib. XII. Cap.* 3. *Puto*, inquit, *nobis concedi oportere, ut Scholae verbis utamur, si quando minus occurrent latina. Quin latina etiam interdum relinquenda sunt, ne in Scholastica disputatione non tam explicasse res, sed verba affectasse videamur.* (a)

Objic. III. Si adeo utilis esset Scholastica methodus, profecto recentiores Theologi essent doctiores veteribus, qui ante inventam istam methodum floruerunt. Atqui hoc manifeste falsum est; quis enim est Scholasticus, qui cum *Athanasio*, *Nazianzeno*, *Augustino* sit ullo pacto comparandus? Ergo.

℟. *Neg. maj.* Non enim ad hoc dicimus valere Scholasticam methodum, ut recentiores efficiat veteribus Ecclesiae Patribus doctiores; quod quidem egregie absurdum esset, cum ex illis ad nos sacrae hujus disciplinae traditio manaverit; sed ut ea, quae Patres docuerunt, et tradantur clarius, et ediscantur facilius.

CAPUT III.

Partitio totius operis.

QUoniam ergo scientia Theologica ex principiis divinitus revelatis disserit de Deo rebusque divinis, haec erit totius operis nostri partitio, et series. Libro primo demonstrabimus, revera a Deo revelata fuisse principia theologiae, hoc est, veram esse Religionem Christianam, quae ea divinitus revelata docet. Quamquam enim unaquaeque scientia non probet principia sua, sed habeat ut certa; tamen, quoniam in tempora incidimus periculosa, quibus homines impii

pii

(a) *Vide Petavium in Prologomen.* Cap. 7. ubi multa erudite disserit de elocutione Theologica.

pii non minus Religionis inimici, quam rectae rationis impotes insipientiam suam jactare non cessant; non oportet Theologum nostrum eorum telis, et cavillationibus imparatum, atque inermem objicere. Altero deinde Libro de Locis Theologicis disputabimus. Tertius erit de Deo. Quartus de Trinitate. Quintus de rerum creatione, et peccato originali. Sextus de Incarnatione. Septimus de Gratia. Octavus de Sacramentis. Nonus de Actibus humanis, eorumque regula, et de Virtutibus, praesertim Theologicis. Quae vero ad morales virtutes pertinent, quoniam usus invaluit, ut non eodem tempore tradantur tironibus, quo Theologiae dogmaticae dant operam, ea duobus seorsim libris explicare, si Deus dederit, est animus; quos libros si quis huic operi adjiciendos putaverit, ut unum veluti corpus Theologiae dogmaticae, ac moralis efficiant; nihil erit per nos impedimenti.

MONITUM

Si cui fortasse brevius ad Theologicas Institutiones sive explicandas, sive addiscendas concessum fuerit temporis spatium, poterit is Institutiones has nostras efficere breviores, suoque tempori satis aptas, si in unaquaque propositione, explicatis scripturarum locis, unum dumtaxat ex Patribus testimonium accipiat, reliqua vero omnia, ipsasque objectiones si opus fuerit, praetermittat. Ita fiet, ut nullo posthabito dogmate totum Theologiae cursum tempore quam brevissimo possit absolvere.

LL.

LIBER PRIMUS
SEU
TRACTATUS
De veritate Religionis Christianae (a).

PRÆFATIO.

Ne in ambiguo laboremus, nomine Religionis non hic eam virtutem intelligimus, qua colitur Deus, sed ipsum doctrinae corpus, sive complexionem dogmatum omnium, ac praeceptorum, quae ad veram Dei cognitionem, ac legitimum cultum pertinent, ideoque partes habet duas *theoreticam*, et *practicam*, quarum una ad alteram ducit. Ea igitur doctrina, quae ab Ecclesia Christiana, tamquam divinitus revelata proponitur, contra ejus adversarios adserenda, et vindicanda est.

CAPUT I.

Recensentur hujus Religionis hostes.

I. Religonem Christianam oppugnant 1. Athei, Polytheistae, Pantheistae, seu Spinozistae, et Epicurei.

2. *Deistae*, qui naturalem quandam sibi fingentes religionem, negant necessariam esse religionem revela-

(a) *Monitum.* Poterit totus iste liber, si Praeceptori videbitur, in insequentem aliquem annum reservari, quo, emenso aliorum tractatuum cursu, vacui aliquid supererit temporis.

latam Deistae autem dividuntur in partes duas; alii enim Religionem illam naturalem iu praecipiendis actibus solum internis constituunt; alii admittunt etiam externum aliquem Dei cultum naturali ratione definitum.

3°. *Indifferentistae*, qui quamlibet religionem utcumque monstrosam, bonam esse, et homini ad salutem sufficere effutiunt.

4°. Judaei, qui solam Judaicam religionem a Deo revelatam esse concedunt, negant vero Christianam.

5°. Denique Mahumetani, et cujuscumque alterius religionis homines, qui divinas jactant revelationes Christianae religioni contrarias.

II. Porro adversus Atheos, Polytheistas, Pantheistas, et Epicureos in Metaphysicis Institutionibus disputatum est. Restant ergo hic refutandi Deistae, Indifferentistae, aliique, et adversus eos Religionis Christianae veritas stabilienda est. Igitur demonstrabimus 1°., necessariam homini esse religionem non solum internam, et occultam, verum etiam externam 2°. naturalem religionem non sufficere: 3°. possibilem esse, imo et necessariam revelationem; 4°. Religionem Christianam revera a Deo esse revelatam. 5.° denique *indifferentismum* in religionis negotio esse absurdissimum, atque idcirco, si Religio Christiana a Deo revelata, atque fundata est, quamcumque aliam religionem non solum falsam esse, verum etiam noxiam.

CAPUT. II.

Ostenditur, necessariam esse homini religionem et cultum Dei tum internum, tum externum.

PROPOSITIO I.

Necessaria est homini religio, et cultus Dei, cumque ipse Deus ab homine exigit.

Prob. 1. *pars* I. Necessarium enim est, et ab ipsa lege naturali praeceptum, ut creatura conditorem suum, a quo ex nihilo educta

cta est, agnoscat, revereatur, adoret, diligat, eique gratias agat, et obediat. Sed haec est religionis totius summa. Ergo etc.

II. Homo natura duce necessario beatitudinem appetit. Est autem beatitudo summa felicitas, quam neque amittere, neque in melius commutare possis; timor enim amittendi bonum, quod habes, aut desiderium boni melioris, quod non habes, in beatitudine esse non potest. Atqui beatitudo isthaec, seu summa felicitas in nullius boni creati possessione sita esse potest; quidquid enim creatum est, et amitti, et in melius mutari potest. Appetit igitur homo, natura doce, summum bonum; quod non est, nisi Deus. Atqui homo in Deo requiescere non potest, nisi eum agnoscat, diligat, revereatur, adoret etc. qui actus ad religionom pertinent. Ergo necessaria est homini religio erga Deum.

Prob. 2. *pars.* Deus justissimus, ac rectissimus non potest non exigere id, quod postulat necessarius ordo inter creaturam, et creatorem. Ergo etc.

Hanc propositionem mirifice confirmat omnium populorum consensus, qui *Lex naturae putandus est*, ut observat cicero *Lib. I. Tuscul. Cap.* 13. Nulla enim extitit, nec modo extat gens adeo efferata, quae non aliquam habeat religionem. De priscis gentibus id testantur Cicero *Lib. de Leg. Cap.* 8., Plutarchus *contra Colotem*, aliique, quos vide apud Huetium *Lib. II. Quaest. Alnet.* Vossium *de Idololatria*, et Cudworthum *Tom: I. System. Intellect.* Gentes vero recens detectas, quarum aliquas (ut *Cafros*, *Hottentottos*, *Canarienses* (Baelius et Lokius falso atheismi accusaverant, suam etiam habere religionem, eruditissime demonstrarunt Vincentius Patuzzi *Lib. De futuro impiorum statu*, *Cap.* 9. et Vincentius Monilia *Lib. contra Fatalistas*, *in Praefat.*

Dices. Deus nullius rei indiget. Ergo. non exigit ab homine cultum.

℞. *Nego cons.* Non enim ideo Deus ab homine cultum exigit, quia illo indiget, sed quia id postulat rectus ordo, et bonum ipsius creaturae. Nam sicut mundum condidit, non quia creaturis indigebat, sed quia

quia bonus erat; et bonitatis suae divitias in creaturas voluit effundere; ita etiam exigit ab homine cultum, quia id postulat rectus ordo, quem Deus justissimus non potest non diligere, et quia aliter creatura rationalis ad beatitudinem pervenire non potest.

PROPOSITIO II.

Necessarius est homini cultus Dei non solum internus, sed etiam externus.

Prob. 1. *pars.* Primo enim cultus internus in actibus amoris, reverentiae, obedientiae, gratique animi situs est. Atqui Deo hujusmodi officia ab homine debentur. Deinde debet homo Deum colere ex animo; nempe ex ea parte, quae in homine nobilior est. Praeterea externus actus hominis signum est actus interni. Si ergo religio solis exterioribus actibus exerceretur, non posset placere Deo, qui cum sit Spiritus, et veritas, in spiritu et veritate colendus est.

Prob. 2. *pars.* I. Ex cultu interno, dummodo sincerus sit, non potest non prodire externus; ita enim a natura comparati sumus, ut quem vere diligimus et reveremur, in eum dilectionis, et reverentiae nostrae signa expromamus.

II. Ideo cultus internus Deo debetur, quia ipse animum nostrum ex nihilo creavit. At haec ratio cultum etiam externum adstruit; non solum enim animus, verum etiam corpus a Deo creatum est, ac proinde utrumque Deo famulari pro modo suo debet.

III. Exigit recta ratio, ut cultum internum, quantum possumus, augeamus, et confirmemus cum infinita sit Dei majestas, potentia, sapientia, bonitas. Atqui noster animus ita est corpori, sensibusque illigatus, ut actus externi internos excitent, foveant, reddantque vividiores, alioquin ipsi actus interni languescunt, et cessant, iique tantum actus in animo esse pergunt, qui ab externis actibus, atque a sensibus, excitantur.

IV. Amor erga Deum, et proximum exigit, ut sicut ipsi Deum diligimus, et reveremur, ita etiam, quantum in nobis est, efficiamus, ut ceteri quoque homines, quibuscum vivimus, eum diligant, et revereantur. Hoc autem fit per externos religionis actus. Ergo debetur Deo cultus exterior (*a*).

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Ex iis, quae supra dicta sunt *in* 1. *parte* Deus in spiritu, et veritate colendus est. Rejiciendus est ergo cultus externus.

℟. *Neg. cons.* Imo contrarium potius inferri debet; tum quia si cultus internus, et spiritalis est *in veritate*, h. e. verus, et sincerus, non potest in exteriores actus non prodire; tum quia ipsi externi actus internos excitant, redduntque vividiores; tum denique ex aliis, quas supra posuimus, rationibus. Ex eo igitur, quod Deus in spiritu, et veritate colendus est, evincitur tantummodo, externos actus, si cum internis conjuncti non sint, Deo placere non posse.

Objic. II. Deus intimos cordis nostri recessus intuetur, nec ei opus est, ut interiores mentis nostrae sensus exterius explicemus. Ergo.

℟. *Neg. cons. et suppositum.* Non enim ideo cultus externus exigitur, ut Deo mentis nostrae sensus aperiamus, sed alias ob rationes, quas supra explicavimus.

Corollarium.

Ergo vel solo rationis lumine cognosci potest, quantum a vero aberraverint nuperi quidam Theologi, qui docuerunt, solos externos actus sufficere ad obeunda religionis officia, ut recitare preces, adesse sacrificio, sine ulla mentis attentione, ac interiori religionis affectu.

CA-

(a) Vide haec fusius apud *Ignatium a Cruce in vindiciis Religionis revelatae Diatrib. II. Cap.* 2. § 10. *Nonnotte Dictionaire Philosophique, et c. Tom. I.* verbo *Culte de Religion ec.*

CAPUT III.

Ostenditur, Religionem naturalem humano generi non sufficere, sive rationem naturalem generi humano non satis esse ad veram religionem cognoscendam, atque exercendam, qua possit ad beatam vitam pervenire.

Adv. I. DEistae, sive *Naturalistae* religionem quamdam sibi fingunt naturalem; asserunt nimirum, rationem hominis naturalem posse integrum quoddam *Systema* invenire; quod humano generi sine ulla Dei revelatione, et supernaturali adjutorio sufficiat ad beatum vitam capessendam.

II. Nos autem *religionem* non agnoscimus *naturalem* a revelata distinctam; sed cum Deus revelaverit non solum ea, quae humanam rationem superant, verum etiam nonnulla, quae ratione naturali cognoscuntur, hinc dogmata ista compendii gratia appellamus *religionem naturalem*.

PROPOSITIO I.

Ad ea dogmata religionis cognoscenda, quae naturalem mentis humanae vim non excedunt, sola humana ratio, ut nunc est, non erat moraliter *humano generi sufficiens.*

Prob. I. Religio ad beatam vitam sufficiens singulis hominibus necessaria est, et quidem a teneris annis, ex quo ratione uti incipiunt. Atqui non omnes homines eo sunt ingenio, ut valeant proprio marte dogmata illa cognoscere, sed pauci hujusmodi sunt.

II. Etiam ii, qui ingenio sunt acriori, non possunt statim a teneris errores, quos veluti cum lacte hauserunt, agnoscere, et dogmata religionis a sensibus remota invenire; praesertim in tanta primae illius aetatis infirmitate, et veluti dementia, qua rebus sensibilibus, et ineptis occupata, in seria studia non incumbit. Requiritur ergo praeter ingenium matura aetas, len-

longum studium, et meditatio, atque animus ab omnibus vitiis alienus, imo ab omni vitiorum cupiditate liber; aliter enim, prout est affectus, ita judicabit. Quis autem Philosophorum ad eum justitiae apicem pervenit?

III. Denique etiam ii, qui ingenio sunt sublimiori, maturaque aetate, licet ad ultimum usque spiritum in studia rerum divinarum incumbant, non tamen veritatem de rebus altissimis ita detegent, ut falsa aliqua veris non admisceant. Falsa autem Deo placere non possunt, multoque minus ad beatam vitam perducere. Ergo ec. Hinc S. Thomas *I. P. Q. I. art.* 1. haec tria paucis complexus, *Veritas*, inquit, *de Deo per rationem investigata paucis, et post longum tempus, et cum admixtione multorum errorum perveniret, a cujus tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus, quae in Deo est.* Vide etiam *lib. I. cont. Gent. cap.* 4.

IV. Id confirmat experientia tot saeculorum, quae Evangelii praedicationem praecesserunt. Excepta enim Abrahami familia, in qua divina revelatio servabatur, universum genus humanum, etiam in politioribus Civitatibus, densissimis, ac turpissimis idololatriae tenebris obvolutum creaturas, etiam scelestissimas, pro creatore adorabat, et quidem ceremoniis flagitiosissimis, et infandis. Ipsimet philosophi in religionis negotio caecutiebant. Nam ut omittamus Epicureos apertos religionis hostes, illi ipsi, qui inter ceteros excellebant, Platonici, Peripatetici, Stoici, licet pauca quaedam vera de Deo, de mente humana, legeque naturali scripserint, quae etiam ab Hebraeis accepisse constans est veterum Patrum doctrina, ut erudite ostendit *Natalis Alexander*; tamen ea tot absurdis foedarunt, ut nullus eorum potuerit integrum, et verum religionis συστημα, sive corpus informare. Ut cetera eorum errata praetermittam, quae commemorare non sinit harum institutionum brevitas, sed legi possunt apud *Clementem* Alexandrinum *Lib. V. Strom.*, *et Ciceronem* in Libris *De natura Deorum*; hoc eorum erat commune praeceptum, unumquemque sequi debere religionem populi, licet falsam, scelestamque. Huc redibat philosophicae religionis summa; quo quid absur-

surdius, et scelestius? et tamen ipse Tullius *Lib. II. de Leg. cap.* 10. et Epictetus *cap.* 38. hoc praecipiunt. De lege etiam naturali agentes in quot errorum portenta impegerint, erudite demonstravit P. Baltus (*a*). Praeterea etiam in iis, quae vera scripserunt, inter se non consentiebant, sed perpetuo digladiabantur, et licet unanimi consensu ea docuissent; homines tamen erant, fallique poterant, ac proinde, ut observat ipse *Lokius* non ignobilis apud incredulos, auctor (*b*), generi humano persuadere non poterant quae docebant, sicut revera numquam persuaserunt. Porro quantum humana ratio, qualis nunc est, valeat, non potest melius aestimari, quam ex tot saeculorum experientia.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Veteres Patres, ut *Justinus*, *Clemens Alexandrinus*, *Eusebius Caesariensis* ex testimonio Philosophorum revincunt infideles, Christianam religionem oppugnantes. Praeterea Grotius *de Verit. Relig. Christ.* Huetius *in Quaest. Alnet.* Pfannerus in *System. Theologiae Gentilis purior*: , innumeras colligunt veterum philosophorum sententias, ex quibus pateat, eos omnia religionis, legisque naturalis dogmata cognovisse. Ergo.

℟. *Neg. cons.* 1°. Enim Patres illi docent, Gentiles Philosophos, quidquid veri de religione scripserint, ab Hebraeis accepisse; revera credibile non est, eos, qui tot regiones peragrabant, ut rerum notitiam adipiscerentur, ignorasse religionem Hebraeorum, quam Graecis, et Romanis non fuisse ignotam patet ex *Tacito*, *Diodoro Siculo*, aliisque. *Vide Nat. Alexandr. Hist. IV. Mundi aetatis cap.* 7. *art.* 1. 2°. numquam docent Patres, nec docere poterant, singulos Philosophos omnes simul religionis naturalis veri-

(a) Baltus *Parallele de la philosophie Chrétienne avec celle des Payens.*
(b) *Christianisme raisonable tom.* 1. *cap.* 14.

ritates unanimi consensu tradidisse ; sed tantum sparsas esse in variis eorum libris veritatis scintillas , ita ut unus unam , alius aliam cognoverit : 3.° has ipsas veritatis scintillas innumeris erroribus eos obscurasse , et veluti extinxisse ; 4.° inter se non consensisse , ac proinde populo persuadere non potuisse quod docebant.

Objic. II. Recentiores Deistae , imo ipsi religionis Christianae acerrimi defensores ex ratione demonstrant veritatem omnium dogmatum religionis naturalis. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Ex ratione illustrata per revelationem , quam ipsi cum lacte hauserunt , *conc.* Ex ratione sola , *neg.* Postquam enim humana ratio divinae revelationis lumine illustrata est ; facile demonstrat , dogmata naturalis religionis esse rationi naturali consentanea , ut observat etiam *Lokius* (*a*) et ipse *Russojus* in *Emilio Tom. III*, sed id efficere non potuit humana ratio per tot saecula , quae Evangelii praedicationem praecesserunt , neque modo efficere potest iis in regionibus , in quibus Evangelium non est praedicatum. Imo quod animadversione dignum est , ipsi Deiste , etiam in tanta luce Evangelii caecutiunt, multaque docent rationi naturali contraria , in quibus utique recensendis nisi obstaret instituti brevitas , possemus esse diserti ; ita ut si inter idololatras nati essent , non modo religionem illam coluissent , et defendissent , verum et multo turpius , quam Gentiles Philosophi errassent. (*b*)

Objic. III. Ratio naturalis ideo homini a Deo indita est , ut religionis , legisque naturalis dogmata cogno-

(a) *Christianisme raisonable Cap.* 14. Vide *D.* Le lande *Nouvelle Demonstration evangelique Part. I. Cap.* 21. Bruker *Dissert. Praelim. ad Hist. Philos.*

(b) V. *Lettres Critiques de M. Gauchat*, ubi recentiorum Incredulorum errores recenset. Vid. etiam. *D. Nonnotte*, qui errores *Volterii* late confutat, et Valsecchium *Lib. II. Fondam. della Relig.*

gnosceret. Absurdum igitur est, homini ad isthaec cognoscenda rationem naturalem non sufficere.

R. *Neg. cons.* Hoc enim est unum ex iis arcanis, ad quae explicanda naturalem rationem non sufficere, sed necessariam esse Dei revelationem, inferius dicemus. Certum est, rationem ad hoc homini fuisse a Deo inditam, ut naturalem saltem cognosceret veritatem. Et tamen exploratum est ex tot saeculorum experientia, rationem naturalem, qualis nunc est, ad id non posse pervenire. Unde hoc? Certe hoc arcanum ratione naturali explicari non potest, confugiendumque ad divinam revelationem, quae nos edocet, rationem naturalem non esse talem, qualem Deus homini indiderat; sed originali peccato obscuratam, et corruptam.

PROPOSITIO II.

Sunt nonnulla scitu maxime necessaria ad veram religionem cognoscendam, beatamque vitam obtinendam, quae homo ratione naturali intelligere non potest.

Probatur earum rerum enumeratione. I. Si quis hominem attente consideret, admirabilem in eo partium discordiam deprehendet. Nam; ut praetermittam dolores infirmitates, ipsamque mortem, quas miserias non potest intelligi solo naturae lumine, cur Deus sapientissimus tam nobili; atque excelsae creaturae suae intulerit; quis non videt, quantus sit in intellectu erga veritatem impetus, et tamen quantae in rebus etiam naturalibus tenebrae, ita ut hominis intellectus perpetuum erroris ludibrium sit? Quis non experitur, quantus in voluntate summi boni, et justitiae amor, et quanta simul abjectio, et cupido rerum pessimarum, ita ut semper nitatur in vetitum, et licet meliora videat, probetque, deteriora tamen sequatur: uno verbo quis non experitur, carnem contra spiritum, rectamque rationem perpetuo concupiscere-

scere, praeliari, et vincere (*a*)? Atqui ratio naturalis ista explicare non potest, ut patet ex veteribus philosophis, qui ad haec enodanda vel se impares les se fassi sunt, unde ait Plinius *Lib. VII. Hist. nat. Non satis aestimari, parensne homini natura, an tristior noverca fuerit*, vel tot monstrosas finxerunt opiniones, inter quas illae absurdissimae, et simul maximo plautu exceptae, vel duo scilicet esse rerum principia, unum bonum, et alterum malum, et utrumque in hominis creatione suam contulisse symbolam, vel perpetuam esse animarum humanarum μετεμψυχωσιν, sive transmigrationem. Et tamen necessarium est hominibus tot malorum causam, et remedium cognoscere. Ergo.

II. Ratio naturalis praecipit, cultum externum Deo deberi. Atqui ratio naturalis eum cultum, qui summo numini sit gratus, definire non potest, ut patet ex tot saeculorum experientia. Gentiles enim sola ratione ducti flagitiosis, obscenis, ridiculis ceremoniis numina coluerunt, quas ceremonias, licet sacrilegas, ipsimet Philosophi servandas docebant. Hinc Pilato in *Epinomide*, et in *Secundo Alcibiade* hanc definitionem ab ipso Deo expectandam clare pronuntiat, omnesque ii, qui falsos religionis instituerunt ritus, eos a Diis se didicisse finxerunt, adeo omnium animis opinio insederat, externum religionis cultum nonnisi ab ipso Deo dictari posse. Ergo.

III. Nullus hominum a peccato immunis est, licet ad solam legis naturalis regulam attendat. At ratio naturalis cognoscit, Deum esse malorum vindicem. Ergo post peccatum aut desperandum est, aut videndum, utrum, et qua ratione Deo reconciliari, aeternasque poenas vitare possimus. Atqui hic omnino deficit ratio naturalis. Quis enim sola ratione definiat, Deum peccatoris poenitentia ad misericordiam flecti, nec justitiae; quae in eo summa est, dare locum; imo toties misereri Deum, quoties homo in peccata relabitur? Certe hoc in homine judice-

(a) Vide *Pascal Pensées Chap.* 3. *et* 21.

ee videretur reprehendendum, imo innumeris sceleribus aperire viam. Placarine Deus sacrificiis poterit? At ipse nulla re indiget, nec venalis, corruptusque judex est, ut muneribus flectatur. Certe hic humana ratio, quocumque se vertat, omnino haeret, et tamen hoc est scitu maxime necessarium. Ergo. Vide de hoc argumento *Jacobum Ode Tholog. naturalis. Prop.* 66. 67. *et* 68.

Corollarium.

Ergo necessaria erat homini divina revelatio, qua edisceret ea, quae scitu necessaria erant ad religionem exercendam, sive illa rationi essent impervia *ex prop. II.*, sive non essent *ex prop. I.*

CAPUT IV.

Ostenditur, Divinam bonitatem, et misericordiam maxime decuisse, ut humano generi in iis ignorantiae tenebris, de quibus dictum est Capite superiori, succurreret, veramque religionem revelaret.

Adv. Necessariam fuisse homini revelationem verae religionis, satis ostendimus. Nunc inspiciendum est, utrum decuerit, Deum ad hoc suam demittere majestatem, ut in re tot, tantisque tenebris implicata, hominum praeceptor factus, eos veritatem edoceret.

PROPOSITIO

Divinam bonitatem maxime decebat, ut humano generi maximis ignorantiae tenebris obruto succurreret, veramque religionem revelaret.

Prob. Deus ab homine cultum exigebat, nec aliter homo poterat ad beatam vitam pervenire, ut *Cap. II* demonstratum est; nemo tamen sola naturali ratione

ne veram religionem, qua et Deo placeret, et ad beatam vitam perveniret, cognoscere poterat, ut *Cap. III.* ostendimus. Atqui divinam bonitatem, et misericordiam non decebat, ut hominem, quem ipse creaverat, omnino in peccato, et aeterna miseria derelinqueret Ergo.

Dices Vel homo ratione naturali veram religionem cognoscere poterat, vel non. Si primum; frustra a Deo revelationem expectabat. Sin alterum; jam ei error non vertebatur culpae; ac proinde nec Deo displicuisset, nec excidisset a vita beata, si in negotio religionis errasset. Ergo.

℟. *Dist.* 1. *prop.* Nonnulla dogmata absolute cognoscere non poterat, de quibus dictum est *Cap. III. prop. II.* alia vero absolute quidem poterat; sed ob naturae humanae corruptionem, passiones, aliaque impedimenta *moraliter* non poterat cognoscere, ut diximus supra *Cap. III. prop. I.* Nec inde sequitur, errorem si non fore vertendum culpae; tum quia plerumque ex suis cupiditatibus manasset error, tum quia pro veritate, quam ignorabat, scelestissimam sibi finxisset religionem, ut revera fecerunt Gentiles, quae religio horrendum est dicere, quod aut Deo placuerit, aut ad beatam vitam perduxerit.

Cum ergo docuerimus, et homini divinam revelationem fuisse necessariam, et Deum maxime decuisse, ut hominem divino magisterio instrueret in negotio religionis; videamus nunc, quales esse oportebat divinae revelationis dotes, et characteres, si Deus homini veram religionem patefacere voluisset; ne forte falsam revalationem cum vera confundamus, nec alteram ab altera valeamus discernere.

Ca-

CAPUT V.

Si Deus homini veram religionem revelare voluisset, demonstratur, eum sicut nihil proponere poterat humanae rationi contrarium, sic multa proponere potuisse dogmata, quae rationem humanam exsuperant.

Adv. Docet *Baelius* variis in locis suorum operum, quae Scepticismi, et impietatis promptuaria dici possunt, Deum multa posse revelare, imo revera revelasse rationi naturali contraria. Ex adverso *Deistae* passim contendunt, nihil Deum revelare posse supra humanam rationem Utrumque falsum est.

PROPOSITIO I.

Nihil Deus revelare potest rationi contrarium.

Non possumus id evidentius demonstrare, quam verbis S. Thomae *Lib. I. cont. Gent. Cap. 7. Ea, quae naturaliter rationi sunt insita* (adde et quae ex iis evidenter sequuntur), *verissima esse constat, in tantum, ut nec ea esse falsa sit possibile cogitare. . . . Quia igitur solum falsum vero contrarium est, ut ex eorum definitionibus inspectis manifeste apparet, impossibile est, illis principiis, quae ratio naturaliter cognoscit, veritatem fidei* (h. e. a Deo revelatam) *contrariam esse*

Item . . . Principiorum naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est indita, cum ipse Deus sit auctor nostrae naturae. Haec ergo principia etiam divina sapientia continet. Quidquid igitur principiis hujusmodi contrarium est, est divinae sapientiae contrarium. Ea igitur, quae ex revelatione divina per fidem tenentur, non possunt naturali cognitioni esse contraria, Baelium autem fuse confutavit *Leibnitius* in *Praeloquio Theodiceae*, aliique.

Hinc infert S. Thomas, *quaecumque argumenta contra fidei*

fidei dogma ponantur, haec a principiis primis naturae inditis non recte procedere: unde nec demonstrationis vim habent, sed vel sunt rationes probabiles, vel sophisticae. Quod est animadversione dignissimum. Ex quo etiam sequitur, falsam esse illam *Pomponatii* doctrinam, scilicet posse aliquid esse verum ex philosophia, et ratione naturali, et falsum ex fide; cui doctrinae innituntur Philosophi nonnulli, qui dum aliqua contra fidem effutiunt, satis se putant a censura tutos, dum ajunt, se loqui ut philosophos.

Hinc etiam patet, si quae religio aliqua doceat rationi naturali evidenter contraria, eam non posse a Deo esse revelatam.

PROPOSITIO II.

Potest Deus nonnulla homini revelare mysteria, quorum modus, et ratio humanae mentis captum longe superant.

Prob. I. Deus in rerum corporearum creatione multa nobis ostendit, quorum naturam, modum, et rationem intelligere non possumus, licet certo sciamus, ea existere. Ergo pariter in revelatione rerum, a sensibus nostris remotarum, multa potest nobis arcana patefacere, quorum modum, et rationem investigare intellectus noster non valeat.

II. Inter ipsos homines, licet ejusdem sint naturae, tanta est ingeniorum inaequalitas, ut alter clare intelligat, quae alter intelligere, et explicare non possit. Ergo Deus, qui humanae mentis aciem infirmam, atque hebetem infinite superat, multo magis infinita intelligit, et comprehendit, quorum rationem homines percipere non valeant. Porro, si stultus esset rusticus fidem abnuens iis, quae a doctiore proponuntur, ea tantum ratione, quod illa intelligere, et explicare non potest; multo stultior esset homo, qui fidem habere detrectaret Deo proponenti mysteria humanae rationi impervia.

Ergo non ideo putandum est, religionem non fuisse

se a Deo revelatam, quod multa contineat dogmata, quorum rationem intelligere non possumus.

Solvuntur objectiones.

Objic. I. Divinam sapientiam maxime decet; ut si homines alloqui velit, humanae mentis imbecillitati sese accomodet. Ergo non decet, Deum revelare homini mysteria.

℟. *Dist. ant.* Ut se se ita accomodet, ut nihil proponat, quod homo intelligere non possit *quoad substantiam*, *conc.* Quoad modum, et rationem, *Neg.* Sicut ergo non dedecet Dei sapientiam, quod multa creaverit, quae licet certo sciamus existere, tamen explicare nesciamus; ita non dedecet, quod aliquid revelet, quod licet sciamus, esse verum; et intelligamus quoad substantiam, nesciamus tamen ejus explicare modum, et rationem.

Objic. II. Inutilis est homini mysteriorum notitia, Ergo.

℟. *Neg. ant.* Sicut enim non ad discipulum, sed ad magistrum pertinet videre quid ipsi discipulo scire sit utile, quid non; ita Dei est definire quid expediat scire hominem in religionis negotio caecutientem, hominis vero est Deo agere gratias, quod occulta sapientiae suae ei revelaverit; et subjiciendo intellectum in obsequium Dei, summam illius sapientiam venerari, et agnoscere dominatum, quem ille habet in ipsum creaturae intellectum. Praeterea mysteria scire nedum utile, sed necessarium est, ut *ex. gr.* humanae naturae corruptionem per peccatum, reparationem per Christum, adjutorium per Dei gratiam etc.

Objic. III. Deus homini rationem indidit. Absurdum igitur est, ut ei rationis usum impediat per revelationem mysteriorum.

℟. *Dist. ant.* Ut cognosceret ea, quae scire expedit, *conc.* Ut omnium rerum intelligat caussas, modum, et rationem, *neg.* Multarum enim rerum etiam naturalium scire sufficit existentiam, licet caussam, et rationem ignoremus. *Ad conf.* vero *nego suppositum*; non enim revelatio mysteriorum impedit rationis usum; imo

imo hoc est rationi maxime consentaneum, ut fidem habeamus ei, quem plus quam nos intelligere, certo scimus.

Objic. IV. Mysteria sunt supra rationem. Atqui quod est supra rationem, est etiam contra rationem; nam 1°. eorum, quae sunt supra rationem non apparet convenientia cum ratione; deinde quae supra rationem sunt, talibus argumentis oppugnari possunt, quae humana ratio dissolvere non valet. Ergo. Ita *Baelius.*

℟. *Neg. min.* Illud enim supra rationem esse dicitur, cujus humana mens nequit explicare causam, rationem, atque modum: illud vero contra rationem, quod mens cognoscit repugnare rationi; quae duo maxime discrepant. Ad 1. *confirm. resp.* aliud est non videre alicujus dogmatis congruentiam cum naturali ratione, aliud est videre ejus discrepantiam, et repugnantiam. Ad 2. *dist.* Non potest argumenta illa dissolvere, explicando mysteriorum rationem, *conc.* non potest dissolvere demonstrando, ipsa argumenta non recte procedere ex principiis naturalibus, *neg.*

CAPUT VI.

Si Deus homini aliquid revelare voluisset, expenditur quibus signis revelationem confirmare pro sua sapientia debuerit.

JAm videamus utrum Deus veram religionem homini patefecerit, et quibus signis ea internosci queat, cum omnes ferme religionem suam a Deo revelatam esse jactent.

PROPOSITIO I.

Deus ex sua sapientia revelationem talibus confirmare debebat signis, quae nonnisi ab ipso Deo patrari poterant.

Prob. Deus enim nihil frustra molitur. At frustra homini religionem revelasset, nisi eam talibus confirmasset signis; adhuc enim homines dubitare potuissent,

sent, utrum Deus locutus esset; atque ita adhuc inter opinionum ambages fluctuare, praecipue si revelatio contineret mysteria humanae rationi impervia. Ergo.

PROPOSITIO II.

Prophetiae, et miracula proprie dicta sunt signa, quae nonnisi ab ipso Deo patrari possunt, ac proinde ea sunt signa, quibus revelationem a Deo confirmari oportebat.

Prob. I. de Prophetiis. Prophetia enim est praedictio futuri, quod a libera hominis, aut. etiam ipsius Dei voluntate pendeat. At id nequit efficere ulla creata mens, etiam Angelica; licet enim homines, aut Angeli praedicere possint ea, quae a naturalibus caussis oriuntur, in quibus etiam falli possunt, si Deus caussarum naturalium vim impediat; tamen quae pendent ab hominis, aut etiam Dei libera voluntate, nemo, nisi Deus praevidere, et praedicere certo valet. Unde *Isaias*, falsa esse numina a gentibus culta ex eo demonstrat, quod futura praedicere non possunt. *Annuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos. Is. XLI.* 23. et Tertullianus *Apolog.* 20. *Idoneum*, inquit, *testimonium divinitatis est veritas divinationis.* Hinc Idololatrae divinationem affinxerunt numinibus suis, quorum tamen oracula erant vel falsa, vel ambigua, et si non semper (ut contendit *Antonius Van Dale* in *Historia Oraculorum*) plerumque saltem a sacerdotum calliditate concinnata.

Prob. II. de Miraculis. Miraculi enim nomine intelligimus opus rarum, quod vel ratione substantiae, vel ratione modi fit praeter ordinem, et vires totius naturae creatae, corporeae scilicet, et spiritalis. Unde ad veri miraculi rationem requirimus, ut sit opus non modo rarum, et extraordinarium, cujusmodi esse queunt multa vel naturae, vel Angelorum sive bonorum, sive malorum opera; verum etiam totius creatae naturae vires superans. Ergo verum miraculum nonnisi ab ipso Deo patrari potest.

Corollaria.

I. Hinc sequitur, divinam revelationem prophetiis, et miraculis confirmari debuisse; alia enim signa etiam ab creaturis fieri poterant.

II. Religionem prophetiis, et miraculis firmatam, falsam esse non posse, Prophetiae enim, et miracula edi non possunt, nisi a Deo, qui non potest esse falsi auctor, aut adstipulator, licet ad verum confirmandum uti possit ministerio hominum malorum, *Matth. VII.* 22. imo etiam brutorum, ut de asina *Balaam* legimus *Num. XXII.* 30.

III. Religionem docentem evidenter falsa, non posse veras habere prophetias, aut miracula; atque ideo postquam in aliqua religione demonstraverimus contineri dogmata rationi contraria, ut in Mahumetana, et Idololatrica, frustra nos in ejus miraculis confutandis tempus terere.

Solvuntur objectiones.

Objic. I. *Cum Spinosa, et Boulengero.* Verum miraculum a Deo fieri non potest. Miraculum enim derogaret naturae legibus; atqui Deus naturae legibus, quas ipse statuit, derogare non potest, cum sit immutabilis. Ergo inepte ad divinam revelationem firmandam miracula exiguntur.

℟. *Neg. ant. Ad confirm. resp.* Data *maj.* quae negari posset, cum miraculum potius sit supra, quam contra naturae leges, *Neg. min.* Non enim mutatur Deus miracula faciens, qui ita ab aeterno sanxit naturae leges, ut etiam ab aeterno exceperit certos effectus, quos sibi reservavit patrandos ad majorem sui gloriam, et hominum utilitatem. *Vide S. Thom. De Potent. Q. VI. art.* 1. *ad* 6. Dubitare igitur, utrum Deus miracula patrare possit, hominis est insani, ut *Rousseaujus*, ipseque *Baelius* fatentur, atque hac in re Spinozistas irrident.

Inst. Naturae leges vel ipsa Dei voluntas sunt, vel cum voluntate Dei necessario connexae. Atqui nihil con-

contra voluntatem suam operari potest Deus. Non potest igitur patrare miracula.

℟. *Dist. maj.* Sunt connexae cum voluntate Dei generali, cui non repugnat exceptio in nonnullis peculiaribus causis, quas ipsa Dei voluntas ab aeterno constituit, *conc.* Secus, *neg.* Una igitur, et simplex Dei voluntas et generales naturae leges, et peculiares exceptiones ab aeterno decrevit, atque ideo miracula contra Dei voluntatem non sunt, ut inepte adversarii garriunt.

Objic. II. Miraculum est opus rarum supra naturae vires. Atqui nemo novit omnes etiam occultas naturae vires. Ergo nemo scire potest, utrum opus aliquod verum sit miraculum, ac proinde frustra ad probandam revelationem adhibetur.

℟. *Dist. min.* Et tamen omnes compertas habent ex experientia constantissima quasdam naturae leges, et vires, quae sufficiunt ad miraculum agnoscendum, *conc.* Secus, *neg.* Igitur ad miraculum agnoscendum necesse non est omnes occultas naturae vires habere perspectas, sed satis est ex longa, et constanti experientia cognovisse aliquas. Sic *ex gr.* ex constanti experientia scimus, hominem vere mortuum reviviscere non posse; (iis enim, qui falso mortui putantur, ut sunt laqueo, vel aquis praefocati, vel epilepsia correpti, humana arte succurri potest). Si enim essent aliquae in natura vires, quae id efficere valerent, id aliquando effecissent.

Atque hac ratione omnes Roussaei argutiae, et cavillationes facile solvuntur.

Inst. Homines, aut saltem angeli mali multa patrare possunt mira praeter constantissimas naturae leges. Sic Magi Pharaonis *Exod. VII. et VIII.* Simon Magus *Act. VIII.* Apollonius Thyanaeus teste *Philostrato*, et *Jerocle*, Haeretici apud Augustinum *Lib. de Unit. Eccl. cap.* 16., Gentiles apud eundem *Lib. X. de Civ. Dei cap.* 16. Sic etiam Vespasianus, testibus *Suetonio*, et *Tacito*, caecum sputo curavit, et Antichristus multa creditur prodigia patraturus, ut inducantur in errorem, si fieri potest, etiam electi. Ergo non sufficit, aliquid esse praeter constantes na-

turae leges, ut judicetur miraculum, hoc est opus ipsius Dei.

℟. *Dist. ant.* Semper tamen aliqua patet ratio, qua istae prestigiae a veris miraculis dignosci queant, *conc.* Nulla patet, *neg.* Nam 1°. daemones, qui, ut dicemus suo loco; utendo naturalibus caussis, quarum exquisitam habent notitiam, multa mira patrare possunt, nihil valent, nisi ex Dei permissione. Non est autem putandum, infinitam Dei bonitatem, et sapientiam ita ista permittere, ut nulla hominibus ratio suppetat cavendi errorem; scilicet vel ex fine evidenter pravo, vel saltem inutili, ac proinde sapientia Dei indigno, vel ex alia circumstantia, ex qua pateat, opus non a Deo, sed a naturalibus caussis per daemones adhibitis esse profectum. Et talia sunt Magorum Pharaonis, Simonis Magi, et Antichristi prodigia. 2°. Hominum veteratorum fraudes sicut humana industria concinnari, sic humana diligentia detegi possunt. Ceterum quae de Haereticorum, Gentilium, et Apollonii Thyanaei praestigiis narrantur ab auctoribus minus probatae fidei non coaevis, et caussae suae servientibus, sicut gratis asseri videntur, ita et gratis negari possunt. In Vespasiano vero nimis aperta fuit fraus adulantium aulicorum, ut principem illum recens a militibus electum, necdum satis in imperio firmatum, augustiorem redderent apud vulgus.

Inst. 2. Potest Deus in peccati vindictam spargere poenalem caecitatem super illicitas hominum cupiditates, et ita permittere daemonum prodigia, ut nulla pateat ratio ea discernendi a veris miraculis. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Si enim id Deus faceret, sibimet ipse auferret modum, quo hominibus voluntatem suam certo posset patefacere; semper enim homines dubitare possent, ne forte in peccati vindictam Deus vim, et potestatem demonibus permisisset maxima patrandi prodigia.

Objic. III. Non eadem est inter ipsos religionis revelatae defensores miraculi definitio. *Clarkius* enim, miraculum esse ait operationem cujuscumque Entis intel-

intelligentis, homine superioris, consueto naturae ordini contrariam. Abbas *de Houteville* effectum rarum, et stupendum ex incognita, sed naturali causarum naturalium harmonia, et temperatione: alii aliter definiunt. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Illas enim definitiones merito rejicimus; ad confirmandam enim Dei revelationem non sufficit, nisi opus, quod ab ipso Deo patrari solum potest.

Objic. IV. Cum profano Auctore *Cogitationum Philosophicarum* (a). Tutius est fidere judicio rationis, quam sensibus, qui saepe nos fallunt. Satius est igitur in Religionis negotio incedere via demonstrationis, quam miraculorum.

℟. 1. *Dist. ant.* In iis rebus, ad quae ratio sufficit, *conc.* in certis, *neg.* Porro ad ipsam religionem naturalem recte constituendam sola ratio non sufficit, ut *Cap.* 11. demonstravimus, multo minus ad religionem revelatam, praesertim si mysteria contineat.

℟. 2. *Neg. cons.* Qui enim miraculis nititur, etiam judicio rationis, et demonstratione utitur. Sicut enim ex effectibus, nempe ex creaturis demonstramus, esse creatorem Deum, ita etiam ex operibus divinis demonstramus, ipsum Deum locutum esse; unde Auctoris istius non minus despicienda est stupiditas, et insania, quam detestanda impietas.

CAPUT VII.

Demonstratur religionem Christianam veris confirmatam esse prophetiis, et miraculis.

Adv. JAm videamus; utrum Religio Christiana iis firmetur signis, quibus diximus *Cap.* superiori confirmandam esse divinam revelationem. Sed sicut Geometrae nonnulla praestituunt *postulata*, seu nonnulla ponunt ab omnibus concedenda; ita etiam nos

(a) *Pensées Philosophiques*

nos ea, quae sequuntur, ponimus concedenda ab omnibus, qui Sceptici, hoc est fatui non sunt.

I. Quaestio haec: *utrum ad confirmandam hanc religionem miracula, et prophetiae editae sint*, historica est, seu, ut ajunt, *quaestio facti*, non juris; ac proinde solvi debet testibus, et monumentis, de quorum fide insanum sit dubitare.

II. Potest aliqua historia eadem ferme certitudine teneri, qua mathematicae theses, licet objectum, et probationes diversa sint, et ideo prima dicatur *certitudo moralis*, altera *mathematica*. Sed ne ad inutilem dilabamur quaestionem de aequalitate utriusque certitudinis, sufficit hic statuere, quod possit aliqua historia tantam habere apud homines certitudinem, quae mentem omnino quietam, ac securam reddat, ita ut insani hominis sit de illa dubitare. Sic certe scimus fuisse *Alexandrum*, *Caesarem*, *etc.*

III. Libri Novi Testamenti, quibus continentur historica religionis Christianae primordia, et quos hic nondum assumimus ut divinos, genuini sunt, hoc est scripti eo tempore, et ab iis auctoribus, quorum nomina praeseferunt: nempe ab Apostolis, primisque religionis Christianae Fundatoribus. Si enim non dubitamus, quin genuini sint libri *Ciceronis*, *Caesaris*, *Livii*, quia omnibus saeculis iis auctoribus attributi sunt, ridemusque *Harduinum* contraria effutientem; multo minus dubitare possumus, quin genuini sint libri Novi Testamenti. 1°. Enim omnibus saeculis laudati sunt ut genuini, idque non solum a catholicis, ut Clemente Romano. *Epist. 1. et 2.* Ignatio *Epist. ad Ephes. ad Smyrn. et ad Polycarp.* Polycarpo, *Papia*, *Justino*, *Clemente Alexandrino*, aliisque, quorum testimonia vide apud *Valsecchium*, et *Bergerum* (a), verum etiam ab haereticis, qui ex ipsis Libris argumenta ad suam haeresim stabiliendam misere detorquebant, ut observant *Irenaeus* auditor *Polycarpi* discipuli S. Joannis *Lib. III. contr. haeres Cap. 2. n. 7.* imo et a Paga-

(a) Valsecchi *La Religione Vincitrice Tom. II.* Bergier *La certitude des preuves du Christianisme.*

ganis, ut *Celso* apud *Origenem*, et *Juliano* Apostata apud *Cyrillum Alex.* 2°. Quod non accidit aliis Scriptoribus; religiose servati sunt ab universa Ecclesia; hoc est a societate per universum orbem diffusa; quae libros illos semper venerata est ut divinos; eorumque autographa in Ecclesiis Apostolicis diu servata sunt, ut testatur Tertullianus *Lib de Praescript.* Hinc libri illi nec omnino de integro supposititii, nec in rebus ad religionem pertinentibus corrupti esse potuerunt. Statim enim ab uno homine, vel una Ecclesia concinnata fraus a ceteris agnita, atque rejecta esset; esto in quibusdam levioribus variantes lectiones inciderint, propter tot myriades exemplarium; quidquid enim humanis manibus teritur, humanam infirmitatem experiri debet, ut patet ex profanorum scriptorum variantibus lectionibus longe pluribus, licet in minori copia exemplarium; quam varietatem non necesse erat, Deum per miraculum impedire, cum ad summam religionis non pertineret.

Dices. Primis Ecclesiae saeculis nonnulli apocrypha Evangelia, et Scripta Apostolorum nomine concinnarunt, ut videre est apud Jo. Alb. Fabricium in *Codice Pseudepigrapho*, cujus eruditione, tamquam corvus pavonum plumis ornatus *Freretus* infert, potuisse etiam Libros Novi Testamenti, tamquam genuina Apostolorum opera, falso venditari.

℞. *Neg. cons.* Nam illa ipsa religiosa cura, qua Ecclesia servabat genuina Apostolorum opera, demonstrabat esse supposititia quae non erant eadem traditionis serie probata. Unde ex historia scriptorum apocryphorum magis elucet veritas eorum, quae genuina erant; hinc enim patet Ecclesiam non caeca credulitate suscepisse ut Apostolicos omnes libros, qui Apostolis tribuebantur, sed eos tantum, quos ab iis conscriptos esse perpetua traditione constabat. Adde his, quod ipsa apocrypha Evangelia nostris consentiebant quoad substantiam (ut ita dicam) gestorum Christi, ejusque miraculorum, licet nonnulla adjungerent vel fabulosa, vel narrata ab Apostolis, quorum nomina praeferebant, non tamen scripta in-

in nostris Evangeliis, ut videre est in paucis illis Apocryphis, quae supersunt apud *Fabricium*. Hinc si hodie apocrypha illa superessent, majori numero testium firmaretur veritas Evangelicae historiae. His itaque positis ad rem ipsam adgrediamur.

§. I.

PROPOSITIO.

Christiana religio veris confirmata est prophetiis.

Prob. Prophetiae, quae Christianam religionem probant, partim editae sunt ante Christi adventum, quas tamen Gentiles suspicari non possunt cum Porphyrio apud Hieronym. *Prooem. in Daniel.* a Christianis confictas, cum ante Christi adventum servatae fuerint, et modo serventur religiosissime a Judaeis Christianae religionis hostibus, ut observat Augustinus *in Psalm. LVIII.* partim ab ipso Christo, ejusque discipulis. Adeo autem luculentae sunt prophetiae, quae Christum praecesserunt, ut S. Justinus *in Dialogo cum Tryphone* fateatur, se hoc uno argumento ex philosopho Gentili factum esse Christianum, et Origenes *Lib. I. contra Cels.* asserat, hoc esse argumentum omnium validissimum, unde *Huetius* ex solis ferme prophetiis, quae Christum praecesserunt, Demonstrationem Evangelicam concinnavit.

Porro prophetias ante Christum editas in Libro VI. de Incarnatione proferemus contra Judaeos, ne eadem iterum cogamur repetere. Sufficit hic unam, aut alteram commemorare. I. Daniel *Cap. IX.* praedicit, post annos 483., ex quo Judaeis facta fuisset potestas aedificandae Hierusalem, occidendum esse Christum, et post ejus mortem Urbem Hierusalem, et templum (quae nondum erant tempore Danielis aedificata) funditus evertenda, et abolenda sacrificia Haec autem, quae nemo tot ante seculis suspicari potuisset, adamussim completa nemo non videt. II. David *in Psalmo XXI.*, et *in Psalmo LXXXV.* et Isaias *Cap. II.*, et *Cap. XLIX.* et *LXVI.* praedicunt, abs-

abolendam esse idololatriam, et omnes gentes adoraturas esse Deum Israël. Hoc autem quis vel cogitare potuisset, cum Idololatria longe, lateque per universum esset orbem statuta; Israelitarum vero et gens, et religio omnibus Gentibus odio esset? Et tamen ex quo Christiana religio praedicari coepit, idololatria paulatim concidit, donec tandem exstincta est. III. *Malachias Cap. I.* vaticinatus est, Judaeos a Deo rejiciendos, Gentiles vero in Ecclesiam adsciscendos, quod et factum conspicimus.

Jam ad ipsas Christi prophetias veniamus. I. Christus *Matth. XX.* 17. et seq. omnes passionis, et mortis suae circumstantias minutissime praedixit. *Ascendens Jesus Jerosolymam, assumsit duodecim discipulos secreto, et ait illis: ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum; et tertia die resurget*: addit etiam *Matth. XXVI.* omnes alias circumstantias loci, diei, horae, discipuli a quo tradendus erat etc. Haec autem omnia Christus nonnisi divinitus praevidere poterat. Nam populus universus tanto eum prosequebatur amore, ut potius temperandus fuerit ejus ardor, ne eum Regem constitueret. Et licet dicere velimus, Christum pertimuisse invidiam Sacerdotum, non tamen praescire potuit, se ab illis quidem damnandum morte, sed tamen a Gentilibus flagellandum, illudendum, et cruci affigendum. Nam si Sacerdotum perfidia usque ad necem Christi exarsisset, promius erat, ut eum lapidibus appeterent, quod et alias facere conati erant, quam ut apud Judicem Gentilem eorum invidiae non participem accusarent, apud quem nullius criminis reum peragere potuissent.

Neque dicas, post Christi passionem *Matthaeum* hanc prophetiam commentum esse; nam praeter consensum aliorum Evangelistarum, si Matthaeus fingere voluisset, non utique addidisset prophetiae illa verba *et tertia die resurget*, nam si isthaec praedictio resurrectionis fuisset impleta, jam opus non erat

erat praedictionem mortis fingere; sin minus, et tunc falsitas unius praedictionis etiam aliis verbis, et factis ejus fidem abstulisset. Ceterum objectiones contra veritatem Evangelistarum solvemus inferius.

II. Idem Christus *Matth. XXIV.*, et *Marci XIII.*, et *Luc. XIX.*, et *XXI.* cum omnia apud Judaeos essent tranquilla, praedicit Urbem Hierosolymorum paulo post, idest vivente adhuc generatione illa, evertendam, templum diruendum, ita ut non remaneret lapis super lapidem, Judaeos magna ex parte interuecione delendos, reliquos captivos abducendos, idque tam clare, tamque minute, ut si conferas Christi verba cum eventu, quem *Josephus* Historicus memoriae prodidit, putes Christum historiam potius descripsisse, quam prophetasse.

III. Praeterea praedicit Christus, Judaeos rejiciendos; Gentiles vero ad cultum veri Dei adsciscendos; imo Evangelium longe, lateque per universum orbem praedicandum, atque credendum; ita ut ex ovibus, hoc est hominibus omnium gentium fieret unum ovile, et unus pastor, hoc est una Ecclesia sub uno Pastore collecta, ut in variis Evangelii locis videre est. Hoc autem, quod naturaliter fieri omnino non poterat, ut infra ostendemus, videmus peractum, imo ostendemus peractum paulo post Christi mortem.

IV. Praetermittimus innumeras alias Christi prophetias, ut de proditione Judae, de negatione Petri etc. et manifestationes secretorum humani cordis; quae, non minus quam prophetiae, opus divinum sunt.

Addi possent etiam prophetiae discipulorum Christi, qui post ejus mortem Christianam religionem propagarunt. Nam 1. Lucas *Act XI.* 17. refert prophetiam Agabi de fame universo orbi imminente, quae et accidit Claudio imperante, et *Act. XIII.* 1. donum prophetiae in multis discipulis Antiochenae Ecclesiae eluxisse scribit, et itidem aliis in locis, alias refert discipulorum Christi prophetias, quod utique si falsum fuisset, non esset ausus scribere viventibus iis, a quibus falsi revinci poterat. Paulus

vero

vero in Epistola I. ad *Cor. Cap. XII.* inter cetera Dei dona, quibus nascens Ecclesia illustrabatur, prophetiam recenset, et *Cap. XIII.* praescribit modum, quo prophetia, aliisque donis uterentur, *ut omnia honeste, et secundum ordinem fierent.* Quomodo autem potuisset aliquis, nisi omnino effrons, et fatuus Corinthiis praecipere modum, quo prophetia uterentur, nisi manifeste hoc Dei donum apud illos fuisset? Denique insignis prophetia est Joannis Apocalypsis, in qua licet nonnulla sint adhuc in fine saeculorum implenda, tamen quae de Romani Imperii, et idololatriae ruina clare praedicta, atque impleta sunt, etiam iis, quae implenda remanent, fidem adstruunt. Vide *Bossuet*, *et D. de la Chetardie in Comment.* Atque haec de prophetiis: nunc ad aliam partem veniamus, nempe ad miracula.

§. II.

PROPOSITIO.

Certissimum est, Christum innumera patrasse miracula, et quod omnium est maximum, post mortem resurrexisse, et in caelos ascendisse.

Prob. I. de omnibus generatim Christi miraculis. Novi Testamenti Scriptores unanimi consensu referunt, Christum Dominum mortuos suscitasse multos; nam licet tres tantum commemorent Evangelistae; et inter eos Lazarum a sepulcro quatriduo post mortem excitatum; tamen alios etiam praetermisisse eruitur ex *Cap. XI. Matth.*, *et Joan. Cap. XXI.* Praeterea caecos, surdos, claudos, paralyticos, leprosos vel uno vocis imperio curasse, tempestates sedasse, imo et per maris undas nudis pedibus ambulasse, aquas in vina vertisse, paucis panibus multa hominum millia saturasse, superantibus etiam pluribus fragmentorum cophinis; tandem praedixisse, se triduo post mortem resurrecturum, et revera resurrexisse, et redivivum cum Apostolis conversatum, et

collocatum esse, tandemque in caelos, videntibus omnibus discipulis, ascendisse.

Haec si vera sunt, quis, nisi amens dubitaverit, vera fuisse miracula? Atqui ea certissima sunt. Nam illa historia certissima est, quae refertur unanimi consensu a pluribus Scriptoribus coaevis, viris probis, qui facta suis oculis conspexerunt, quique nec falli, nec fallere poterant, aut volebant, imo miraculis, et sanguine suo rem confirmarunt praesertim si ejus historiae adhuc remanent manifesta omnibus monumenta, nec ab ipsis inimicis negetur, sed admittatur ut vera. Atqui talis est historia miraculorum, et resurrectionis Christi. Nam 1.° Scriptores, qui eam describunt unanimi consensu, multi sunt, *Matthaeus*, *Marcus*, *Lucas*, *Joannes*, *Paulus*, *Jacobus*, *Petrus* 2.° Omnes coaevi, qui res gestas vel suis oculis conspexerunt, ut *Matthaeus*, *Joannes*, *Petrus*, *Judas*, *Jacobus*, vel a multis, qui conspexerant, audiverunt. 3.° Viri probi, quibus nemo adhuc objicere ausus est calliditatem, dolum, aut simulationem, a qua ipsa eorum vivendi, et scribendi ratio, ipsaque religio, quam praedicabant, demonstrat eos fuisse valde alienos. 4.° Falli non poterant; res enim, quas describunt, sensibus subjectae erant, in quibus deceptio non poterat habere locum. 5.° Multo minus fallere alios poterant; narrant enim facta publica, omnium oculis exposita, designant tempus, locum, nomina adstantium, ita ut facillime potuissent falsitatis redargui, maxime ab inimicis. 6.° Eam historiam sanguine suo confirmarunt, imo et miraculis, de quibus infra dicemus, qua in re historia Evangelica omnes alias historias, de quibus minime dubitamus, antecellit; quando enim testes narrationem suam sanguine confirmant, non potest major optari, aut fingi certitudo. 7.° Adhuc remanent manifesta ejus historiae monumenta, ipsa scilicet Christi Ecclesia, quae nequaquam in Christum tam sublimia, et ardua, cupiditatique contraria praecipientem credidisset, nisi manifesta ejus signa vidisset, quorum signorum memoriam quotannis celebrat. 8.° Denique ipsi Christianae religionis inimici historiam miraculorum Christi

sti nunquam negare ausi sunt; sed ea tantum infelici conatu explicare tentarunt. *Celsus* enim apud Origenem *Lib* 1. *Jerocles* apud Euseb. *cont. Jerocl. Julianus* apostata, et *Porphyrius* apud Cyrillum *Lib. VI. cont. Jul.* ipsique Judaei Thalmudistae Christi prodigia non inficiantur, sed ea magiae tribuunt; qua in re miranda est eorum insulsitas. Vide *Bullet* in Historia Christianismi ex auctoribus judaeis, et Gentilibus.

Prob. II. Speciatim de Christi resurrectione, quae maximum miraculum est. Illud factum certissimum est, cujus testes nec falli potueruut, nec fallere alios voluerunt, nec potuerunt. Atqui talis est Christi resurrectio. Ergo.

Tres sunt minoris partes. I. Testes falli non potuerunt; fuerunt enim 1.° testes plurimi, et ut ait Apostolus, 1. *Cor. XV. 4. plusquam quingenti.* 2.° increduli, qui *tamquam deliramentum* existimabant testimonium eorum, qui primi Christum resurrexisse nuntiaverant, *Luc. XXIV.* 11. nec prius crediderunt, quam palpaverint, viderint, audiverint, ipsa scilicet plurium sensuum evidentia victi: 3.° non semel, aut iterum, nec seorsim singuli, sed omnes simul multoties per dies quadraginta Christum secum conversantem, comedentem viderunt, et contrectarunt, colloquentem audiverunt. Falli ergo non potuerunt.

II. Nec fallere voluerunt. Non solum enim homines erant rudes, simplices, probi, religionemque praedicabant omnis mendacii inimicam, verum etiam si ipsi certo scivissent, Christum non resurrexisse, sicut praedixerat ad suam divinitatem probandam, jam certo congovissent, illum fuisse impostorem mendacissimum. Ergo, si ante mortem illum, a quo tam magna expectabant, prae timore deseruerunt ut Petrus etiam cum juramento negaverit; quanto magis post mortem, detecta fraude, cum jam nihil ab eo expectare poterant, et e contrario ab adversariis innumera mala, ipsaq. mors immineret; a fingendo tam inaudito mendacio abstinuissent? Inter flagella, tormenta, odia, irrisiones, denique in ipso acerbae mortis apparatu, quidnam sibi utilitatis ex tam insi-

gni,

gni, et incredibili impostura polliceri potuissent? Ergo.

III. Denique nec fallere potuerunt. Nam nullo negotio fraus detegi poterat: extrahendo scilicet e sepulcro Chrisi cadaver, illudque omnium oculis exponendo, jam fraus, et mendacium patuisset. Et tamen cum fremerent primores civitatis videntes subita et stupenda incrementa nascentis Ecclesiae; coercere tentarunt, ne Christi praedicarent resurrectionem; at numquam Christi cadaver invenire potuerunt, quod facillimum, et certissimum fuisset mendacii argumentum; praesertim cum ipsi sepulcrum custodibus munierint, ne quis fraudi esset locus. Dicere autem Apostolos meticulosos, infirmos, egenos, qui Christum vivum turpiter deseruerant, aut vi propulsasse milites sepulcri custodes, aut corrupisse muneribus, aut ipsis dormientibus sepulcrum nemine sentiente, aperuisse, et cadaver abstulisse, tam putida fabella est, ut eam refutare ineptissimum sit. Ergo fallere non potuerunt; Vide D. Ditton in *Religione Christiana demontsrata per Christi Resurrectionem* (*a*) et Duguetum *De Christi sepultura.*

Solvuntur objectiones.

Objic. I. Miracula Christi solo discipulorum ejus testimonio firmantur. Ergo dubia sunt

℟. *Transeat ant.* Gentiles enim, et Judaei, ut supra diximus, ea inficiari numquam ausi sunt, et *neg. cons.* Si enim Romanas, Graecasque historias credimus licet a paucis ejusdem gentis auctoribus, (*b*), patriae gloriae cupidissimis, non coaevis conscriptas; multo magis de Evangelica historia certi esse debemus,

(a) *La Religion prouvée par la Resurrection de J. C. par Ditton.*

(b) *Soli Graeci,* inquit Lud. Vives *lib. II. De verit. fid. scripserunt Graeca, soli Romani sua prisca illa, quis ea de causa res illas vocat in controversiam?*

mus, quae refertur a multis historicis, coaevis, probis, humanae gloriae contemptoribus, qui in factis, quae narrant, coram omnibus, etiam inimicis patrata, nec falli, nec fallere potuerunt; imo et in testimonii sui confirmationem sanguinem fortiter effuderunt: qui veritatis characteres in nulla historia, praeterquam Evangelica, inveniuntur, et tamen increduli potius Pythagorae, Apollonii, Vespasiani fabulosa miracula credunt, quam certissima J. Christi. Qua quidem, ut observat *Card. Gerdil.* (a) nulla major rationis, et cordis potest esse perversio.

Objic. II. Si vera fuissent Christi miracula, Judaei omnes in Christum credidissent. Atqui plurimi non crediderunt. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Si ut par erat attendere voluissent, *conc.* Si invidia, aut praejudiciis, et cupiditatibus obcaecati attendere noluissent, *neg.* Judaei itaque partim odio, atque invidia excaecati, ut Pharisaei, et Sacerdotes, partim etiam praejudiciis, et cupiditatibus addicti erant. Quippe Messiam expectabant, ut potentissimum Regem, qui temporalia ipsis commoda procuraret: ideoque non attendebant, uti par erat, Christi miraculis, cum praesertim viderent, illum aliquando curare infirmos Sabato, quod ipsi falso putabant esse illicitum. Maluerunt itaque per summam stultitiam ejus prodigia, quae negare non poterant, tribuere Satanae, cum e contrario illa non solum superarent omnes creatas vires, verum etiam ad destruendum Satanae imperium tenderent. Porro unus Judaeus in Christum credens magis probat veritatem miraculorum ejus, quam mille increduli. Isti enim ad permanendum in veteri religione non indigent novis argumentis, at ille vetera praejudicia numquam retractabit, nisi rei evidentia victus, quod patet praesertim in conversione S. Pauli Apostoli (b). Et

(a) Gerdil *Introduzione allo studio della Religione Lib. II.*

(b) Vid. *La religion. prouvée par la conversion di S. Paul par Littleton.*

Et tamen ante Christi mortem tot fuerunt, qui in eum credebant, ut potuerint dicere Pharisaei: *Ecce mundus totus post Eum abiit Joan. XII.* 19. post resurrectionem vero tot millia Judaeorum, etiam Sacerdotum, crediderunt in Christum, ut principio ex solis ferme Judaeis constaret Ecclesia. Cur autem non sufficiat videre miraculum, ut quis credat, dicemus in Libro VII. ubi de Gratia disputabimus.

Inst. Apostoli, et alii, qui in Christum a principio crediderunt, homines erant rudiores. *Ergo* non poterant judicare, utrum miracula Christi naturalibus caussis tribui possent, hoc enim judicium hominum est doctiorum, qui tamen in Christum non credebant; quod argumento est, eos non agnovisse Christi prodigia, ut vera miracula.

Resp. Transeat ant. quod negari posset de multis, qui in Christum crediderunt, qualis erat Nicodemus *Joan. III. Princeps Judaeorum, Magister in Israel*, qui ingenue fassus est: *Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magister, nemo enim potest haec signa facere quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*: sed hujusmodi homines metu continebantur, ne se palam Christo adjungerent. Ceterum *neg. cons.* Non enim requiritur profundior doctrina ad dijudicandum, utrum cadaver quatriduanum possit uno vocis imperio ad vitam naturaliter revocari. Idem dices de ceteris Christi miraculis, quae fuerunt supra notissimas, et constantissimas naturae leges, quas nemo vel imperitissimus ignorat. Ex eo autem, quod plures docti, et principes in incredulitate manserunt, non sequitur, eos melius judicasse de miraculis Christi, sed majori superbia fuisse tumidos, et cupiditate praepeditos. Quod patuit tum in dialogo illo, quem describit Joannes *Cap. IX.* inter caecum a Christo illuminatum, et Pharisaeos; tum in concilio Sacerdotum. *Joan. XI.* in quo cum illi disputarent, *quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* etc., statutum est; *expedit, ut moriatur*.

Inst. 2. Scimus, Christianos nonnullos multa falsa narrasse miracula, vel ex falso, et insipienti zelo religionis, vel etiam ex simplicitate, et imperitia.

Ergo

Ergo idem Scriptoribus historiae Evangelicae contigere potuit.

℟. *Nego cons.* Ex eo enim, quod historia aliqua fabulosa sit, non sequitur, rejiciendas esse ut falsas omnes historias, sed illas tantum, quae falsitatis characteres praeseferunt; ejusmodi non est historia Evangelica, quae numero, gravitate, et certudine testimoniorum omnes alias historias vincit, ut supra diximus; ita ut certius sit, Christum innumera, veraque patrasse miracula, quam Caesarem extitisse.

Objic. III. contra Christi resurrectionem, quae si falsa fuisset, nutaret veritas omnium factorum, atque dictorum Christi, qui se resurrecturum praedixit. Illud factum censeri debet saltem dubium, quod pauci affirmant, sed plures negant. Sed resurrectionem Christi affirmabant ejus discipuli, qui paucissimi erant, si comparentur cum reliquis Judaeis, qui negabant. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Si illi, qui negant, nullis nitantur testibus, qui asserant, se vidisse contrarium, *neg.* Si nitantur contrariis testibus, *subdist.* Si testes negantes aequalis sint probitatis, gravitatis, etc. *conc.* Secus, *neg.* Itaque Judaei quamplurimi negarunt Christi resurrectionem, non quia nitebantur ullis testibus, qui assererent, se contrarium vidisse, scilicet Christi cadaver adhuc in sepulcro, vel alibi jacens; sed quia credere nolebant veritatem tot firmatam testibus spectatissimae probitatis, qui non solum testabantur, se vidisse, et manibus contrectasse Christum redivivum, cum eo collocutos esse, comedisse etc. verum etiam testimonium suum, ex quo nihil terrenae felicitatis sperare poterant, sanguine confirmabant, quo argumento nihil potest fingi validius ad factum aliquod probandum.

Objic. IV. Possunt phantasmata sensibus hominum ita illudere, ut videre, et audire sibi videantur quod revera nihil est. Multa hujus rei exempla refert *Muratorius* in aureo libello de *vi phantasiae*. Ergo potuerunt Discipulis phantasmata illudere, ut Christum redivivum se videre, et audire crederent.

℟. *Dist. ant.* Si sint plures homines simul collecti,

 et

et eodem tempore, et pluribus simul sensibus, scilicet visu, auditu, tactu rem percipiant, et quidem pluribus diebus, *neg.* aliter dubitare possemus etiam, utrum Sol luceat. Si sit aliquis homo seorsum, et uno, vel altero sensu rem apprehendat, et sic etiam *subdist.* Si sensus sit perfecte sanus, et sensatio clara, vivida, distincta, *neg.* Secus, *conc.*

Inst. Christus post mortem non semper Apostolis erat conspicuus, sed modo apparebat, modo evanescebat ab oculis eorum, ut contigit discipulis Emmaunta petentibus *Luc. XXIV.* 31. imo in cubiculum clausis januis ingredi videbatur, *Jo. XX.* 19. 26. Atqui ista vero corpori non conveniunt. Erat igitur phantasma.

℟. *Dist. min.* Si habetur ratio tantum virium naturae, *conc.* Si habeatur ratio omnipotentiae divinae, et peculiarium proprietatum, quibus corpus gloriosum ornatum est, *neg.* Itaque Christum redivivum verum habuisse corpus, illud ipsum scilicet, quod cruci fuerat affixum, patet ex eo, quod non solum conspiciebatur oculis, verum etiam attrectabatur manibus, loquebatur, manducabat, et reliquias discipulis tradebat. *Luc. XXIV.* 43. Quod autem a conspectu discipulorum se aliquando subducebat: (id enim significat *evanescere ab oculis eorum*) id omnipotentiae divinae tribuendum est, et agilitati corporis gloriosi.

Inst. 2. Fuerunt vel a primo Ecclesiae saeculo haeretici, qui sectam profitebantur nostris Evangeliis contrariam, ut Simoniani, Cerinthiani, Ebionitae etc. Ergo illi historiam Evangelicam non agnoscebant, ut veram.

℟. *Dist. ant.* Profitebantur sectam Evangeliis contrariam quoad dogmata, *conc.* Quoad historiam miraculorum Christi, *neg.* Simili ratione *Dist. cons.* Non agnoscebant ut veram historiam Evangelicam quoad aliqua dogmata, quae asserebant inserta Evangeliis, *conc.* quoad substantiam gestorum, et miraculorum Christi, *neg.* Itaque haeretici illi exorti post Apostolos, ut ipsis exprobrat *Tertullianus*, non negabant, Evangelii historiam veram esse, et ab Apostolis scriptam,

ptam, sed quia in Evangelio quaedam loca erant adeo ipsis adversa, ut non possent ea in alienos sensus detorquere; affirmabant contra fidem omnium codicum, qui toto orbe sparsi erant, loca illa fuisse Evangeliis superaddita post Apostolos, imo et nonnulli ex quatuor Evangeliis aliqua integra rejiciebant, aliqua suo ingenio vitiata retinebant: qua in re suam prodebant impudentiam. Nobis ergo satis est, veritatem miraculorum Christi ab ipsis haereticis fuisse agnitam quamvis unum Evangelii librum retinuissent. Quod enim spectat ad eorum prava dogmata, alia quaestio est. Vide hoc argumentum fuse pertractatum apud *Bergerum* (a).

Inst. 3. Refert Joannes *Cap. XX*, 17. Christum prohibuisse Magdalenam, ne eum tangeret, *Noli*, inquit, *me tangere*, Ergo spiritus erat.

℟. *Neg. cons.* Eo enim consilio prohibuit Christus Magdalenam, eum tangere, ne longas ibi moras necteret, sed cito volaret ad discipulos, eisque resurrectionem ejus nunciaret. *Noli*, inquit, *me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum, sed vade ad fratres meos etc.*

Objic. V. Si Christus vere resurrexisset, ostendisset se Synagogae, ceterisque Judaeis, quibus publice suam resurrectionem praedixerat, et coram quibus publice mortuus erat. Atqui non fecit, sed tantum discipulis suis apparuit. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Cum enim Christus tot testes suae resurrectionis adhibuisset, qui eam postea coram Judaeis et Gentilibus, miraculis, et sanguine confirmarunt, necesse non erat, ut Judaeis, praesertim tanto beneficio ob infandam ipsius Christi caedem indignis, sese ostenderet; si enim nihil credi deberet, nisi quod suis quisque oculis viderit, actum esset de morali certitudine: debuisset enim Christus sistere sese etiam Gentilibus, imo et singulis hominibus, etiam

(a) *La certitude des preuves du Christianisme, ou Refutation de l' Examen Critique des Apologistes de la Religion Chrétienne.*

etiam sequentium saeculorum, quod est absurdissimum. Quibus ergo, et quando oportuerit apparere Christum redivivum, disposuit ipse pro sua infinita sapientia, non pro ineptis hominum judiciis. Ceterum non solis discipulis apparuit Christus, sed etiam Paulo inimico omnium furentissimo, quem repente in Apostolum convertit, ut infra dicemus. Vide *D. Ditton* in libro supra citato. Porro veritas resurrectionis Christi magis patebit ex §. sequenti, quo probabimus, discipulos Christi ad eam confirmandam innumera edidisse miracula.

§. III.

PROPOSITIO.

Discipuli Christi, qui post eum Religionem Christianam praedicarunt, et propagarunt, innumera ediderunt miracula.

Prob. Lucas in *Actis Apostolorum* refert, discipulos Christi, die decima postquam Christum in caelos ascendentem viderant, cum antea metu pavidi domi se continuissent, repente Spiritu S. plenos exiisse, resurrectionem Christi praedicasse, variis linguis, quas numquam antea didicerant, locutos esse, infirmos uno vocis imperio, imo et sola corporis umbra curasse, mortuos suscitasse, et quod magis stupendum, est, contulisse virtutem miracula patrandi iis, quibus baptizatis manum imponebant: quae omnia uno verbo complexus est Marcus *Cap. XVI.* 20. dicens: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Haec si vera sunt, quis negaverit, discipulos Christi miracula patrasse? Atqui sunt certissima.

1. Etenim facta illa erant sensibus subjecta, et publica, ita ut nec discipuli *in* illis decipi, nec alios decipere potuissent, praesertim inimicos impugnandae eorum doctrinae cupidissimos, a quibus facillime mendacii redargui potuissent.

2. Marcus *Cap.* XVI. refert, Christum promisisse, eos,

eos, qui in ipsum crediturí essent, miracula patraturos: *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur etc. v.* 17. Atqui, si Christi discipuli miracula ista non edidissent, stultissime hanc praedictionem Christi retulissent, cujus falsitas universam doctrinam ejus labefactasset.

3. Apostolus Paulus *II. Cor. XII.* 12. ut probet missionis suae divinitatem, in memoriam revocat Corinthiis miracula, quae apud ipsos operatus erat: *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus*, imo in *Epist. I. Cap. XII.*, *XIII.*, *et XIV.* docet ipsos Corinthios ornatos esse donis varia prodigia patrandi, iisque modum praescribit, quo hujusmodi donis uterentur, ne perturbaretur ordo Ecclesiae. Quis autem, non dicam perfrictae frontis, sed omnino amens ista scribere ausus esset, si fuissent falsa? Ergo etc.

§. IV.

PROPOSITIO

Post mortem discipulorum Christi, usque ad nostram aetatem non defuerunt in Ecclesia Christi miracula; licet, stabilita jam Ecclesia, non tum frequentia; quia non tam necessaria.

Prob. Irenaeus Saec. II. probat adversus haereticos, Ecclesiam Catholicam esse veram, haereticorum autem falsam, praeter alia argumenta, etiam ex eo, quod in Ecclesia catholica frequentia essent miracula, nulla vero in societate haereticorum. *In fraternitate*, inquit *Lib. II. Cap.* 56, *et* 57. *saepissime reversus est spiritus mortuo, et donatus est homo orationibus sanctorum . . . Alii daemones excludunt: alii autem et praescientiam habent futurorum: alii laborantes aliqua infirmitate per manus impositionem curant, et sanos restituunt. Jam etiam; ut diximus; et mortui resurrexerunt, et perseveraverunt nobiscum annis multis. Quid autem? Non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum Ecclesia a Deo accipiens,* in

in nomine Jesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, in opitulationem Gentium perficit. De haereticis vero subdit: *haeretici non possunt caecis donare visum . . . , neque omnes daemones effugare, praeter eos, qui ab ipsis immittuntur.* Insignis est iste locus, quem laudat etiam Eusebius *Lib V. Hist. cap.* 7., et magnam vim habet. Quomodo enim *Iraeneus* facta ista tam publica, ut frequentes mortuorum resurrectiones, objicere ausus esset haereticis si falsa fuissent?

Praeterea Tertullianus Saec. III, *Apologet. XXIII.* hac sponsione provocat Gentiles: *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem daemone agi constet. Jussus a quolibet Christiano Spiritus ille, tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso . . . . , Ista ipsa virgo caelestis pluviarum pollicitatrix, iste ipse Æsculapius medicinarum demonstrator, . . . nisi se daemones esse confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? Quid hac probatione fidelius?* Vide etiam librum *ad Scapulam.* Similia habet Cyprianus *ad Demetrianum.* Quis autem tanta confidentia Gentiles provocasset; si haec non fuissent certissima? Igitur tertio saeculo non desunt miracula, quamvis non tam frequentia, quia minus necessaria. IV. vero saeculo, longe, lateque propagata Christiana religione, prostrata idololatria, non fuere amplius miracula necessaria; quae enim prioribus saeculis edita erant, et tot testibus confirmata, omnibus saeculis sufficiebant. Nihilominus non omnino cessarunt, ut patet ex historia Ecclesiastica *Eusebii, Socratis*, etc. ex scriptis SS. Patrum, ut S. Augustini, *Lib. XXII. De Civ. Dei Cap.* 8. de Reliquiis *S. Stephani.* Denique nullum est saeculum, quo non floruerint viri sanctitate, et miraculis illustres. Legant increduli egregium opus Benedicti XIV. *de Canonizatione Sanctorum*: perspicient profecto tam rigide, et accurate perpendi in Ecclesia catholica veritatem miraculorum, quae per viros Sanctos eduntur, ut ne Scepticus quidem severius examen postulare auderet. Ergo etc. Ceterum veritatem miraculorum, quae Apostoli, eorumque discipuli patrarunt: ma-

magis probat ipsa Christianae Religionis propagatio, quae si nullis miraculis facta est; ipsa maximum est miraculum.

§. V.

PROPOSITIO.

Christianae religionis propagatio maximum miraculum est, praesertim si nullis miraculis facta est.

Prob. Certum est, religionem Christianam ab Apostolis praedicatam, incredibili celeritate longe, lateque fuisse per orbem propagatam. Testatur hoc non solum *Paulus*, qui ad Romanos Cap. I. et ad Colossenses I. 6. scribit, fidem jam in universo Orbe *praedicari*, et *fructificare*, et *crescere*, verum etiam ex ethnicis 1.° *Seneca* Ethnicus Scriptor apud *Augustinum Lib. VI. de Civ. Dei Cap.* 11. haec scribens: *Usque eo sceleratissimae gentis Christianae consuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta sit: victi victoribus leges dederunt.* 2.° *Plinius* junior Asiae Proconsul *Lib. I. Ep.* 97. *Non civitates*, inquit, *tantum, sed vicos etiam, atque agros, Christianae religionis contagio pervagata est: prope jam desolata templa, et solemnia diu intermissa.* 3.° Ipse *Tacitus Lib. V. Annal. c.* 44. scribit, sub Nerone *ingentem multitudinem* Christianorum Romae deprehensam. Haec ad I. Saeculum pertinent, hoc est ad ipsa religionis Christianae initia. 4.° *Tertullianus II.* Saeculo *Apologet. Cap. XXXVII. Hesterni*, inquit, *sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, Palatium, Senatum, Forum.* Fremunt Imperatores, totisque Romani Imperii viribus Christianos opprimere conantur, eosque partim more pecudum jugulant, partim exquisitissimis tormentis, et cruciatibus absumunt. Sed sanguis martyrum semen erat Christianorum; ita ut magis in dies cresceret eorum numerus, donec toto fere Orbe ad fidem converso, Principes Christo nomen dederunt, et crucem, quam probro habuerant,

rant, adorarunt, et honoris loco in diademate gestarunt; sicque quarto ineunte saeculo per totum orbem Christiana religio statuta est. Atqui hoc maximum miraculum est. Ergo etc.

Prob. min. Miraculum est opus rarum supra naturae vires; atqui tanta, tamque celeris religionis Christianae propagatio talis est. Quod enim sit opus rarum, certissimum est; non enim consuetum est, ut homines religionem, in qua nati, atque innutriti sunt, sine ulla causa deserant, ut novam priori contrariam amplectantur. Quod autem sit supra naturae vires, probatur. Tunc effectum aliquod est supra naturae vires, quando ipsum per se est difficillimum, instrumenta vero assumuntur ineptissima: ut si quis ad movendum montem unum digitum adhibeat. Atqui utrumque hic habemus.

I. Opus ipsum per se difficillimum, imo impossibile erat duplici ex capite, *h. e.* tum ob veterem religionem, quae destruenda erat; tum ob novam stabiliendam. 1°. Ad veterem religionem abolendam persuadendum erat Judaeis, legem Mosaicam tot stupendis confirmatam prodigiis, quamque ipsi putabant, ex Dei promissione secundum litteram male intellecta, in aeternum esse duraturam, jam esse abolitam in morte Christi, quem ipsi tamquam impium occiderunt. Gentilibus vero persuadendum erat Jovem, aliosque deos, quos universum fere genus humanum a tot saeculis venerabatur, et quorum etiam falsa miracula, et prophetiae circumferebantur, abjiciendos, et conculcandos. Et tamen ex ea religione, quam populi cum lacte hauserant, et quae carnis cupiditatibus omnino favebat, putabant pendere salutem Reipublicae, ita ut ipsi Philosophi eam servandam edicerent, et Principes eam totis imperii viribus tuerentur. Quapropter ad destruendam idololatriam, destruenda erant praejudicia tot saeculis firmata, domandae carnis cupiditates, et superanda Romanorum potentia, quam nulla gens eo usque superaverat. Porro quam difficile, imo impossibile fuerit Gentilibus haec persuadere, expertus est *Socrates*, qui licet, ut vilissimus hypocrita, religionem popu-

li

la coleret, et colendam doceret, tamen; quia aliqua de vanitate deorum dixerat, ad cicutam ebibendam damnatus est. Quam vero impossibile fuerit persuadere Judaeis, videre possunt ipsi increduli. Judaei enim adhuc vivunt per omnes regiones dispersi. Eant ergo, experiantur, utrum possint unum eorum e sententia dimovere, licet hodie non sint, ut tunc erant, florentes opibus, sed extorres, sine ullo externo religionis apparatu; et manifeste videant impleta in ipsis vaticinia Prophetarum, et ipsius Christi.

2.° Multo magis difficile erat opus propter novam religionem stabiliendam. Persuadendum enim erat Judaeis, atque Gentilibus, Deum esse unum in tribus Personis: secundam vero Personam, nempe Filium, incarnatum esse, et natum ex Virgine, ipsumque esse, quem Judaei tamquam impium, et blasphemum morte damnaverant, et Romani crucifixerant, supplicio scilicet omnium ignominiosissimo. Persuadenda erant etiam cetera religionis Christianae mysteria rationi humanae impervia; et quod non minus difficile erat, statuenda erat lex cunctis cupiditatibus inimica, et ex vita laboribus, jejuniis, cruciatibus carnis aspera, nihil expectandum mercedis praeter odia, persecutiones, et mortem: plenam vero felicitatem servatam esse in resurrectione mortuorum, cujus resurrectionis ipsum nomen risum movebat infidelibus. Quis igitur haec tam incredibilia persuasisset? Ergo opus erat ipsum per se difficillimum, imo et impossibile; etsi omnes Philosophi, Oratores, et Principes saeculi conjunctis viribus illud adgressi essent.

II. At contra ad opus hoc tam impossibile instrumenta adhibita sunt, quae videbantur omnium ineptissima. Nam 1.° Christus ipse non solum erat e gente Judaeorum, qui omnibus aliis Gentibus odio erant, verum etiam ignobilis, *fabri filius*, ab ipsis concivibus suis odio habitus, et morte damnatus. 2.°. Apostoli, quos ipse legit tanto operi perficiendo, homines erant illiterati, rudes, piscatores, nullis muniti opibus, imo omnium rerum egeni. Et tamen Chirstus confidentissime praedicit, eos religionem

nem suam per omnem terram propagaturos, uti revera propagarunt, eamque Philosophis et Principibus persuaserunt, et in ea etiam regna ad quae Romani pervenire non potuerant, Christi nomen, et religionem invexerunt. Ergo propagatio religionis Christianae opus fuit ipsum per se impossibile, et ad illud perficiendum instrumenta per se ineptissima erant. Aliunde opus fuit insuetum. Ergo maximum fuit miraculum, praesertim si ad illud perficiendum nulla patrata fuissent miracula. Unde egregie, h. c. pro more suo scribit Augustinus *Lib. XXII. de Civ. Dei C. 5. Si miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine ullis miraculis credidit* (a).

Refutantur Objectiones.

Objic. 1. Mahumetana religio summa celeritate per magnam Asiae, atque Africae partem propagata est, imo et tractu temporis in Thraciam, et Macedoniam, et Epirum, et Peloponnesum, vicinasque insulas invecta. Idem accidit in Lutheranae et Calvinianae sectae propagatione. Ergo celeris Christianae religionis propagatio miraculum non fuit.

R. *Dist. ant.* Diverso modo, *conc.* Eodem, *neg.* Propagata enim est vi, et armis; unde in ea loca, quae Mahumetanorum arma subigere non potuerunt, Mahumetana religio pervenire non potuit. Praeterea cupiditatibus carnis favet illa religio. At contra accidit in Christiana religione, quae cupiditatibus inimica, praedicans etiam mysteria, quae humanam rationem longe superant, contra vim, et arma, nullis humanis adminiculis per totum orbem diffusa est (b). Idem dicas de Lutheranae, et Calvinianae sectae propagatione, quam viri principes libenter amplectebantur, et tuebantur, ut ditarentur Ecclesiasticorum spo-

(a) Vide P. Lamy *L' incredule amenè a la religion.*

(b) Vide Nat. Alexandrum in *Hist. Eccl. Saec. VII. Dissertat. VI.* aliosque auctores, quos infra citabimus contra Mahumetanos.

spoliis: ceteri vero, ut liberati a votorum, et aliarum legum observatione liberius viverent.

Inst. Etiam religio Christiana Edictis, vel saltem exemplo Christianorum Principum maximum debet incrementum. Notae sunt Constantini leges contra idololatriam Ergo etc. Ita ratiocinatur *Freret, Exam. crit.*

℞. *Neg. ant.* Non enim alia de caussa id asserunt increduli, nisi quia gratis illis constant mendacia. Vidimus, *Plinium* juniorem annis circiter ducentis ante Constantinum asserere, *templa deorum esse desolata*, propter religionem Christianam longe, lateque propagatam. Ante Constantinum per annos quasi trecentos Principes totis Imperii viribus pro Idololatria certantes, sanguine Christianorum universum Orbem resperserunt; et tamen eo magis crevit haec Religio, quo major effundebatur Christiani sanguinis copia, ut observat non solum *Tertullianus* in *Apolog.* verum etiam ipse *Libanius* ethnicus *Orat: funebri pro Juliano*: Itaque quando Imperatores ad Christum conversi sunt (utique non aliorum Imperatorum lege, sed sponte sua) Religio jam fuerat stabilita, etiam ultra fines Romani imperii apud barbaros. Ipse Christianorum Principum leges (quae tamen non saeviebant in Idololatras, ut illi in Christianos saevierant) demonstrant, jam exiguum remansisse numerum ethnicorum; alioquin non ausi essent Imperatores eos legibus coercere, et ita ad seditionem provocare. Qui quidem exiguus numerus ipse per se evanuisset brevi tempore, sicut revera evanuit, quamvis Julianus Apostata post Constantinum omnia conatus esset ad idololatriam restituendam. Vide *Bergerum Confut. exam. Critic. Freret.*

Objic. II. Tempore Apostolorum jam Orbis erat litteris excultus. Potuit ergo facile agnoscere Idololatriae vanitatem, et Christianam amplecti religionem.

℞. *Neg. cons.* 1°. Enim aliud est agnoscere Idololatriae vanitatem, aliud amplecti Religionem voluptatibus inimicam, et misteria docentem, quae prima fronte rationi contraria videbantur. 2°. Litterati ethnici magis obstabant, quam proderant augendae

dae Religioni, non solum quia propter superbiam difficillime subjiciebantur humilitati crucis, quae *Gentibus* erat *stultitia*, verum etiam quia totis ingenii sui viribus et voce, et scriptis Religionem oppugnarunt. Unde conversio hujusmodi hominum, quibus non poterat illudi falsis miraculis, ingens est veritatis argumentum; non enim credidissent, nisi eorum doctrinam, et superbiam evidentia miraculorum fregisset. 3.° Talis hominum, atque ingeniorum cultura non impediit, quominus Imperatores totis viribus Religionem Christianam oppugnarent, totumque orbem sanguine martyrum respergerent. 4°. Multo cultior literis erat Graecia tempore *Platonis*, *Aristotelis*, *Demosthenis*, nec tamen Idololatriam ejuravit. 5°. Denique qui erant inter Ethnicos litterati docebant, sequendam esse et colendam religionem populi, qui quanto rudior, tanto est veteris religionis tenacior.

Objic. III. Principio Religioni Christianae nomen dedit tantum ignobile vulgus, rudis, et indocta plebs. Ergo mira non est tanta religionis propagatio.

℟. *Transeat. ant. Neg. cons.* Imo populus ignobilis quanto rudior, tanto tenacior est veteris Religionis, in qua a teneris fuit enutritus, et cujus falsitatem deprehendere non valet; unde mirabilior est ejus conversio, praesertim si vetus Religio carnales populi voluptates, et desideria foveat. Dixi autem *transeat antecedens*; quia falsissimum est. Christo enim ante ejus mortem credidit *Nicodemus Princeps Judaeorum* Joh. III. 1. *Joseph ab Arimataea nobilis Decurio* Marc. XV 43. *Jairus Princeps Synagogae* Luc. VIII. 41. *Multi* denique *ex principibus* Joan. XII. 42. Post mortem vero Paulus erat utique omnium Hebraeorum sui temporis doctissimus: qui tamen ad fidem conversus est, dum iret Damascum ad Christianos insectandos (quod stupendum prodigium est) *Multa* quoque *turba Sacerdotum obediebat fidei Act. VI.* 7. Primi Diaconi viri erant *pleni sapientia*, inter quos utique Stephanus erat in lege doctissimus. Praeterea *Sergius Paulus Act. XIII.* 12. *Dionysius* Areopagita *Act. XVII.* 34. *Crispus* princeps Synagogae *Act. XVIII.* 8. et Apollo vir eloquentissimus, et in Scriptu-

ris

tis versatus *Act. XVIII.* 24. Beroeae vero Primores ad fidem conversi, Scripturas evolvebant attente, ut veritatem agnoscerent eorum, quae a Paulo dicta erant, *Act. XVII.* 11. Quod certe facere non potuisset illitterata plebecula. Ephesi vero viri innumeri, litteris exculti, ad fidem conversi sunt, et *contulerunt libros suos*, quibus antea studuerant, *et combusserunt coram omnibus*, et *computatis pretiis illorum, invenerunt, pecuniam denariorum quinquaginta millium Act. XIX.* 19. *Principes* etiam *Asiae inter Pauli amicos* commemorantur *Act. XIX.* 31. Imo et in ipsa Imperatorum domo erant fideles *Philip. IV.* 22. Quid si aliorum Apostolorum gesta, et omnium primorum fidelium nomina haberemus? Scribit quidem *Paulus* 1. *Cor. I.* 26. *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles*, sed id referendum ad ingentem fidelium multitudinem, inter quos semper indocti, et ignobiles plures numero sunt, sed non dixit, *nullos* esse sapientes, *nullos* nobiles. In hoc igitur Sapientia Dei mirabilior est; fuerunt enim inter primos Christianos viri nobilitate, et scientia illustres; ne quis putaret falsis miraculis deceptum fuisse vulgus; sed tamen viri illi nobiles, et sapientes magno in numero non fuerunt, ne forte sapientiae, et potentiae humanae tribui posset Religionis propagatio.

Inst. Saltem pauperes illici potuerunt eleemosynis divitum: divites vero amore novitatis. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Neque enim eleemosynarum cupido, nec novarum rerum studium persuadere possunt hominibus, ut veterem religionem abjiciant, novamque amplectantur cum fortunarum omnium, ipsiusque vitae praesentissimo periculo.

§. VI.

§. VI.

PROPOSITIO

Ipsa Christianae Religionis diuturnitas, et stabilitas miraculum est.

Prob. Praedixit Christus, Religionem suam non solum propagandam per omnes gentes, verum etiam usque ad finem mundi duraturam. Hoc videmus ad hanc usque diem impletum. Licet enim ingens Christianorum numerus a fide defecerit in Asia, Africa, ipsaque Europa; non omnino tamen ibi veri fideles defecerunt; imo eum magna aliqua Ecclesiae pars defecit, statim in alias regiones religio invecta est, Manet enim adhuc in Ecclesia vivificus ille ardor dilatandae Religionis qui a principio Apostolos incitavit. Atqui haec Religionis Christianae diuturnitas naturalibus caussis tribui non potest. Ergo miraculum est.

Prob. min. 1.° Ea est conditio rerum humanarum, ut paullatim, etiam nemine impellente corruant, ac pereant, licet validissimae sint. Sic Assyriorum, Medorum, Graecorum, et Romanorum imperia, quae nulla humana vi atteri posse videbantur, evanuerunt. Ergo si Christiana Religio non fuisset divinitus servata, jamdiu periisset. 2.° Ad eam abolendam omnia adhibita sunt instrumenta. Principes enim Ethenici per plura saecula eam ubique locorum insectati sunt: Christianos, quotquot deprehendere potuerunt, morte atrocissima necarunt. Et tamen tunc Ecclesia magis floruit, et crevit. Huic persecutioni successit quidem pax sub Constantino, sed amarissima. Schismatici enim, et Haeritici Ariani, Eutychiani, Inconomachi, denique Novatores bellum atrox Ecclesiae intulerunt; praecipue Principum potentia freti, qui cunctis Imperii viribus haereses statuere conabantur. Cum vero legimus incursiones barbarorum, qui Romanum imperium in Occidente primum, deinde in Oriente occuparunt, interroga-

re

re subit, ubinam gentium tunc esset, aut esse posset Ecclesia Christi? Denique malorum Christianorum pravi mores longe, lateque pervagati, incredulorum libelli, et sophismata extinguere paullatim Religionem debuissent. Et tamen Ecclesia contra ista omnia jam per octodecim saecula dimicat, novasque vires exerit, in novas dilatatur regiones, et ubique in suis firmissimis membris eminet. Hoc autem ex nulla oriri potest naturali caussa. Ergo.

Objecta refutantur.

Objic. I. Etiam religio Mahumetana a tredecim circiter saeculis perdurat. Ergo etc,

℟. *Dist. ant.* Vi, et armis, et ignorantia populorum, quibus religionem illam examinare vetitum est, carnalibus denique voluptatibus, quas fovet, *conc.* Virtute sua, *neg.* At contra Religio Christiana, licet humanis cupiditatibus inimica nihil promittat fidelibus, nisi spiritualia praemia, et quidem in altera vita, licet omnibus artificiis, et viribus impugnata, non modo non cessit, verum etiam crevit.

Objic. II. Religio Judaica diutius duravit, et durat, quam Christiana, quia pluribus saeculis ante Christum fundata est. Ergo.

℟. *Neg: cons.* Religio enim Judaica ante Christum vera erat, et a Deo instituta, atque recta, ut usque ad Christum staret. Sed praedixit Deus multos Judaeorum fore incredulos, ideoque per omnem terram dispergendos; ita tamen ut a ceteris Gentibus distincti in fine saeculorum convertantur, et interim inviti inserviant ad probandam veritatem tum prophetiae, tum librorum propheticorum, quos increduli suspicari potuissent a Christianis confictos. Itaque diuturnitas Judaicae Religionis ante Christum, et Judaicae Gentis post Christum firmat potius quam labefactat argumentum nostrum.

§. VII.

§. VII.

Constantia martyrum evidenter demonstrat veritatem miraculorum Christianae Religionis;

Adv. I. 'Martyr Graece, Latine testis dicitur, Testes autem adhibentur ad facti alicujus veritatem probandam, ad *speculativa* vero dogmata confirmanda nulli esse possunt, nec adhiberi testes. Hinc illi, qui occisi sunt propterea quod a sua opinione aut dogmate recedere noluerunt, quales fuerunt Anabaptistae, aliique haeretici, martyres, seu testes dici non poterant. Quid enim se vidisse, aut audisse testabantur? Erant ergo testes opinionis, et pertinaciae suae.

II. At contra Christiana Religio veros martyres habet innumerabiles; hoc est homines innumeros, qui usque ad sanguinem, et mortem, inter exquisitissima, et atrocissima tormenta testati sunt, se vidisse vel ipsius Christi miracula, et resurrectionem, quales erant Apostoli, primique discipuli, quorum ea vox erat: *Non possumus nos quae vidimus, et audivimus, non loqui*; vel miracula Apostolorum, aliorumque discipulorum, quae tribus prioribus saeculis, ut supra diximus, frequentia erant. Christiani enim non *nascebantur*, sed *fiebant*, ut loquitur Tertullianus *Apol. Cap. XVIII.*; h. e. evidentia miraculorum convertebantur, ideoque ii, qui pro Religione sanguinem fundebant, facto ipso testabantur, se certo scire veritatem miraculorum, quibus ad fidem amplectendam permoti fuerant. Etsi vero nonnulli martyres propriis oculis signa illa non vidissent, non propterea tamen martyrum nomen illis est negandum; poterant enim certo scire facta illa, licet ea propriis oculis non adspexissent; sicut nos certo scimus, vixisse Caesarem, quem non vidimus. Nunc hoc martyrum testimonium quanti sit roboris videamus.

PRO-

PROPOSITIO I.

Martyrum testimonium ineluctabile argumentum est veritatis miraculorum Rel. Christianae.

Prob. Quando factum aliquod testantur duo, vel tres homines inter tormenta, tantam parit certitudinem hoc testimonium, ut nulla major in rebus humanis expectari possit. Videmus enim, ubique terrarum judices propter tale testimonium reos damnare, ut certo convinctos; licet testes illi ex odio, simultate, aut utilitate alia permoveri potuerint. Ergo testimonium non duorum, aut trium, sed multorum millium hominum, ex omni aetate, sexu, conditione, qui nulla utilitate apparente, inter tormenta crudelissima mortui sunt, argumentum est ineluctabile veritatis miraculorum. Quocumque se increduli vertant, cavillationes, et sophismata effutiant; scopulum certe hunc numquam vitabunt; quando enim multi factum aliquod, in quo falli non poterant, quia oculis, aliisque sensibus erat obvium, testantur in ipso tormentorum, et mortis apparatu; res ad eum certitudinis gradum venit, qua major fingi non potest.

Solvuntur objectiones.

Objic. I. Henricus Dodvvellus *Dissert. XI. inter Cyprianicas* contendit, non tantum esse numerum martyrum, quantus passim fertur. Ergo.

℟. 1. *Dist. ant.* Et in eo egregie falsus est, *conc.* Et vere id asseruit homo haereticus, qui hoc decus catholicae Ecclesiae invidebat, *neg.* Itaque immensum fuisse martyrum numerum, sive in Romano Imperio, sive extra Imperium sub barbaris Principibus, demonstrat *Ruinartus Praef. ad acta Martyr. Sincer.* et unusquisque colligere potest ex sola *Eusebii*, *Lactantii*, *Tertulliani*, aliorumque veterum lectione. Ceterum etsi daremus vanissimam illam *Dodvvelli* hypo-

 the-

thesim; certe numerus martyrum, quem ille concedit, plusquam satis esset ad rem nostram.

Objic. II. Martyres non torquebantur, ut faterentur veritatem, aut falsitatem miraculorum; sed quia accusati fuerant, ut Christiani, vel ut homines criminosi, et Reipublicae inimici. Ergo eorum testimonium non probat veritatem factorum.

R. *Transeat ant.* quod manifeste falsum est in Apostolis; qui ob id ipsum flagris, carceribus, et morte afficiebantur, ne praedicarent Resurrectionem Christi, ut ex *Actis Apost.* patet. *Neg. cons.* Cum enim martyres tormenta vitare potuissent, si uno verbo Religionem Christi ejurassent; idem erat mori pro religione illa, ac pro tuenda veritate signorum, quibus permoti eam amplexi fuerant, et constanter retinebant.

Atque hinc evidenter ostendit *Tertullianus*, Christianos nullius criminis peractos esse reos. In aliis enim judiciis tormenta adhibentur, ut reus fateatur, non ut neget, se crimen admisisse. At contra Christiani torquebantur, ut se Christianos esse negarent. Imo Trajanus edixit, ut Christiani non inquirerentur, sed accusati supplicio afficerentur. *O sententiam necessitate confusam!* inquit Tertullianus *Apolog. Cap. 2. negat inquirendos, ut innocentes, et mandat puniendos, ut nocentes.*

PROPOSITIO II.

Ipsa per se martyrum Christianorum fortitudo, atque constantia, inspectis omnibus circumstantiis, non humanum, sed divinum opus fuit.

Prob. Tres sunt praecipuae in Christianis martyribus circumstantiae. 1°. Numerus immensus omnis aetatis, omnis sexus, omnis conditionis, scilicet senes, adolescentes, pueri; mulieres, puellae, docti, indoctique, nobiles, et ignobiles. In sola enim Saporis Regis Persarum persecutione, quae contigit post pacem Ecclesiae datam a Constantino sexdecim millia martyrum numerat *Sozomenus Lib. II. Hist. Cap.* 14.

Cap. 14. quorum servata erant nomina, praeter eos, quorum nomina perierant. Quot ergo centena millia Christianorum caesa esse oportuit in Imperio Romano per tria ferme saecula sub Imperatoribus, et magistratibus crudelissimis? 2°. Varia, et acerbissima tormenta, quibus excruciabantur jussu magistratuum; qui gloriae sibi ducebant fore, si martyrum constantiam expugnassent. Alii enim feris objiciebantur, alii admotis facibus, vel prunis subjectis, vel ignitis ferri laminis in membris singulis paulatim lento igne torquebantur. Aliis in equuleo suspensis omnis ossium, et viscerum compages solvebatur; et ungulis ferreis totum corpus excarnificabatur, ut nullus adhuc plagis superesset locus, tuncque acetum, et sal superfundebatur; et quis omnia enumeret tormenta, quae ingeniosa crudelitas excogitavit? *V. Mamach. Antiqu. Christ.* 3°. Animus pacatus, et tranquillus, quo et ante tyrannos stabant impavidi, et inter ipsa tormenta, quasi omnis sensus expertes essent, durabant immobiles.

Atqui haec tria non humanae virtuti tribui possunt, sed divinae. Nam 1°. si rationem habeamus multitudinis martyrum, et variae conditionis, utique si qua virtus in uno valuisset, non valuisset in alio, propter aetatem, sexum, conditionem imbecilliori. 2°. Si inspiciamus varia, eaque atrocissima, et longa tormenta, experiri possunt ipsi increduli, utrum humanae virtuti tribui possint. Prodeant enim ipsi in publicum, et ut probent, nullius roboris esse argumentum a martyrum constantia petitum, admoveant saltem flammae extremum digitum; et videant, si per unum horae quadrantem in eo cruciatu durare possint. Quid dicent igitur de membris singulis lento igne ustulatis? quid de laceratione totius corporis? quid de ossium fractura, et luxatione? quid de aliis tormentis fortasse majoribus, quibus martyres diu torquebantur, donec animam efflarent? 3°. Denique animus ante trucis tyranni vultum impavidus, et inter tormenta longam mortem inferentia pacatus, imo et laetus, humanae virtutis

non est; haec enim omnia animum naturaliter concutiunt, et perturbant.

Diluuntur objecta.

Objic. I. Suos unaquaeque Religio habuit martyres. Habuerunt enim Donatistae, Priscillianistae, Montanistae, Manichaei, Hussitae, Anabaptistae, Calviniani; denique ipsi Athei martyrem suum jactant *Caesarem Vaninum*, qui Tolosae combustus est. Ergo.

℞. *Dist. ant.* Habuit martyres veros, *neg.* Falsos, *subdist.* non iisdem ornatos characteribus, et circumstantiis, quibus martyres Christiani, *conc.* Iisdem, *neg.* Veri itaque martyres, ut supra diximus, sunt qui testantur factum aliquod sensibus obvium, quod vel ipsi viderunt, vel aliunde certo scire potuerunt. Hujusmodi testes sola habuit Christiana Religio, ut observat *Ab. de Houteville* (*a*). Reliqui vero alterius cujuscumque Religionis homines nullum omnino testari poterant se vidisse, aut audivisse factum, propter quod Religionem illam amplexi erant. Erant ergo martyres opinionis, et pertinaciae suae. Praeterea non fuerunt iis characteribus ornati, quibus Christiani martyres. Fuerunt pauci, hoc est unus, aut alter; non fuerunt longis tentati cruciatibus, sed cita morte interempti: denique non fuerunt ejusdem probitatis, nec animum habuerunt in tormentis adeo pacatum, et sui compotem, ut martyres Christiani. De *Caesare Vanino ex: gr.* constat, illum omnia tentasse, etiam hypocrisim, ut mortem vitaret. Cum tamen frustra omnia expertus esset, morte damnatus, vultu truci, animo perturbato, furiis agitatus, ad supplicium tractus est. *V. Bart. Gramond. Hist. Galliae Lib. III.*

Inst. Nota est *Augustini* sententia *Serm.* 1. *in Ps. XXXIV. n.* 13. quae et in proloquium transiit: *martyrem facit non poena, sed caussa.* Ergo potius ex verita-

(*a*) *Verité de la Religion Chrétienne prouvée par les faits.* Vide etiam Bonnet: *Palingenesie Philosophique.* Berger *Certitude des preuves etc.*

ritate Religionis probari debent veri martyres, quam ex martyribus veritas Religionis.

℟. 1°. *Neg. cons.* Laudata enim *Augustini* sententia confirmat quod paulo ante diximus, non sufficere sanguinis effusionem, ipsamque mortem, ut quis martyr vere censeatur, sed praeterea requiri, ut mortem oppetat in testimonium factorum, seu miraculorum, quibus probatur veritas Religionis. Si ergo aliquis in alia secta occidatur, quae hujusmodi miraculis non probatur, is non vere martyr est.

℟. 2°. *Dist. ant.* Si loquamur, de uno, aut altero martyre, quales erant falsi martyres haereticorum, quos refutat *Augustinus*, *conc.* Si loquamur de universis martyribus, qui pro religione Christiana sanguinem fuderunt, *neg.* Stabilita enim veritate Religionis, non solum tot millium martyrum testimonio, verum etiam tot aliis sine ulla dubitatione firmissimis argumentis; si quem videamus pro alia religione sanguinem fundere, eum certissimo praejudicio falsum martyrem judicabimus.

Objic. II. Martyres reddere potuit ad perferenda supplicia promptiores vel stupiditas, vel inanis gloriae cupido, vel denique fanaticus quidam furor. Ergo.

℟. *Neg. ant.* 1°. Stupiditas martyribus nostris objici non potest. Numquid enim stupidi homines erant *Justinus*, *Irenaeus*, *Cyprianus*; ad altiora ascendamus, *Stephanus*, *Paulus*, *Petrus*? Denique utcumque stupidos fingas homines, ii nec mortis horrorem, nec vitae conservandae desiderium possunt exuere.

2°. Nec inanis gloriae cupido. Gentilibus enim Christianorum nomen probro erat. Christianis autem non semper nota erant nomina, nec semper servabatur memoria eorum, qui pro Christo mortem oppetierant. Demum quinam post mortem gloriolae hujus sensus superesse poterat, qui martyres allicere posset ad mortem appetendam?

3°. Nec fanaticus furor. Impavidus enim ille animus, pacatus, atque inter ipsa tormenta tranquillus, fanaticorum hominum non est. Adde, furorem hunc, licet in uno, aut altero homine, vel in pluribus quidem

dem; sed brevi tempore, et in eadem regione esse possit; non tamen universum orbem pervadere posse, totque homines invadere diversae aetatis, sexus, conditionis, et tamdiu perdurare. Uno verbo; aliud est scribere, martyrium esse facile, aliud est martyrium pati.

§. VIII.

PROPOSITIO.

Ipsa doctrinae Christianae puritas, sanctitas Auctoris, ejusque discipulorum, humanae virtutis opus non est.

Prob. 1. *pars.* Humanum non est in nullo errare. Ipsi enim Philosophi *Plato*, *Aristoteles*, *Zeno*, (ut omittamus *Epicurum*) ipsique legislatores *Lycurgus*, et Romani in gravissimos errores lapsi sunt, ut supra advertimus *Cap.* 3. *prop.* 1. Quanto magis igitur si aliqui homines rudes, et illitterati cathedram ascendant, docturi totum genus humanum, monstrosa, et absurda errorum portenta fundere necesse est? Atqui tamen Christus, qui numquam litteras didicerat, ejusque discipuli rudes, illitterati piscatores, doctrinam docuerunt, in qua ab XVIII. saeculis ejus inimici nullum deprehendere potuerunt errorem, licet eam subtilissime examinaverint. Neque vero illa lucem odit, aut timet, ut Mahumetana, aliave religio, sed quo magis, renatis litteris, est ad examen revocata, eo magis ejus est perspecta, ac demonstrata veritas, et sanctitas. Nam si spectes Christianae religionis ethicam, quae officia hominis erga Deum, erga seipsum, erga proximum, erga rempublicam statuit; adeo certa illa est, justa, et omnibus numeris absoluta, ut ipsi ejus hostes fateri coacti sint, eam ad perficiendum hominem, et civem adprime idoneam esse. Si vero spectes *theoretica* dogmata; certe quae rationem naturalem non excedunt, ea evidenter vera sunt; quae rationem excedunt, ut mysteria, numquam adhuc demonstrari potuerunt falsa: imo

imo ipsa eorum sublimitas ostendit, ea non esse ab hominibus excogitata, et inventa. Homines enim, si suo cerebro aliqua dogmata cudere voluissent, aptassent se potius humano ingenio, et rationi, ut ea facilius auditoribus persuaderent. Ergo.

Prob. 2. *pars.* Christi sanctitas ex tota vitae ejus serie elucet, quae non minus supra humanam virtutem fuit, quam ipsa miracula, ut fatetur ipse Rousseaujus *in Emilio.* Quam quidem sanctitatem nemo diu affectare, et simulare potest, praesertim coram inimicis. At cum ipse Christus inimicos suos confidenter provocaverit: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan. VIII.* 46. nemo hiscere ausus est; et in tribunalibus coram Judaeorum principibus, et ipso ethnico judice Pilato sola ejus sanctitas, ipso tacente, calumnias omnes dispulit, nec ullus umquam vel levissimam maculam hucusque ipsi potuit adspergere. Id confirmari etiam posset celeberrimo *Josephi* Judaei testimonio *Lib. XVIII. Antiq. Cap.* 4. *Fuit*, inquit, *hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere; erat enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur, et plurimos ex Iudaeis, plurimos etiam ex gentibus ad se pertraxit. Cumque a primoribus gentis suae ad crucem damnatus esset, ab eo diligendo non abstinuerunt qui primum dilexerant eum. Post tertium diem redivivus ipsis apparuit, cum divini Vates haec, et alia plurima admiranda praedixissent.* Citant hunc locum non solum *Isidorus* Pelusiota *Lib. IV. epist.* 225. Sozomenus *Lib. I. Hist. cap.* 1. Hegesippus *Lib. II. de Excidio Jud. cap.* 12. *Nicephorus, Zonaras*, aliique; verum etiam *Hieronymus Lib. de Script. Eccl.* Eusebius *Lib. IV. Demonstr. Evang.* viri utique emunctae naris, quos credibile non est aut vitiatos habuisse codices, aut fraudem non advertisse; nec deest in vetustioribus Latinis, aut Graecis codicibus. Unde credibile est, ab ipsis Judaeis fuisse abrasum e nonnullis exemplaribus, in quae forte inciderunt *Justinus, Clemens Alexandrinus*, aliique, qui ejus loci non meminerunt. Nec verisimile est, *Josephum*, qui in Gentis suae historia recenset alia multo minora *ex. gr.* de

de *Jo: Baptista*, de *Jacobo* fratre Domini, silaisse multo graviora de Christo, praesertim cum ejus aetate Christianorum nomen longe, lateque esset etiam apud Gentiles pervagatum. Falsum autem est quod dicunt nonnulli, eum locum, aut stilum habere diversum, aut filum orationis interrumpere, quia contrarium legenti patet; aut *Josephum*; utique alienum a religione Christiana, non potuisse ista scribere de Christo; quia ipsi Judaei ea dissimulare, et negare non poterant. *Hubertus Gifanius*, et *Lucas Osiander* primi de veritate hujus loci dubitarunt, quos secuti sunt *Salmasius*, *Blondellus*, et alii. Etsi autem facile esset eos refellere; tamen quia nobis necessarium non est hoc *Josephi* testimonium; consuli possunt *Huetius*, *Nat. Alexander*, *Bellarminus*, *Sixtus Senensis*, *Laur. Berti*, et qui omnium eruditissime scripsit *Carolus Daubuzius*.

Denique addi potest etiam sanctitas discipulorum Christi, et miranda morum conversio, quae in orbe tunc corruptissimo, et infandis vitiis immerso, facta est per praedicationem Evangelii, quam morum reformationem Philosophi numquam efficere potuerunt non solum in populo, sed nec in seipsis. Sed jam ad alia progrediendum est (*a*).

CA-

(a) Demonstrationem veritatis Christianae Religionis videre potes inter veteres apud *Clementem Alex*, *Athenagoram*, *Justinum*, *Origenem cont. Celsum*, *Eusebium in Praep. et Dem. Evang.* *Chrysostomum Hom.* quod Christus sit Deus, *Augustinum variis lib.* *Teodoretum de Graec. affect.* S. *Thomam cont. Gent.* Inter recentiores *Grotium*, *Huetium*, *Paschalem*, *Hookium*, *Clarkium*. *D. de Houtteville*, *D. Le Francois*, *Addissonum*, *Valsechium*, *Bergerum*, *Abbadie*, *Gerdil*, etc. quorum tamen nonnulli caute legendi sunt; *Duguet* Traite des principes de la foi, Chretien *Leland* Nouvelle de monstration Evangelique *Gilb. Burnet Defense de la religion*, aliique apud *Fabricium* in *Syllabo Auctorum de verit. Relig.* Vide etiam opus egregium novissime editum: *La Religione dimostrata, e difesa da Mons. Alessandro Tassoni.*

CAPUT VIII.

Consectaria praecedentis Capitis, ac praesertim de veritate, ac divinitate librorum Sacrae Scripturae.

PROPOSITIO I.

Christiana Religio divinitus revelata, et instituta est.

Prob. Religio propheliis, et miraculis confirmata nonnisi a Deo institui potuit. Talis est Christiana Religio, ut *Cap.* superiori ostendimus. Ergo.

PROPOSITIO II.

Dogmata Religionis Christianae etiam ea, quorum caussas, rationes, modumque ignoramus, vera sunt.

Prob. Quae a Deo sunt revelata, ea licet ratione assequi non possimus, vera sunt, ut supra ostendimus, At dogmata religionis Christianae a Deo revelata sunt, quia idem est revelatam esse Religionem, ac revelata esse ejus dogmata. Sunt igitur vera, licet ratione assequi non possimus eorum rationes.

PROPOSITIO III.

Sacrae Scripturae libri tum veteris, tum novi Testamenti divinitus inspirati sunt.

Prob. Dogmata enim Christianae religionis vera sunt, ut paulo ante ostendimus. At Christiana Religio docet, libros utriusque Testamenti divinitus inspiratos esse; licet enim nonnulli, qui Christiano nomine gloriantur, aliquot libros non admittant in *canonem* librorum aut veteris, aut novi Testamenti; omnes tamen Christiani uno ore docent, libros, qui in eo canone sunt, divinitus esse inspiratos. Ergo etc.

etc. Quinam autem libri in canone Scripturarum recenseri debeant, sequenti Libro dicemus. Sed contra hanc prop. multa increduli objiciunt, quae solvenda sunt.

Solvuntur objectiones.

Objic. I. Non potuerunt divina inspiratione scribi quae falsa sunt. Sed in Scripturi tum veteris, tum novi foederis nonnulla falsa sunt. Nam Mundi chronologia in Pentateucho descripta multo recentior est ea, quam Scriptores vetustissimi tradunt: *ex. gr. Manetho* in Historia Ægyptiorum varias enumerat populi illius *Dynastias*, seu principatus, qui conficiunt annos 53535. *Berosus* ait, Chaldaeos habere Astronomicas observationes annorum 480000: denique annales Sinensium testantur, Gentem illam longe vetustissimam, et diluvio antiquiorem habuisse originem. Ergo.

℟. *Neg. min.* 1°. ratione generali, quia quaecumque chronologia contraria est libris, quos demonstravimus veros, et divinitus inspiratos, falsa est. 2°. quia Scriptores illi, qui in Gentis suae adulationem tantam finxerunt antiquitatem, longe posteriores sunt Moyse; ipsa autem ratio dictat, ut in rerum historiis praeferamus auctores vetustiores, et viciniores rebus, quas enarrant. 3°. quia Scriptores isti, quorum chronologia Mosaicae contraria est, innumeris scatent fabulis, quas increduli libenter deglutiunt. 4°. quia Dynastiae Ægyptiorum, si verae sunt, non fuerunt unius, et ejusdem Regni, sed series quaedam Regulorum, qui eodem tempore variis Ægypti regionibus imperitarunt, ut observant eruditi. 5.° quia *Berosus* recentissimus scriptor manifesti mendacii convincitur ex eo quod Callisthenes rogante *Aristotele* Babylonicas observationes diligenter inspexit, quae non excedebant annos 1093. 6°. Sinensium Annales incertissimos esse, imo, et fabulis refertos ostendunt *P. Du Halde* in Historia, et *D. Fouquet* in Chronologia Sinensium, uterque multis annis apud Sinenses commorati, quos vide.

Objic.

Objic. II. Narrat Moyses, ex uno homine Adam in universam terram disseminatum esse genus humanum. Id vero falsum videtur 1.° quia Americae regiones, in quas a nostris regionibus commeare non potuerunt homines, utpote longo maris intervallo sejunctas, saeculo XV. inventae sunt populosissimae, 2.° quia tam varius color hominum, ut advertit *Volterius*, videtur ostendere, non omnes ab uno ortos esse. Ergo.

℟. *Neg. min.* America enim vel adhaeret, vel potuit nostrae telluri olim adhaerere versus Septemtrionalem plagam, indeque postmodum terrae motibus, aliisque temporum vicissitudinibus separari. Ceterum, etsi semper interjecto mari separata fuerit, potuerunt naves vi tempestatum jactatae eo deferri: sicut Lusitani in Brasiliam vi ventorum saeculo XV. dejecti sunt. Imo potuerunt homines sponte eo navigare. Certe *Plato* mentionem facit vastissimae Insulae in mari occiduo trans fretum Gaditanum, quam Insulam nonnulli putant ad Americam pertinuisse. Quod addit *Volterius*, ex vario hominum colore colligi, non ab uno homine propagatum genus humanum, valde ridiculum est; nam ferventiores solis radii, clima, cibi, aliaque colorem hominum immutant, ut constat experientia Saracenorum, et Lusitanorum, qui in Africa sedes fixerunt.

Objic. III. Historia diluvii videtur fabulosa; 1.° quia non potuit tanta esse aquarum copia, ut quindecim cubitis superaret praecelsos montes; 2.° quia non potuerunt omnia animalia, cibique ipsis per annum necessarii in arca contineri; 3.° quia nova animalium genera in America reperta sunt, quae non sunt in nostra tellure, ac proinde non potuerunt hinc illuc permeare, presertim cum mari interjecto prohiberentur: ideoque falsum videtur, ex animalibus in arca servatis, orta esse cuncta animalia, quae hodie terram occupant. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Etenim 1.° aquae diluvii partim e caelo deciderunt, partim e terrae visceribus prosilierunt. *Rupti sunt fontes abyssi magnae, et cataractae caeli apertae sunt Gen. VII.* 11. Quis autem mensus est

est aquas, quae continentur in terrae visceribus adeo profundis, ut terrae ipsius semidiamiter 4000. milliaria exaequet, quae profunditas immenso intervallo superat montium altitudinem, quae vix duorum, vel trium est milliarium? quis supputare potuit, quanta aquarum copia e caelo possit decidere quadraginta diebus, et quadraginta noctibus? Certe diluvii vestigia in ipsis montibus deprehenduntur, in quibus marinae conchae, et pisces effodiuntur in lapides concreti.

2.° Demonstrant hodie eruditi post *D. Pelletier in Dissert. de Arca*, geometrice supputatis arcae dimensionibus, quas describit Moyses, longe majorem inveniri capacitatem, quam quae sat esset ad cunctas animalium species continendas, atque escas iis alendis necessarias, cum praesertim pauciores sint primariae animalium species, ex quibus deinde aliae a primis degeneres ortae sunt. Idem evidenter ostendunt *Joan. Buteo Anglus lib. de Arca*, Calmet *in Comment. ad. Gen. VI.* et *in Diction.* Sed rationibus his subducendis non videtur opus esse. Si enim Pentateuchi auctor fabulam concinnare voluisset, cum posset utique majorem fingere Arcae molem, si fuisset necessaria; profecto si talem descripsit, qualis in *Genesi* legitur, manifestum est, eam fuisse, aptam iis continendis, quae in Arca servari oportebat.

3.° Multa efficere potuerunt, ut nonnullae animalium species in nostra tellure perierint, *ex. gr.* adversae tempestates, aut clima ipsis inimicum, quae tamen species in America, quo potuerunt penetrare eodem modo, quo supra diximus penetrare potuisse homines, non perierunt.

Objic. IV. Post diluvium ait Moyses, sic Deum Noë allocutum: *Arcum meum ponam in nubibus, ut sit signum foederis inter me, et inter terram. Gen. II. 21.* quasi tum primum arcus inter nubes apparere coeperit. Atqui hoc falsum videtur; arcus enim ille ex varia radiorum solarium refractione necessario semper oriri debuit, Ergo.

℟. *Neg. maj. quoad secundam partem*; verba enim illa *arcum meum ponam in nubibus etc.* non significant, tum

tum primum apparere incepisse arcum; sed *phaenomenon* illud tunc a Deo constitutum fuisse *signum foederis*, praesertim cum textus Hebraicus, cui consonat etiam Samaritanus, imo et versio Syriaca, et Arabica ita habeant *arcum meum posui in nubibus*.

Objic. V. Narrat Moyses, quinta plaga, qua Deus percussit Ægyptios, *mortua esse omnia animantia Ægyptiorum Exod. IX.* 6. et tamen septima plaga scribit, *periisse in omni terra Ægypti cuncta, quae fuerunt in agris ab homine usque ad jumentum, Ibid. v.* 25. imo addit, Pharaonem insecutum esse Israelitas cum equitatu. Atqui haec pugnantia sunt; si enim animantia omnia perierunt quinta plaga, nulla remansissent jumenta interimenda per septimam, et multo magis Pharao destitutus fuisset equis, quibus Israelitas insequeretur.

℟. *Neg. min.* Quod enim ait Moyses, quinta plaga periisse omnia animantia, intelligendum est de omnibus animantium generibus, non de singulis omnium generum, quod in Scripturis non est insuetum; unde remanserunt adhuc jumenta, quae sub septima plaga perierunt. Sed nec septima plaga scribit Moyses, omnia jumenta, sed ea tantum, quae fuerunt in agris, interiisse propter ingruentem grandinis vim. *Sed qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere jumenta in domos Exod. IX.* 20.

Objic. VI. Plura habent sacri scriptores, quae saniori physicae non congruunt; *ex. gr.* caelos esse solidos; lunam esse stellis majorem, et alia ejusdem generis, quae utique falsa sunt. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Verba enim divinitus inspirata nulli possunt veritati esse contraria; licet aliquando ad captum hominum accommodata, intelligenda tamen sint aliquo sensu, qui veritati non adversetur. Lunam quidem Scriptura appellat *luminare magnum*, tum quia revera talis apparet oculis, tum maxime quia si spectetur non ratione molis, sed ratione luminis, ex quo dicitur *luminare*, magis lucet ipsa lumine alieno, quam omnes simul stellae lumine proprio, ideoque revera nobis est luminare majus. Caelum vero esse solidum, Scriptura non asserit. Quod enim

Cae-

Caelum vocat *firmamentum*, id secundum Hebraicam vocem *extensionem* significat, ut omnes norunt. quod vero *Job.* *XXXVIII.* 18. ait *Eliu*, coelos *solidissimos*, *quasi ex aere fusos*, id refert Scriptura ab illo dictum; non probat; imo *Cap.* *XXXVIII.* 2. ait de illo Deus: *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?*

Objic. *VII.* Liber *Ecclesiastes* videtur ab homine Epicureo compositus, qui unum esse ait interitum hominum, et jumentorum, ideoque fruendum bonis vitae hujus. Praeterea *Canticum Canticorum* carmen videtur amatorium. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Verba enim *Ecclesiastes* ex ore, et sententia impiorum, et errantium hominum prolata esse patet ex libri ipsius scopo, et conclusione. Postquam enim docuit, vana esse omnia bona vitae hujus, quae homines adeo sollicitos habent, sic ait: *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo, et cuncta, quae fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum.* Canticum vero canticorum, non carnali, sed spiritali sensu intelligendum esse Religio Christiana semper docuit, idest non inhaerendum litterae, quae occidit, sed spiritui, qui vivificat.

Multa alia aeque frivola de Scripturis veteris Testamenti congerunt increduli, quae sicut a nostris Interpretibus desumserunt, ita a nostris jamdiu explicata fuerant; quae omnia hic proponere non sinit nostri instituti brevitas. Vide *Calmet*, *Estium*, et praecipue eruditum opus *D. Goeneti* de hoc argumento (a). Veniamus ergo ad Novum Testamentum.

Objic. *VIII.* *Matthaeus Lucae* contrarius est in descri-

(a) *Lettres de quelques Juifs Portugais et Allemands par l'Abbé* Guenet. Item *Reponses Critiques a plusieurs difficultées proposées par les nouveaux incredules sur divers endroits des livres saints par* M. Bullet. Vide etiam nostram Exercitationem *De veritate divinarum scripturarum*; ubi multas adversariorum cavillationes dissolvimus.

scribenda Christi genealogia. Nam *Matthaeus* ait *Cap. I. Joseph* fuisse filium *Jacob*, quem deducit a *David* per *Salomonem* vigintiseptem generationibus; *Lucas* vero eundem *Joseph* fuisse dicit filium *Heli*, quem deducit a *David* per *Nathan* generationibus quadraginta duabus. Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad confirm.* duplex est Patrum responsio. Prima est; *Matthaeum* descripsisse progenitores *Joseph*, *Lucam* vero *Mariae*, ait enim *Lucas*: *Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli*, *h. e.* putabatur quidem filius *Joseph*, sed erat filius, *h. e.* nepos *Eli*, qui idem est, ac *Joachim* pater *Mariae* Virginis; nam *Eliacim*, *Eli*, et *Joachim* nomina sunt unius, ejusdemque hominis; ut patet ex *Lib. IV. Regum Cap. XXIII.* quia ab *Eliachim* per apocopen vel priorum, vel posteriorum syllabarum fit *Eli*, et *Joachim*. Ex hac responsione evanescit objectio; nam quod plures in *Luca*; quam in *Matthaeo* generationes notentur, nihil refert; cum possint utique in una familia eodem tempore plures esse generationes, quam in alia.

Verum altera responsio communior est apud Patres, traditurque a *Julio Africano*, qui eam ab ipsis *Josephi* cognatis se accepisse scribit, nimirum *Joseph* dici potuisse filium *Jacob*, *et Heli*, quia cum *Heli* sine liberis defunctus esset, *Jacob* ejus frater uterinus, ex praescripto legis, ejus viduam duxit uxorem, ita ut *Joseph* fuerit filius naturalis *Jacobi*, et legalis *Heli*. Ceterum haec, quae ob antiquitatem nobis obscura sunt, erant tunc omnibus nota, quia familiarum genealogiae diligenter servabantur.

Objic. IX. Matthaeus *Cap. I.* ait, Christum esse filium *David*; et tamen describit genealogiam *Joseph*, et addit, Christum non fuisse filium *Joseph*, sed *Mariae* Virginis, quae erat ex tribu *Levi*, cum *Cap. I. Lucae* dicatur cognata *Elisabeth*, quae erat de filiabus *Aaron*. Ergo contraria loquitur.

℟. *Neg. cons.* Nam nisi dicere velimus, *Matthaeum* fuisse omnino stupidum, fateri debemus, notum tunc omnibus fuisse, *Joseph* conjugem accepisse ex eadem familia, scilicet *Mariam* Virginem, quae per lineam maternam cognata erat *Elisabeth*.

Objic. X. Idem Matthaeus *Cap. II.* refert, nato Domino *Herodem* crudelissima puerorum strage Bethlehem, ejusque fines cruentasse; Lucas *Cap. II.* ante Domini nativitatem Augustum edixisse totius orbis Romani descriptionem, et addit, *hanc descriptionem primam factam esse a Praeside Syriae Cyrino.* At haec videntur non solum falsa ob silentium *Josephi* de caede puerorum, et Romanorum Historicorum de descriptione totius Romani Orbis, quos latere non poterant facta tam publica, tamque memorabilia; verum etiam videntur sibi contraria. Nam *Cyrinus*, seu *Quirinus* Syriam provinciam suscepit decennio post *Herodis* mortem, ac proinde si Christus natus est sub *Herode*, descriptio tunc a *Cyrino* fieri non potuit; si vero Christus natus est tempore hujus descriptionis, jam *Herodes* obierat, atque ideo falsa est caedes puerorum jussu *Herodis* facta, jam nato Christo.

℞. *Neg. min.* Silentium enim tum *Joseph* de caede puerorum; tum *Suetonii*, et *Taciti* de censu *Augusti*, argumentum est *negativum*, quod nihil valet contra affirmantem, sive *positivam* historiam *Matthaei*, et *Lucae* imo et Josephi *Lib. XVIII. Antiq. Cap. I.* qui in factis adeo publicis, et memorabilibus nec falli, nec mentiri poterant. Historia autem *Dionis*, qui fusius de *Augusto* scripserat, intercidit ab anno 748 V. C., usque ad annum 758, intra quod decennium contigit illa descriptio juxta *Lucam*, quae adeo certa est, ut *Justinus*, et *Tertullianus* Gentiles, et haereticos provocent ad Acta publica, quae tunc adhuc extabant, illamque descriptionem testabantur; et *Julianus* apostata eam confirmet apud *Cyrillum Alex. Lib. VI.*

Cyrinus autem, antequam Proconsul Syriam Provinciam obtineret, id munus suscepit extraordinarium, recensendi, et describendi Palaestinam, et quia unus tanto oneri non sufficiebat, socios habere debuit, cum *Tertullianus* censum in Judaea actum scribat *per Sentium Saturninum.* Hoc pacto difficultas evanescit (*a*).

Objic.

(a) Vide Benedictum XIV. in erudito opere De Festis J. Christi, et Mariae

Objic. XI. Joannes Evangelium ita concludit: *Sunt autem et alia multa, quae fecit Jesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Atqui haec immoderata hyperbole Spiritui Sancto tribui non potest. Ergo.

℟. Nomine *mundi* Joannes intelligere potuit homines, praesertim mundanos, quo sensu nomen illud saepe usurpat in Evangelio, et in Epistolis: verbum autem *capere* usurpatur ibi pro *intelligere.* Sensus ergo esse potest, mundanos homines *concipere, intelligere, imaginari* non posse, quot scribendi essent libri, si omnia Christi acta singillatim exponerentur, atque hic, si aliqua hyperbole est, est utique modestissima. Sed *si* per mundum intelligas totum terrarum orbem (non enim intelligi potest caelum, et terra) non insueta est hominibus haec hyperbole ad significandam rerum multitudinem aptissima; ad hominum autem captum Scriptura accommodata est.

Praetermittimus alias incredulorum miseras cavillationes, praesertim de Evangelistarum consensu, cum omnes jam a nostris Interpretibus occupatae, et exsufflatae sint. Vide Augustinum *de Consensu Evangelistarum*, aliosque (*a*).

Corollarium.

Quotiescumque igitur in Scripturis aliquid occurrit, quod veritati non videatur congruere, quamvis nequeamus enodare difficultatem; certissime tamen tenendum est, vel codices incuria amanuensium esse mendosos, vel nos sensum non esse assecutos, quod sapienter monet Augustinus *Lib. II. cont. Faust. Cap.* 5.

(a) Omnes apparentes scripturarum *antilogias* accurate collegit *Tirinus.* Vide de veritate divinarum scripturarum *Exercitationem*, quam seorsim edidimus, ne institutae brevitatis excederemus limites.

PROPOSITIO IV.

Omnes aliae religiones, a Christiana diversae, falsae sunt.

Prob. Omnes aliae religiones vel in uno, vel in pluribus contrariae sunt Religioni Christianae, alioquin non essent ab ea diversae. Atqui quod contrarium est veritati a Deo revelatae, falsum est, nec a Deo revelari potuit. Ergo.

Objic. Roussojus. Ut possis falsas dicere omnes alias religiones, peragrare deberes omnem terram, ediscere linguam omnium populorum, legere in proprio idiomate libros sacros omnium religionum, examinare non solum dogmata, quae continent, verum etiam miracula, quae jactant. Atqui hoc hominum vires longe superat. Ergo nemo scire potest, utrum alia sit vera Religio.

℟. *Neg. maj.* Mirum enim est, homines, philosophorum nomine tumidos, adeo ineptire. Quando veritas detecta est, nullo alio opus est examine. Quidquid veritati jam demonstratae opponitur, falsum est.

Inst. Theologi Christiani testantur, fidem esse actum mentis liberum, non necessarium. Ergo non est evidenter demonstrata veritas Religionis Christianae.

℟. *Neg. cons.* Potest enim mens, vel praejudiciis occupata, vel cupiditatibus dedita, vel ipsa obscuritate rerum revelatarum impedita; nolle attendere demonstrationi; vel etsi attendat, tamen potest nolle elicere actum fidei. Atque hinc patet, merito a Catholicis omnibus cum indignatione rejectas illas propositiones: *Religio Christiana non est evidenter vera . . . . . hinc infer, evidens non esse 1°. quod existat nunc in terris aliqua vera religio 2°. quod omnium, quae in terra sunt, verosimillima sit Christiana 3°. quod Apostolis manifesta fuerit Christi divinitas 4°. quod afflante Deo fusa sint prophetarum oracula etc.* (*Inter damnatas a Clero Gallicano anno* 1700.).

CA-

CAPUT IX.

Sola Ecclesia Romano-Catholica veram Christi Religionem profitetur.

Adv. I. MUltae sectae tum in Oriente, tum in Occidente Christianam Religionem se profiteri gloriantur; una tamen debet esse vera, nam contraria simul vera esse non possunt.

II. Quamvis sequenti Libro, Catholicam Ecclesiam veram profiteri Christi Religionem, ostendamus contra haereticos ex Scripturis, quas ipsi agnoscunt ut divinas, hic tamen operae pretium est, idipsum ostendere ratione naturali contra incredulos, qui falso objiciunt, Religionem Christianam non esse unam, sed in varias sectas divisam.

PROPOSITIO.

Sola Ecclesia Catholico-Romana veram profitetur Religionem Christianam.

Prob I. Sola Ecclesia Romano-catholica est illa, quam Christus, et Apostoli fundarunt. Nam sola habet pastores, qui legitima ordinatione, sibi invicem perpetuo succedentes, pertingunt usque ad Apostolos, ac proinde usque ad Christum. Reliquae vero sectae ubi ad primum pervenerint auctorem suum, *ex. gr. Lutherum*, *Calvinum*, *Nestorium*, non possunt ulterius progredi, atque ideo earum pastores non sunt successores Apostolorum. Atqui Christus promisit, Ecclesiam, quam ipse fundavit, numquam defecturam esse a Religione, quam ipse docuit. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* Matth. XXVIII. 20. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* Joan. XIV. 16. Ergo cum Christi promissiones veraces sint, quia religio Christiana docet, ipsum a Deo missum nec falli, aut fallere potuisse, fit hinc, nunquam defecisse Eccle-

siam Romano-Catholicam a vera Christi religione. Aliunde vero aliae sectae profitentur Religionem catholicae contrariam; ergo sola Ecclesia Catholico-Romana profitetur veram Christi Religionem.

II. Ecclesia Catholica antiquior est omnibus aliis sectis, quia omnes sectae a catholica secessionem fecerunt. Igitur antequam sectae illae orirentur, vel Ecclesia Catholica profitebatur veram Christi religionem, vel non. Si primum dicas; ergo sectae illae a vera Christi Religione defecerunt, quae in sola Catholica remansit. Sin alterum; ergo cum sectae ortae sunt, jam defecerat in terris Christi Religio, ac proinde Christi promissiones non fuerunt verae, nec ipse Christus a Deo missus est. Unde manifestum est, vel solam Catholicam Ecclesiam profiteri Religionem Christi, vel ipsam Christi Religionem falsam esse. Atqui posterius dici nequit, ut fuse hucusque demonstravimus, et fatentur sectarii. Ergo.

III. Omnes sectae ideo a Catholica Ecclesia recesserunt, quia putarunt, illam errare in Scripturis interpretandis. Atqui interpretatio nova, quam ipsae protulerunt, non est a Deo revelata; non enim Deus revelavit, interpretationem *Lutheri ex. gr.* esse veram, quia si id revelasset, miraculis confirmasset, ut supra docuimus. Ergo sectae illae, quae fundatae sunt in illa interpretatione, non innituntur revelatione divina; sicut innititur Catholica Ecclesia miraculis, et prophetiis toto orbe a Christo instituta, et fundata. Ergo vel nulla existit in terris Christiana religio, vel haec est in sola Catholica: Atqui prius dici non potest, quia unum ex dogmatibus Christianae religionis, quam probavimus esse veram, est hoc, nempe Christi religionem numquam in terris exstinctum iri.

IV. Omnes sectarii fatentur, imo evidens est, Ecclesiam Catholicam primis saeculis, quibus per Apostolos est fundata, veram Christi religionem coluisse. Atqui non potest notari tempus, quo Religionem illam ejuraverit, et docere incoeperit ea, quae nunc docet. Ergo revera numquam a Christi reli-

gione defecit. Neque enim mutatio tam insignis fieri potuisset toto orbe, nemine contradicente, imo nec sentiente.

Responsiones, atque objectiones sectariorum tum secundo Libro, tum sequentibus refutabimus.

CAPUT X.

Indifferentismus in Religionis negotio absurdissimus est.

Ado. I*Ndifferentistae* post *Baelium*, *Roussojum*, *Volterium*, *Argensium*, aliosque miseros auctores *Litterarum Sinensium*, *Peruvianarum*, etc. docent, quamcumque religionem bonam esse, Deoque gratam, atque homini sufficere ad salutem. Hoc autem eorum dogma dicitur *tolerantia religiosa.*

II. At Christiana religio contrarium docet. *Non est in alio aliquo salus*; *neque enim aliud nomen* (praeter Jesum Christum) *est hominibus sub caelo datum, in quo oporteat, nos salvos fieri*, Act. IV. 12. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*, Marc. XVI. 16. *Qui credit in eum non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei*, Joan. III. 18. Hoc Christianae Religionis dogma dicitur *intollerantia religiosa.*

III. Differt *tolerantia religiosa* a *tolerantia civili*, quae est silentium magistratuum non impedientium in politica societate contrarias religiones.

PROPOSITIO

Absurdissimus est indifferentismus, seu religiosa tolerantia.

Prob. I. Si Deus religionem aliquam revelavit, tamquam solam sibi gratam, et homini necessariam, absurdissimum est asserere contrarium. Atqui Deus revelavit, ut supra *Cap. VII.* ostendimus, religio-

nem

nem Christianam ; cujus dogma est, non esse in alia ulla religione salutem. Ergo iisdem argumentis quibus Christiana religio statuitur, absurdissimus demonstratur *indifferentismus*.

II. Deo, qui est ipsa summa veritas, placere non potest, nisi veritas; falsa autem sicut Deo placere non possunt, ita non possunt esse apta, et idonea, quibus homines Deo placeant, et salvi fiant. Atqui veritas una est; una igitur religio Deo grata esse potest; atque ideo si Religio Christiana vera est, sola Deo placere potest.

Hine sequitur, *intolerantiam religiosam* esse solius verae Religionis characterem.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Illud dogma rejiciendum est, quod immanitatem quandam, sive crudelitatem Deo tribuit, atqui talis est *intolerantia religiosa*; si enim extra Christianam Religionem salus esse nulla potest; jam tot centena hominum millia, quibus Religo haec praedicata non fuit, in aeternum perierunt, et peribunt. Ergo.

℟. *Neg. min.* Deus enim neminem damnat ob ignorantiam *invincibilem* Christianae Religionis sed ob peccata: quod non crudelitatis, sed justitiae est. Si quis autem Religionem hanc *invincibiliter* ignoraret, sed servaret cum Dei auxilio omnia praecepta legis naturalis, quam nemo invincibiliter ignorare potest; Deus ei non deesset, sed revelaret aliqua ratione ipsi notam veram Religionem, sicut revelavit Cornelio Centurioni, ut legimus in *Actis Apostolorum.*

Inst. Si nemo extra Christianam Religionem salvus esse posset, divina revelatio multiplicasset impedimenta salutis; imposuisset enim novum jugum suscipiendi hanc Religionem revelatam. Atqui hoc absurdum est. Ergo.

℟. *Neg. seq. maj.* Revelatio enim pluribus rationibus, quae supra expositae sunt *Cap. III.*, erat homini necessaria ad salutem; unde debitum illud revelatam Religionem suscipindi est in hominis utilitatem,

tatem, ut scilicet salutem consequatur. Si qui sunt autem, quibus haec revelatio annunciata non est, ii in eodem statu sunt; in quo erant ante revelationem. Sed si nihil contra legem naturalem peccaverint, Deus iis non deerit, ut supra diximus.

Objic. II. Deus cor intuetur. Si ergo homo corde sincero Deum colat, parum refert quonam externo cultu ipsum honoret.

℟. *Neg. cons.* 1°. Quia externus cultus oritur ab interna opinione, quam de divinis attributis habemus; ita ut si externus cultus pravus sit, pravas esse oporteat opiniones de Dei proprietatibus, quae opiniones Deo placere non possunt. 2°. Quia ex interno cordis affectu oritur, quod quis nolit illa de Deo credere, illumque cultum Deo exhibere, quem ipse revelavit, quae quidem perversa voluntas Deo displicet. 3°. quia absurdissimum est, Deum, qui est ipsa summa, et una, et sancta veritas, delectari tam variis, et monstrosis, imo et flagitiosis ritibus, qui a variis religionibus sanciti sunt.

Objic. III. Filius hominis Christiani laudabilis est, si sequitur absque ullo examine Religionem patris: Ergo filius Mahumetani bene etiam faciet, si patris Religionem sequatur. Idem dicas de pueris in alia quaeumque Religione natis. Ergo.

℟. *Neg. cons. et parit.* Nam filius Mahumetani potest natura duce, ac magistra cognoscere, in patria religione, nonnulla praecipi, aut permitti legi naturali contraria (*a*), idem dicas de pueris in alia religione natis

Inst. Magna est educationis, et praejudiciorum vis. Ergo puer Mahumetanus cognoscere non potest quae in illa religione contraria sunt rationi.

℟. *Neg. cons.* Nam *ab actu ad posse valet conclusio*, ut habet commune Philosophorum effatum. Si pueri Judaeorum, et Gentilium cognoverunt initio nascentis

---

(a) Vide *Hoornbeckium*, et *Andream Relandum* contra Mahumetanos, *Grotium* De veritate Rel. Christ. *Natalem Alexandrum* Hist. Eccl. Saec. VII. *Forbesium* Lib. IV. Instruct. Theol. *Marraccium* Refutatio Alkoran.

tis Ecclesiae falsitatem patriae religionis, et veritatem Christianae, eamque amplexi sunt; poterunt etiam, Deo auxiliante, idem facere pueri Mahumetani, aut alterius religionis. Interim fatemur, magno esse impedimento educationem, et praejudicia; ideoque gratias agimus Deo, qui nos in vera Religione nasci, ac nutriri voluit.

Inst. 2. Credibile non est, Deum voluisse, ut universum ferme humanum genus periret ante Christum, et post Christum major hominum pars, quae Religionem non sequitur Christianam. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Postquam enim demonstravimus, Religionem Christianam solam veram esse, non solum credibile, sed etiam certum est, omnes, qui extra hanc Religionem vivunt, salutem consequi non posse. At cur eos Deus damnat? Propter peccata. Cur non illuminat? Quia rursus propter peccata non merentur hanc gratiam. Cur alios aeque peccatores ad veram Religionem adduxit? Quia infinita est misericordia ejus. Cur eadem misericordia usus non est erga ceteros? Quia non solum misericors, sed etiam justus est. Cur erga hos potius, quam erga illos misericordia usus est? Id vero nostrum non est judicare, *quis enim consiliarius ejus fuit?* Sufficiat nobis scire, Religionem nostram certissime a Deo revelatam esse, ac proinde extra eam neminem salvum fieri, Deumque justissimum neminem damnare posse innoxium.

Objic. IV. Haec doctrina videtur Reipublicae noxia. Hoc enim semel statuto, neminem extra Ecclesiam salvum esse posse, Christiani concives suos ab avita Religione retrahere conabuntur. Hinc dissidia, et seditiones, quae publicam pacem perturbant, unde ipse Christus hoc praevidens dixit: *Non veni pacem mittere, sed gladium Matth. X.* 34. Ergo melius statuisse videntur philosophi veteres, et ipse Cicero, et Epictetus, cives religionem patriam colere debere, etsi falsam: quos etiam secutus est *Antonius Genuensis Lib. de Officiis* in prima editione, quod tamen in altera retractavit.

℟. *Neg. ant.* Cum enim haec Religio doceat, diligen-

ligendos esse omnes homines, etiam inimicos, et incredulos; et obediendum Magistratibus in omnibus, quae non sunt contra Deum; nulla religio aptior est vel ad pacem servandam, vel ad publicum bonum promovendum; quod enim alii faciunt metu poenarum, quas aliquando facile est evadere, id Christiani facere debent lege religionis, et ob timorem Dei, quem nullus aut fallere, aut effugere potest. Quod ergo Christiani, quantum in ipsis est, studeant concives suos, imo omnes populos instruere in veritate, atque ab errore perniciosissimo retrahere; id suadet amor veritatis, et proximi: tamen cum non arma, sed suasiones adhibeant, et quidem opportuno tempore; si dissidia oriantur, culpa est eorum, qui errorem suum vi, et armis defendere, et tantum proximi bonum impedire volunt. Sed numquid bonum erit malum, quia mali, ut bonum impediant, mala faciunt? Hanc igitur malitiam hominum Christus praevidit, cum ait: *Non veni pacem mittere.* Turpiter ergo errarunt veteres Philosophi *indifferentistae*, et cum iis *Genuensis*, licet laudandus sit, quod errorem suum utcumque correxerit in altera Editione laudati operis.

Inst. Varia sunt terrae climata, et varia in iis ingenia, et mores populorum. Formae etiam civitatum variae sunt, cum aliae Monarchico, aliae Aristocratico, aliae Democratico regimine utantur. At *Montesquius* in *Spiritu Legum* docet, varias religiones variis terrae Climatibus, et Rebuspublicis facilius aptari. Ergo.

℟. *Dist. min.* Egregie falsus est Auctor ille, *conc.* secus, *neg.* Unus est ubique Deus, una est humana natura, et veritas una. Ergo nihil absurdius dici poterat, quam quod dixit *Montesquius.* Imo ipsa experientia compertum est, Christianam Religionem in variis illis terrae Regionibus, et vario earum regimine variis temporibus floruisse, Deo per gratiam suam quaecumque obstacula superante.

Inst. 2. Quot Christiani, praesertim Magistratus, usi sunt gladio, ut heterodoxos cogerent ad amplectendam religionem suam! Atqui id non fecissent, si

si tolerantiam religiosam admisissent ; Ergo. Hic indifferentistae longam historiam texunt malorum, quae ipsi dicunt ab intolerantia religiosa orta esse.

℟. Religio Christiana docet, 1°. Neminem cogendum ad ipsam suscipiendam ; 2°. Subditos non debere adversus suos Principes rebellare praetextu Religionis. Si qui secus fecerint, ipsi viderint facti sui rationem. Certe saeculo II. exeunte, licet Christiani totum jam orbem impleverint, et multo plures numero essent, quam Gentiles, ut ait *Tertullianus* ; nihil tamen fecerunt, quod Reip. pacem turbare posset, ne ut ab injustissima quidem, et cruentissima infidelium persecutione se defenderent.

Scholium.

Diximus, neminem extra Christianam religionem salvum fieri posse, solam autem Catholicam Ecclesiam vere Christianam Religionem profiteri, ideoque neminem extra Catholicam Ecclesiam salutem consequi. Sed advertendum est. haereticorum filios, vel qui ab haereticis baptizati sunt infantes, non censeri extra Catholicam Ecclesiam, donec adulti voluntarie profiteantur haeresim, cujus falsitatem possunt agnoscere ; ideoque non tantus est eorum, qui pereunt, numerus, quantus in *tertia Objectione* ponitur.

Libri Conclusio.

Quod ergo in *Dissertatione Prodroma* diximus, principia Theologiae esse a Deo revelata, id jam demonstravimus. Sed quoniam Catholicae religionis hostes, licet Christiano nomine glorientur, non consentiunt de locis, ubi divina revelatio continetur, contendentibus nonnullis, eam in sola Scriptura sacra contineri, cujus varios libros pro lubito rejiciunt ; hinc ex ipsis Scripturae libris, quos agnoscunt, revincendus est eorum error, et veri fontes aperiendi, sive loci, unde Theologica argumenta deduci debeant, quod sequenti Libro praestabimus.

Finis Libri I.

LIBER II.

SEU

TRACTATUS DE LOCIS THEOLOGICIS.

Praefatio.

Quoniam oportet, Theologum ita amplecti eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere vaniloquos, et seductores; nosse eum imprimis necesse est tum sedes, unde promat principia disciplinae, tum qua via, et ratione ex iis debeat et sua confirmare, et refutare contraria. Quod nos hoc libro explicare, quanta maxima possumus brevitate, ac perspicuitate, instituimus.

CAPUT I.

Locorum Theologicorum definitio, et divisio. Errores in hoc Libro refutandi.

I. Loci Theologici dicuntur, more Rethorum, et Philosophorum, sedes ac veluti promptuaria, unde Theologus argumenta depromit.

II. Diximus autem *Dissert. Prodr. Cap. I.* Theologiam ex principiis a Deo revelatis argumentari, non rejecta tamen ratione naturali, dummodo revelationi famuletur. Loci ergo Theologici duplicis sunt generis, *interni*, et *externi*. Interni sunt, qui ipsam Dei revelationem vel certo, vel probabiliter continent, ideoque rursus dividuntur in *necessarios*, et *non necessarios*. Necessarii sunt, ex quibus certa habetur revelatio, ut Scriptura divina, Traditio, et Ecclesiae definitio; non necessarii vero, ex quibus probabi-

babilis tantum revelatio, vel revelationis consectaria eruuntur, ut Provincialia Concilia, aliquot seorsim Patres, consensus Theologorum. Denique loci externi suppeditant principia naturali ratione cognita, ut est ipsa communis omnibus ratio, Philosophorum placita, Historia.

III. Sunt ergo loci Theologici decem, 1°. Scriptura: 2°. Traditio, de qua tamen nos primo loco, disseremus, tum quia ipsa tempore Scripturam antecessit, tum quia ex traditione discernendi sunt Scripturae Libri Genuini ab Apocryphis: 3°. Sanctorum Patrum auctoritas, quae reducitur ad traditionem, ad quam probandam adhibetur, ideoque expendetur a nobis eodem loco, quo de Traditione tractabimus: 4°. Ecclesia: 5°. Concilia: 6°. Summorum Pontificum decreta: 7°. Theologorum consensus: 8°. Ratio naturalis: 9°. Philosophia: 10°. Historia.

IV. In definiendo autem quinam sint loci, unde principia divinitus revelata certo depromantur, erarunt Haeretici. Novatores enim post *Lutherum*, et *Calvinum* (a) docent 1°. Solam Scripturam continere verbum Dei. 2°. Nonnullos Scripturae libros, quos Ecclesia Catholica recipit, non esse divinos. 3°. Ipsam Scripturam in rebus ad salutem necessariis esse claram, atque omnibus perspicuam. 4°. Si qua tamen controversia oriatur de sensu Scripturae, unumquemque privatum Spiritu Sancto interius illustrari, ut de ea certo possit judicare. Hinc inferunt 1°. non esse agnoscendam, sed rejiciendam Traditionem; tum quia quidquid est ad salutem necessarium, continetur in Scriptura; tum quia ipsa Traditio, ut ipsi contendunt, fallax est. 2°. rejiciendam esse Ecclesiae auctoritatem, quia dicunt, Ecclesiam non esse semper *visibilem*, nec talem, ut non possit aliquando

(1) Lutherus *in Cap. 1. ad Galat.* Calvinus *Lib. IV. Instit. Cap* 8. §. 7. *et Cap. X.* § 18. *et in Antidot. Conc. Trid. Sess. IV.* Brentius *Proleg. cont. Pet. a Soto.* Kemnitius *Exam. Conc. Trid. Sess. IV.* Hamelmannus *cont. Tradit. etc.*

do falli, aut omnino deficere, seu non esse *indefectibilem*, nec *infallibilem*: quibus vocabulis jamdiu in Schola receptis, compendii gratia, deinceps utemur.

V. Rectus igitur ordo postulat, ut ex ipsis Scripturarum libris, quos haeretici cum catholicis ut divinos agnoscunt, demonstremus contra eos 1°. Non solam Scripturam continere verbum Dei, sed etiam Traditionem: cujus testes sunt libri SS. Patrum, Conciliorum definitiones, et Pontificum decreta: eamque continere aliqua ad salutem necessaria, nec esse fallacem: 2°. Statuta auctoritate Traditionis, ex duplici isto capite Scripturae scilicet, et Traditionis ostendamus, veros esse, et divinos eos Libros Scripturarum, quos recipit Ecclesia catholica: 3°. Ipsam Scripturam non in omnibus esse claram: 4°. Si qua oriatur controversia de sensu Scripturarum, non esse quemque privatum judicem certum, et falli nescium: 5°. Judicem controversiarum esse ipsam Ecclesiam, quam demonstrabimus visibilem, indefectibilem, infallibilem. Quae cum praestiterimus, etiam de iis locis agemus, quae suppeditant argumenta Rationi congruentia.

C A P. II.

De traditione.

§. I.

Traditionis definitio, atque divisio.

I. Traditio apud Patres, et Theologos est doctrina ad fidem, mores, aut disciplinam pertinens in Ecclesia conservata, et ad nos usque transmissa, quae in Libris Canonicis scripta non est, quo sensu Irenaeus *Lib. III. Cap.* 2. ait, haereticos *neque Scripturis, neque Traditioni consentire*: licet scripta sit in libris SS. Patrum, et actis Conciliorum.

II. Triplex est traditio, ***Divina***, ***Apostolica***, et ***Ecclesiastica***. ***Divina*** est ipsum Dei Verbum per Apostolos tamquam divinae Revelationis praecones viva voce

voce praedicatum. *Apostolica* est Institutio, seu disciplina ab Apostolis tamquam Ecclesiae pastoribus viva voce statuta, ut *ex. gr.* jejunium quadragesimale. *Ecclesiastica* est disciplina a successoribus Apostolorum instituta, usuque fidelium confirmata, et ad nos usque transmissa, ut *ex. gr.* vigiliae, aliaque Ecclesiastica statuta, et consuetudines.

III. Ab his longe distant eae, quae dicuntur traditiones hominum divinae legi contrariae, vel superstitiosae, et inutiles, quas reprehendit Christus *Matth. XV.* 3. dicens: *Quare vos trasgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?*

§. II.

Existit Traditio divina, eaque agnoscenda est ut locus Theologicus, seu regula fidei et morum continens etiam multa ad salutem necessaria, quae non habentur in Scripturis.

Lutherani igitur, Calvinistae, Zuingliani negant, ullam esse divinam Traditionem, ac proinde docent, nullum desumi posse ex traditione argumentum ad dogmata Fidei, et Morum confirmanda, quae omnia docent in solis Scripturis contineri. Qui quidem error pluribus Haereticis vetustioribus communis fuit, ut Wicleffo, *ex Th. Waldensi Lib.* 11. *c.* 19. Arianis *ex Epiphanio Haer. LXIX.*, *et LXXIII.*, Donatistis *ex Augustino Lib. de Unit. Eccl. Cap.* 19. Valentinianis, et Marcionitis *ex Tertulliano de Praescript. et Irenaeo Lib. III. c.* 2. aliisque. Imo videtur perpetuus hic fuisse Haereticorum mos, rejecta Traditione, qua omnes confodiuntur errores, ad Scripturas provocare. Contrarium docent Catholici.

PRO-

PROPOSITIO

Divina existit Traditio, eaqne agnoscenda est tamquam necessaria Regula Fidei, et Morum.
Est dogma fidei.

Prob. Ab Adamo usque adhuc triplicem Religionis statum nobis ostendit Scriptura, nempe Legis Naturae, Legis Mosaicae, et Legis Evangelicae. Atqui in triplici illo statu agnoscenda est divina Traditio etc. Ergo.

Prob. min. I. De Statu Legis Naturae nulla potest esse controversia, cum nulla tunc fuerit Sacra Scriptura, et tamen fuerint justi: *justus autem ex fide vivit Rom. I.* 17. sine qua *impossibile est placere Deo Heb. XI.* 6. Ergo erant tunc veri fideles, qui fidem ex auditu, sive ex Traditione habebant. Idem dicas de iis, qui extra Judaicam gentem pie vixerunt, etiam post scriptam legem Mosaicam. Ergo vera Religio per annos plusquam bis mille sola Traditione stetit.

II. Sub lege Mosaica, licet scripta, fuisse etiam divinas Traditiones necessarias, patet, 1.° Quia nonnulla erant scitu necessaria ad salutem, quae in Scripturis non continebantur, *ex gr.* quinam libri Scripturarum vere essent divini; quodnam esset remedium ad delendum originale peccatum non solum in foeminis, verum etiam in masculis ante octavum diem etc. quae nonnisi ex Traditione cognoscebantur: 2.° Quia in ipsis Scripturis veteris Testamenti mentio fit traditionis, ut Psalmo LXXVII. *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera, filii, qui nascentur, et exurgent, et narrabunt ea filiis suis, ut ponant in Deo spem suam*: 3.° Quia cum de sensu Scripturarum aliqua oriebatur quaestio, nonnisi ex Traditione dirimi poterat.

III. In lege Evangelica Traditionem divinam existere, et necessariam esse probatur, 1.° ex Apostolo *II. Thessal. II.* 14. *State* inquit, *et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram*: quae verba adeo clare traditionis exi-

stentiam, et necessitatem ostendunt, ut scripserit *Chrysostomus Hom. IV. in Epist. ad Thessal. Hinc patet, quod non omnia per epistolam tradiderunt Apostoli, sed multa etiam sine litteris. Eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista. Itaque traditionem quoque Ecclesiae fide dignam putamus: traditio est, nihil quaeras amplius* (a). Idem etiam Paulus *in Epist. II. ad Tim. II.* 2 *Quae audisti*, inquit, *a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Nihil clarius pro doctrina non scripta, quam idem Apostolus tum *in I. ad Tim. VI.* tum *in II. Tim. cap. I.* appellat *Depositum* fideliter custodiendum, et ita in aliis Epistolis hortatur fideles, ut permaneant in doctrina, quam ab ipso audierunt. Vide *Estium in Comment.*

2.° Multa ad fidem, et mores pertinentia, etiam ab adversariis credita, non continentur in Scripturis. Nam quinam Scripturarum libri divini sint, qui vero apocryphi, imo et libros, quos habemus, esse genuinos, et non vitiatos, nonnisi ex Traditione sciri potest, unde videmus, veteres hac una via genuinos Scripturarum libros a spuriis discrevisse. *Vide Euseb. Lib. VI. Hist. Cap.* 10., *et seq.* Quod enim nonnulli novatores post *Calvinum Lib. I. Inst. cap.* 7. §. 1. jactant, Spiritum Sanctum interius docere praedestinatos, quinam libri sint divini, id non modo falsum est, sed etiam viam aperit unicuique rejiciendi pro lubito libros sacros, sicut *Lutherus* Epistolam *Jacobi* rejicit, quam *Calvinus* admittit. Unde *Brentius in Proleg.* et *Kemnitius in Examine Conc. Trid.* evidentia victi ingenue fatentur, hanc traditionem, qua libros sacros discernimus, solam esse admittendam; cur ergo asserunt, solam Scripturam continere verbum Dei? Cur aliae traditiones divinae pariter servari non potuerunt? Praeterea credunt ipsimet adversarii contra Donatistas, valere baptismum

(a) Cui concinit Basilius *Lib. de Spir. S. ep.* 27. Oecumenius, et Theophilactus *in* h. l. Damascenus *Lib.* 4. *de fide Cap.* 17. Concilium VIII. generale *act. ult. Can.* 1.

ktum ab haereticis collatum contra Anabaptistas valere baptismum parvulorum: contra *Helvidium*, Mariam semper Virginem fuisse; aliaque, quae in Scripturis non sunt.

3.° Certum est, non omnia, quae *Christus* dixit, scripta esse; nam *Joannes* multa refert, quae non scripserant tres priores Evangelistae, et addit *Cap. XX.* 30., *et XXI.* 25. multa se praetermisisse; scripsisse vero, quae sufficiebant, ut credatur, *quia Jesus est Christus filius Dei.* Id concedunt adversarii, sed gratis asserunt ea, quae praetermissa sunt, non fuisse ad salutem necessaria; quod falsum esse patet tum ex eo quod *Christus* nihil inutile praedicaverit, tum ex *Lucae* testimonio *Act. I.* 3. qui docet, *Christum* post resurrectionem per dies quadraginta cum Apostolis collocutum esse *de Regno Dei*; hoc est de rebus ad informandam Ecclesiae Fidem pertinentibus, et tamen quaenam tunc Christus dixerit, silet.

4.° Certum etiam est, *Christum* non omnia per se Apostolis revelasse; inquit enim apud *Joan. Cap. XVI.* 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere*; utique necessaria, *sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Itaque Spiritus S. reliqua revelavit; atque ideo ad cognoscendam omnem necessariam *veritatem* scire debemus omnia, quae Apostoli Spiritu S. edocti praedicarunt. At haec, ubinam scripta sunt in Libris Sacris? Non in Actis Apostolorum, ut legenti patet. Neque in eorum Epistolis, quae scriptae sunt non ad integrum Religionis systema exponendum, sed ob particulares quasdam causas. Accedit quod ingenue fatetur *Brentius in Prolegom. Negari non debet, nec potest, quin tam Christus multa dixerit, et fecerit, quam Apostoli multa tradiderint, et instituerint, quae non sunt ab ipsis litteris comprehensa.* Ergo nisi dicere velimus, Apostolos inutilia praedicasse, concedant necesse est, ea quae voce praedicarunt, neque litteris consignarunt, perpetua Religione servanda Ecclesiae tradidisse.

5.° Doctrina *Christi* per Apostolos praedicata diu stetit antequam aliquid ipsi Apostoli scriberent; imo te-

testatur Irenaeus *Lib. III. Cap. 4.* apud nonnullas barbaras Nationes Christianam Religionem sine litteris etiam suo tempore viguisse. Ex quo patet, Traditionem priorem fuisse, quam Scripturam, a qua non fuit abrogata Traditio; cum praesertim *Christus* Religionem suam instituerit non in tabulis, sed in corde scribendam; ut praedixerat *Ieremias Cap. XXXI.* 33.

6°. Si nulla esset divina Traditio, interminabiles essent controversiae de sensu Scripturarum, ut patet ex ipsorum adversariorum experientia, qui tria jam saecula inter se digladiantur de sensu verborum, quibus Eucharistiam Christus instituit, neque adhuc ullis conditionibus inter se pacem inire potuerunt.

7°. Patres trium priorum saeculorum, quos adversarii fatentur a vera fide non descivisse, constanter Traditionis divinae existentiam, et necessitatem asserunt, ut *Irenaeus Tertullianus*, *Origenes*, etc. (a) imo passim affirmant potius ex Traditione, quam ex Scriptura revincendos Haereticos, ut fuse Tertullianus *Libro de Praescriptionibus*. Basilius vero ex communi sententia totius Ecclesiae ait *Lib. de Spiritu S. Cap. 27. Dogmata, quae in Ecclesia servantur, et praedicantur, partim ex conscripta doctrina habentur, partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delata recepimus. Quae utraque eandem ad pietatem vim habent.* Ergo patet, necessariam esse, et existere divinam Traditionem, tamquam regulam fidei, et morum, meritoque Conc. Tridentinum id ut fidei dogma definisse *Sess. IV.* his verbis: *Traditiones ipsas tum ad fidem, tum ad mores, pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, ac veneratur.* Praeiverat Con-

(a) Irenaeus. *Lib. III. Cap. 2., et seq.* Tertullianus *Lib. I. cont. Marcion. Lib. de Praescrip. et al.* Origenes *in Cap. VI. Epist. ad Rom. et Hom. V. in Num.* Cyprianus *Epist. LXIII. ad Caecil. et aliis*

Concilium Nicaenum. II. *Act. VI. et VII.*, et Concilium VIII. Generale *Act. VIII. et Act. ult. Can.* 1. De traditione fuse tractarunt. Card. Hosius *cont. Prolegom. Brentii*; Petrus a Soto *in Defensi. adv. Brent. Part. II.* Melchior Canus *Lib. III. de Loc.* Bellarminus *Lib. IV. de Verb. Dei.* Lindanus *in Panoplia, aliiq.* (*a*).

Solvuntur objectiones.

Objic. I. Traditio aliquid Scripturae superaddit. Atqui prohibemur aliquid Scripturis addere. Nam *Deuter.* IV. 2. dicitur: *Non addetis ad verbum, quod ego praecipio vobis, nec auferetis ex eo. Et Apoc. XXII.* 18. *Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas.* Ergo.

℟. *Dist. maj.* Traditio aliquid addit Scripturae contrarium, *neg.* non contrarium, sed potius aptum ad Scripturam defendendam, et intelligendam, *transeat*; nam potius Scriptura superaddita est Traditioni, quae et ipsa continebat verbum Dei, antequam Scriptura ulla ederetur. *Dist. et min.* Prohibemur aliquid addere Scripturae contrarium, quales erant traditione Pharisaeorum, quos Christus reprehendit *Matth. XV.* 3. dicens: *irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras, conc.* non contrarium, *subdist.* Si a nobis ipsis confictum sit, *conc.* Si ab ipso Deo revelatum, et nobis traditum, *neg.* Traditio igitur non ab homine superadditur Scripturis, sed ab ipso Deo proficiscitur, et ideo Scripturae contraria non est. Prohibemur quidem de nostro aliquid addere Scripturis, quod earum sensum evertat, vel ut a Deo revelatum venditetur, sed si additio quaecumque vetita fuisset laudatis locis, illicitum fuisset alios libros sacros scribere post Deuteronomium, et Apocalypsin.

 Inst.

(*a*) Inter Veteres legendi Tertullianus *De praescript.* et Lirinensis *Commonitorium*: inter Recentiores lectu digna sunt quae habent Wallenburg *De methodo prob. fid.* Perpetuitè de la foi *Tom. VI.* Bossuet *Tom. III. Op. post.*

Inst. Prohibemur addere non solum contra, sed etiam praeter Scripturam. Apostolus enim *Galat. I.* 8. ait; *Licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*; quem locum sic exponit Augustinus *Lib. III. contr. lit. Petil. c.* 6. *Si quis annuntiaverit, praeter quam quod in Scripturis legalibus, et Evangelicis accepistis, anathema sit.* Et Basilius *Serm. De Fidei confes.* generatim ait: *Infidelitatis argumentum erit, et signum superbiae certissimum, si quis eorum quae scripta sunt, aliquid velit rejicere, aut eorum, quae non scripta, introducere.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* 1°. Enim Apostolus non ait: *praeterquam quod scripsimus*, sed *praeterquam quod evangelizavimus, et v.* 9. *praeter id quod accepistis*: Evangelizaverat autem non solum scripto, sed praecipue verbo. 2°. Vocem *praeter* usurpat pro *contra*; dixerat enim *v.* 6. *miror, quod sic tam cito transferimini in aliud Evangelium.* Eodem sensu usus erat ea voce *Rom. ult.* 17. *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones, et offendicula praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt.* Simili sensu semetipsum explicat Augustinus *Tract. LXXXIX. in Joan. Non ait plusquam accepistis, sed praeterquam quod accepistis; nam si illa diceret, sibi ipsi praejudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret quae illorum fidei defuerunt, sed qui supplet, quod minus erat addit, non quod inerat tollit: qui autem praetergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via.* Idem responsum esto ad Basilii sententiam.

Objic. II. Idem Apostolus *II. Tim. III.* 16. ait: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Ergo sola Scriptura sufficit, nec necessaria est traditio.

℟. *Neg. cons.* 1°. Enim argumentum probat nimis. Apostolus enim loquitur de Scripturis, quas dicit, Timotheum *ab infantia didicisse h. e.* de veteri Testamento, unde sequeretur, sufficere vetus Testamentum, imo omnem quemcumque librum veteris Testamen-

menti. 2°. Non dicit: *omnis Scriptura sufficit*, sed *utilis est*, ad hominem perficiendum, quod nos concedimus. 3°. Cum ipsa nobis Scriptura traditionem, et Ecclesiam demonstret, posset etiam aliquo sensu vere affirmari, ipsam sufficere Scripturam, quia quod in illa deest, ab ea ad quam Scriptura nos mittit, traditione, atque Ecclesia suppletur.

Objic. III. Multis scripturarum locis traditiones damnantur. Sic *Matth. XV.* 3. ait *Christus*: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Et Apostolus *Colos. II.* 8. *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam secundum traditionem hominum.* Quibus similia in aliis scripturae locis habentur. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Damnantur traditiones humanae ad labefactandum Dei verbum excogitatae, quales erant traditiones Rabbinorum, quas legere est in eorum *Talmud*, et traditiones Gentilium philosophorum, *conc.* Traditiones divinae, *neg.* Responsio patet ex ipso Scripturarum contextu, et ex communi Patrum interpretatione, ut Irenaei *Lib. IV. Cap.* 25. Epiphanii *Haeres. Ptolomaei*: Hieronymi *in Cap. VIII. Is.* et *in Cap. III. ad Tit.* et *Epist. ad Algas.*

Objic. III. Patres docent, solas sufficere Scripturas. Nam Irenaeus *Lib. III. Cap.* 1. ait: *Quod tunc praedicaverunt Apostoli, postea per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, si non omnia omnino, saltem quae necessaria erant, et sufficiebant*; Cyrillus etiam Alexandrinus *Lib XII. in Joan. cap. ult.* ait: *Non omnia, quae Deus fecit, scripta sunt, sed quae scribentes tam ad mores, quam ad dogmata putarunt sufficere*, Cui concinit Augustinus *Tract. XLIX. in Joan.* dicens: *Electa sunt, quae scriberentur, quae saluti credentium sufficere videbantur.* Ergo etc. Novatores licet parvi faciant. Patrum auctoritatem, avide tamen ex ipsis arripiunt, quod sibi favere falso credunt.

℟. *Dist. ant.* Sufficere *mediate*, *h. e.* media adhibita traditione, quam ipsa Scriptura commendat, *conc.* Sufficere *immediate*, *subdist.* Ad praecipua dogmata, quae necessario ab omnibus explicite credenda sunt,

ut

ut est Dei existentia, Providentia, Trinitas, Incarnatio, conc., Ad omnia, neg. *Irenaeus* non ait, *omne quod praedicaverunt*, scripserunt, sed scripserunt idem quod praedicaverunt; quod verum est, licet non omnia scripserint. *Cyrillus*, et *Augustinus* asserunt. scripta esse, quae sufficerent. 1°. quia cum ipsa Scriptura nos doceat, *divinas tenere traditiones*, jam aliquo sensu dici potest, Scripturas sufficere. 2°. Quia ad ea quae omnibus necessario scienda, et credenda sunt, aliquo pacto Scripturae sufficiunt; licet etiam in ipsis explicandis, et vindicandis a falsis haereticorum interpretamentis, saepe Traditio necessaria sit.

Objic. IV. Saepe Patres ad solas Scripturas provocant Haereticos. Sic *Tertullianus cont. Hermog. Cap.* 22. *Adoro Scripturae plenitudinem*; *qua Deus mihi et factorem manifestat, et facta*. *Athanasius* Orat. cont. Gent: n. 1. *Sufficiunt per se sacrae, et divinitus inspiratae Scripturae ad veritatis indicationem*: Et *Epist.* 1. *ad Serapion. n.* 19. *Sufficiunt quae in illis reperies documenta.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* In iis quae clare in Scripturis posita sunt, qualia erant, quae tunc contra haereticos asserebant, *conc.* in omnibus, *neg.* *Tertullianus* enim contra Hermogenem agebat de sola creatione, quae aperte in Scripturis continetur. *Athanasius* in *orat. contra gentes* duo probat, nempe idola non esse Deos, et Christum esse verum Deum, verumque hominem, ad quae probanda Scripturae sufficiunt. In Epistola vero ad *Serapionem* docet, satis esse Scripturas ad refellendas Arianorum blasphemias.

Inst. Patres docent, omnia credenda in Scripturis contineri; imo nonnulla rejiciunt tamquam falsa, vel ob id solum, quod in Scripturis non continentur. Sic Chrysostomus *Hom. I. in Epist. ad Tit. Omnia*, inquit, *Evangelium continet et praesentia, et futura, honorem, pietatem, fidem.* Similia alibi docet *Homil. XCIII. in Psal. Homil. XIII. in Epist. II. ad Cor. et in Cap. XXII. Matth.* Augustinus *Lib. II. de doct. Christ. cap.* 9. *In his, quae aperte posita sunt in Scripturis, inveniuntur illa omnia, quae continent fidem, moresque vivendi.*

Idem

Idem saepe alibi repetit *Lib. II. de peccat. merit. Cap. ult. Lib. III. cont. lit. Petil. Cap. 6. Lib. de bono viduit. et al.* Et Hieronymus *in Cap* 1. *Epist. ad Tit. Sine Scripturarum auctoritate garrulitas non habet fidem.* Et *in Cap. XXIII. Matthaei. Hoc quia de Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*: quod et ante scripserat Origenes *Homil. I. in Jerem. Necesse nobis est Scripturas sanctas in testimonium vocare. Sensus quippe nostri, et narrationes sine his testibus non habent fidem.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Docent, omnia in Scripturis contineri vel *immediate*, vel *mediate*, *conc.* omnia *immediate*, *subdist.* Quae omnibus scitu necessaria sunt necessitate *medii transeat*: Omnia omnino, *neg.* Et ita aperte docet *Augustinus Lib. I. cont. Crescon. c.* 33. *Scripturae a nobis veritas tenetur, quando facimus quod universae Ecclesiae placet, etsi nihil de ea re scriptum legamus* 2.° *Chrysostomus* nomine *Evangelii* non solam intelligit Scripturam, sed universam Ecclesiae doctrinam, quae partim Scriptura, partim traditione continetur, in aliis vero locis, quibus aut sufficere Scripturam docet, aut quod non scriptum est rejicit, loquitur de singularibus, quae tractabat, argumentis, rejicitque traditiones hominum ingenio excogitatas. 3°. *Hieronymus in Cap.* 1. *Epist. ad Tit.* loquitur de haereticis, qui Scripturam usurpare audent, sine qua eorum garrulitas non haberet fidem. Et in *Cap. XXIII. Matth.* loquitur non de traditionibus, sed de singulari quadam sententia ex apocrypho libro depromta, nec divina traditione suffulta, qua quidam asserebant, *Zachariam* filium *Barachiae*, quem Christus *Matth. XXII.* dicit occisum inter templum, et altare, fuisse patrem *Joannis Baptistae*; sicut etiam in *Lib. contra Helvidium*, qui falso asserebat, B. Virginem post mortem S. Joseph alteri nupsisse, scribit *sicut haec quae scripta sunt non negamus, sic ea, quae non sunt scripta, renuimus.* 4.° *Origenes* per illa verba: *sensus nostri, et narrationes*, manifeste loquitur de privatis auctorum opinionibus, non de traditione divina.

Inst.

Inst. Hieronymus generatim omnia rejicit, quae scripta non sunt: *ea* inquit, *quae non sunt scripta, renuimus*, et quidem ea sola ratione, *quia scripta non sunt, quia de Scripturis auctoritatem non habent*. Ergo.

℟. *Dist. ant.* In subjecta materia, quam tractabat, in qua nulla erat divina traditio, *conc.* secus, *neg.*

Objic. V. Cyprianus Epist. LXXIV. ad Pompejum haec habet de traditione, quam *Stephanus* ipsi objiciebat de haereticis non rebaptizandis: *Unde est ista traditio? Ea facienda esse, quae scripta sunt, Deus testatur. . . . . Si ergo aut in Evangelio praecipitur, aut in Apostolorum Epistolis, et Actibus continetur .... observetur haec divina, et sancta traditio.* Ergo aperte rejicit traditionem.

℟ *Transeat cons.* Cyprianus enim in eo errabat, improbans baptismum ab haereticis datum, quod ipsi adversarii ex traditione validum esse credunt. Dixi *transeat*, quia Cyprianus non omnem respuebat traditionem, sed illam tantum, quae tunc ipsi objiciebatur, falso putans, eam esse non divinam, sed humanam, et verbo Dei contrariam. Ceterum eum traditiones in universum non respuisse patet ex *Epistola LXIII. Admonitos nos scias*, inquit, *ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, ut calix mixtus vino offeratur.*

Objic. VI. Fidei dogmata committi non debuerunt custodiae infidae, et fallaci. Atqui talis est traditio; quod enim de ore in os transit, vel malitia, vel imperitia hominum facile mutatur, et deperditur. Unde Poëtae famam pingunt tot variatam coloribus. Ergo etc. Hinc *Augustinus Tract. II. in Epist. Joan.* ait, *Deum contra insidiosos errores firmamentum ponere voluisse in Scripturis.*

℟. *Dist. min.* Fallax est traditio, si spectetur seorsim a providentia Dei, qui Ecclesiam fundavit, et regit, sine qua providentia ipsae Scripturae facile depravari, et deperdi possent, *conc.* Secus, *neg.* Si ergo Deus in Ecclesia sua per annos plusquam bismille in statu Legis Naturae veram fidem servavit per solam traditionem, sine ullis Scripturis; quanto magis in Lege Evangelica, in qua promisit, fore ut num-

numquam *portae inferi adversus Ecclesiam praevalcant*; et in qua traditioni addidit etiam *firmamentum Scripturarum contra insidiosos* quosdam *errores*, eos scilicet, qui contra praecipua fidei dogmata spargi poterant, de quibus loquitur *loc. cit. Augustinus*? Praeterea cum Dei providentia omnia suaviter disponat, ne traditiones interirent, adjumenta etiam suppeditavit, scilicet Scripta SS. Patrum, Acta Conciliorum, Festorum annuas celebrationes, Pastorum diligentiam etc.

Objic. VII. Sacrae litterae Deo inspirante conscriptae sunt, ut essent nobis fidei, et morum regula, ut saepe docet Augustinus *Lib. XIX. De Civ. Cap.* 18. *et al.* At opera Dei perfecta sunt. Ergo Scriptura est perfecta fidei, et morum regula, ut traditione non sit opus.

℞. *Dist. ant.* Sacrae litterae scriptae sunt, ut essent Fidei, et morum regula *partialis conc.* Unica, et *totalis*, *neg.* Una est ergo Regula Fidei, et morum, Verbum Dei, quod continetur partim in Scriptura, partim in Traditione, quarum unaquaeque in suo genere perfecta est.

Inst. Scriptura *totalis*, et unica regula est, ad quam Patres asserunt exigendas esse, tamquam ad Lydium lapidem, omnes Ecclesiasticorum Scriptorum sententias, quamque ideo Chrysostomus *Hom. XIII. in II. ad Cor.* appellat *exactissimam trutinam, gnomonem, et regulam.* Sic Augustinus *Epist. LXXXII. al. XIX. ad Hieron. Ego* inquit, *fateor charitati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici vocantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse, firmissime credam... Alios autem ita lego; ut quantalibet sanctitate, doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quae a vero non abborreat, persuadere potuerunt. Hieronymus* quam fuerit acer Scriptorum Ecclesiasticorum, quos nunc ut Patres laudamus, censor, ex ejus Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, aliisque operibus patet. Denique ut alios praetermittamus, S. Thomas *I. P. Q. I. art.*

I. art. 8. ad 2. haec habet. *Sacra doctrina utitur auctoritate canonicae Scripturae proprie, et ex necessitate argumentando, auctoritatibus vero aliorum Doctorum Ecclesiae, quasi argumentando ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis, et Prophetis factae, qui canonicos Libros scripserunt.* Ergo si ad Scripturam, tamquam ad Regulam, comparanda est ipsa Patrum doctrina, restat, ut Scriptura unica, et *totalis* regula sit.

℟. *Dist. ant.* Patres docent, ad Scripturas, tamquam ad Regulam, exigenda esse quorumlibet Scriptorum opera, si seorsim singuli inspiciantur, *conc.* Singulos enim seorsim falli potuisse, concedimus. Si omnes simul in eandem conspirent sententiam, eamque tradant ut divinitus revelatam, *neg.*

Inst. Traditionis praetextus erroris occasio est. Sic *Papias* regnum Christi millenarium post resurrectionem futurum finxit quasi ex Traditione, et ita multos in errorem induxit. Sic Catholici quidquid defendere non valent, traditione Apostolica inniti jactant, ut observat Calvinus *Lib. IV. Instit. Cap.* 10. Ergo.

℟. 1°. Si hoc valeret argumentum, etiam Scriptura rejicienda esset, quia etiam illa abusi sunt haeretici, partim apocryphas Scripturas venditando pro veris, partim veras Scripturas ad suos sensus detorquendo. Sed quia non desunt rationes Scripturas, et traditiones veras a falsis dignoscendi;

℟. 2°. *Dist ant.* Et nulla ratio suppetit, qua detegatur error, *neg.* et multis rationibus cognosci potest, et caveri error, *conc.* Sic omnibus SS. Patrum operibus inspectis patuit, non esse ex traditione divina fictitium mille annorum regnum, sed ex male intellectis verbis *Apocal. XX.* 46. *et regnabunt cum Christo mille annis.* Quod autem catholici omnia sine delectu traditione inniti jactent, mendacium haereticorum est. Quaenam ergo ratio sit, et quaenam regulae, quibus verae a falsis traditionibus dignoscantur, videamus.

§. III

§. III.

Regulae, quibus Traditio Divina ab Apostolica, Ecclesiastica, et humana discernitur.

Adv. I. Traditio Divina, Apostolica, et Ecclesiastica facile ab humana discernuntur. Traditiones enim humanae nullum habent in scriptis Sanctorum, aut in Ecclesiae canonibus fundamentum, et plerumque superstitiosae sunt, et Scripturis contrariae.

II. Facile etiam Traditiones Divinae, et Apostolicae ab Ecclesiastica secernuntur. Haec enim non semper, nec ubique in Ecclesia viguit: illae vero semper in Ecclesia universa servatae sunt. Unde *Augustinus Lib. IV. cont. Donat. Cap.* 24. *Quod universa*, inquit, *tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

III. Difficultas ergo solum remanet de Divinis Traditionibus discernendis ab iis, quae Apostolicae sunt: nam utraeque semper, et ubique viguerunt, et Patres aliquando Traditionem Divinam vocant Apostolicam, et vicissim. Sic Augustinus *Lib. X. de Genes. ad lit. c.* 25. dicit, parvulorum baptismum esse traditionem *Apostolicam*, cum tamen divina Traditio sit. E contrario S. Leo *Serm. IV. de Quadrag.* jejunium quadragesimale divinam traditionem appellat, cum Apostolica sit traditio.

IV. Testes traditionis sunt SS. Patres, et statuta veterum Conciliorum. Patrum autem nomine intelligimus eos tantum, quos Ecclesiae consensus eo nomine donavit, eo quod doctrinae fidei, et morum defensores, et doctores antiquitus fuerint; ideoque filios quodammodo Christo genuerint. Addunt nonnulli, ut eo nomine proprie aliqui Scriptores appellentur, oportere, ut fuerint viri sanctitate illustres, et qui a fide vel nunquam defecerint, vel saltem in ea mortui sint. Ait enim Lirinensis, eorum duntaxat Majorum consulendas esse sententias *qui in fide, et communione catholica sancte, sapienter, constanter vi-*

viventes, *docentes*, *et permanentes vel mori in Christo fideliter*, *vel occidi pro Christo feliciter meruerunt*. Ex quo sequitur, proprie inter Patres recensendum non esse *Tertullianum*, qui postquam strenue contra Gentiles, Judaeos, et Haereticos pro fide catholica decertavit, tandem Montanistarum coeno adhaesit; nec scripta *Origenis*, quia vel ab ipso, vel ab Haereticis varia errorum labe aspersa sunt. Laudantur tamen opera *Tertulliani*, vel quae ante haeresim scripsit, vel in iis, quae ad Montani dogmata non pertinent, sicut et *Origenis* Scripta, ubi ille ceteris consonat, vel non ex sua, sed ex universae Ecclesiae sententia loquitur. Idem de *Eusebio* Caesariensi dicas, qui nonnullis Arianismi suspectus est, aliusque nonnisi improprie Patres appellantur. S. *Bernardus* saec. XII. ultimus Patrum habetur, nam SS. *Thoma*, et *Bonaventura* Doctores saepius, quam Patres appellantur; eo quod Theologiam alia methodo docuerint, quam a Patribus eo usque tradita erat. *Sylvius* tamen, eos etiam Patrum nomine donandos contendit. *Opusc. V. Lib. VI. Q. I. art.* 1.

PROPOSITIO

Sunt Regulae, quibus Divina Traditio ab Apostolica dignoscatur.

Prob. Enumerando, et probando regulas ipsas. I. *Regula.* Unanimis consensus omnium Patrum, qui ab initio Ecclesiae per omnium saeculorum successiones dogma aliquod, licet non expressum in scripturis tenuerunt, ejusque contrarium ut haereticum refutarunt, certissimum est divinae traditionis argumentum. Talia sunt dogmata de perpetua Deiparae Virginitate, de materia, et forma omnium Sacramentorum, saltem in genere etc.

II. *Reg.* Quando hic consensus non est unanimis, tunc ante Ecclesiae definitionem non parit quidem certitudinem fidei, tamen praebet Divinae Traditionis argumentum majus, aut minus pro majori, aut minori numero, et gravitate Patrum, qui dog-

ma

ma illud docent; imo etiam certum, si consensus ille sit *moraliter* unanimis, cum scilicet paucissimi contradicunt. At post Ecclesiae definitionem, argumentum est Divinae Traditionis certissimum.

III. *Reg.* Quando Patres omnes aliquid servandum docent pertinens ad Ecclesiae disciplinam, quod non excedat potestatem a Christo Apostolis concessam, potest Apostolica censeri traditio, nisi forte costanter doceant, divinam esse traditionem ab ipso Christo institutam, nec usquam eam tribuant Apostolis.

Regula autem 1. probatur ex Apostolo *I. Cor. XII.* 28. ubi ait *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores, Ephes. IV.* 11 *Et ipse dedit quosdam Apostolos .... alios autem Pastores, et doctores, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae* Ergo si Pastores omnes, et doctores Ecclesiae errassent in aliquo dogmate tradendo, quasi illud divinitus revelatum esset, infirmum fidei praesidium in Ecclesia posuisset Deus; quod absurdum est; imo ipsa Ecclesia in Fide errare posset, cum nonnisi a suis Doctoribus eam audiendo hauriat; quod quidem etiam absurdum esse infra probabimus, ubi de Ecclesia dicemus. Hinc Vincentius Lirinensis *Commonit. Cap.* 4. *Quidquid*, inquit, *non unus, aut duo tantum, sed omnes pariter uno, eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum.* Idem repetit *Cap.* 39. *ad* 42 et inculcat exemplo Ephesini Concilii, cui *placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacrata SIBI CONSENTIENS SS. Patrum tenuisset antiquitas.* Nec solum Ephesini Concilii, sed omnium Conciliorum eadem mens fuit, unde merito Tridentinum *Sess. IV.* vetat, *ne quis ipsam S. Scripturam contra unanimem SS. Patrum consensum interpretari audeat*, certo credens, unanimem hunc consensum falsum esse non posse.

Regula vero 2. probatur ex eo, quod Ecclesiae doctores seorsim singuli errare possunt; unde Augustinus *Epist. CXLVIII. al. CXI. Neque vero*, ait, quo-

quorumlibet disputationes velut Scripturas Canonicas habere debemus ut nobis non liceat, salva honorificentia, quae illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter sens. rint, quam veritas habeat, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Ceterum quoniam facti alicujus *extrinseca* probabilitas ex numero, et gravitate testium aestimari debet, hinc pro majori, vel minori numero, et gravitate Patrum divinae traditionis testium, major; vel minor erit rei probabilitas, imo et *moralis* certitudo, si consensus sit *moraliter* unanimis. Cui si accedat definitio Ecclesiae, quam suo loco probabimus infallibilem, certitudinem Fidei habebimus.

Ceterum quinam Patres ceteris graviores habendi sint, merito quaeritur. Et quidem 1°. qui in Sanctorum numerum ab Ecclesia relati sunt, ceteris paribus, sine dubio alios gravitate vincunt. Hinc maior S. Justini, et Irenaci, quam Clementis Alexandrini auctoritas; quem Benedictus XIV. *Praef. in Martyrol.* ostendit, numquam ab Ecclesia universa Sanctorum catalogo adscriptum. 2°. Qui ex professo haeresim aliquam suo tempore exortam impugnarunt, sunt ceteris in eo dogmate praeferendi; sic in rebus ad Verbi Divinitatem pertinentibus *Athanasius*: ad Incarnationem *Cyrillus* Alex.: ad Gratiam, et Praedestinationem *Augustinus* inter omnes eminent. 3°. Qui post exortas haereses floruerunt, gravioris sunt auctoritatis, quam ii qui praecesserunt. Hinc Hieronymus ait: *Patres qui ante Arium scripserunt, innocenter quaedam, et minus caute locutos Lib. II. Apolog. cont. Ruffin.* quod et saepe *Augustinus* observat de iis, qui ante Pelagium floruerunt. 4°. Si qui loquuntur ex Ecclesiae sensu, seu rem ita ab Ecclesia credi affirmant, praeferendi iis, qui, tamquam suas, proponunt opiniones. Imo si quis doceat aliquid ab universa Ecclesia praedicari, nec contrarium affirmetur ab aliis, erit ejus testimonium certissimum, licet nondum dogma fidei. Hinc Augustinus *Lib. I. cont. Julian. Cap.* 5. Juliano unum opponit *Nazianzenum*, et alibi *Lib. III. Cap.* 17. unum *Cy-*

Cyprianum. 5. Quos Ecclesia semper tamquam viros scientia, et pietate praecellentes venerata est, majorem sibi auctoritatem vindicant, ut *Augustinus* tot Pontificum, et Conciliorum encomiis laudatus, *Gregorius* M. *Leo* M. aliiq.

Tertia vero Regula ex ipsa ejus expositione rectae rationi videtur consentanea.

Solvuntur objecta.

Objic. I. *con. I. Rog.* Singuli Patres errare possunt, quia homines sunt, et revera multa eorum errata collegerunt *Rivetus Tract. de Auctorit. PP.* Dallaeus *De Usu Patr.* Barbayracus *Traite de la Moral des Peres*: Clericus, Basnagius, aliiq. Ergo et omnes.

℟. *Neg. cons.* Singuli enim Patres non constituunt consensum universae Ecclesiae, sicut constituunt omnes simul sumpti. Dei autem promissiones non singulis seorsim hominibus, sed universae Ecclesiae factae sunt, ut infra dicemus. Licet ergo singuli errare potuerint, non omnes. Advertendum tamen est, multa, quae ab haereticis objiciuntur singulis seorsum Patribus, meras esse calumnias, vel eorum opiniones ad philosophiam, aut historiam pertinentes, in quibus non contendimus, majorem eorum esse auctoritatem, quam rationem, cui innituntur, concedimusq. eos falli potuisse. Vide Muratorium *Lib. De Ingenior. moderat.* P. Baltum, Bossuetum, Natalem Alex. (*a*)

Inst. Omnium simul Patrum consensus humanum testimonium est. Ergo est errori obnoxium: *omnis enim homo mendax*.

℟. *Dist. ant.* Est testimonium humanum divina auctoritate, atque praesidio fultum, *conc.* humanum simpliciter, *neg.* Sic *Omnis* quidem *homo* seorsim *mendax*

(a) Baltus *Defense des S. Peres* Natalis Alexander *Dissert. XVI. In Hist. Eccl. Saec. II.* Bossuet *Defense de la Tradition*.

§. I.

Sacrae Scripturae notio, et definitio.

Adv. I. Demonstravimus superiori libro, Scripturam sacram divinitus inspiratam esse. At *Cappellus*, et alii post *Erasmum Annot. ad Cap. II. et XXVII. Matth.* tenent, non esse inspiratam in omnibus, et singulis partibus, quod et nonnulli veteres affirmaverant, ut *Anomoei*, aliique apud *Epiphanium*, *Hieronymum*, et *Augustinum* (a). Imo *Grotius* nullam in libris Historicis S. Scripturae inspirationem agnoscit.

II. Inter Catholicos nonnulli docent, non solum sententias, verum etiam verba divinitus inspirata esse. Ita tenent *Estius in Cap.* 3. 11. *ad Tim. Academia Lovaniensis*; et *Duacensis*, aliique graves Theologi. Alii post *Bellarminum Lib. I.* de Verbo Dei *Cap. XV.* censent, exceptis mysteriis Fidei, quae rationem humanam superant, et in quibus verborum mutatio errori obnoxia esset, in reliquis sensum tantummodo divinitus inspiratum esse; verba vero permissa esse delectui Sacri Scriptoris.

III. Divina inspiratio tria comprehendere potest, 1°. Revelationem veritatis ignotae, 2°. Incitationem, seu divinum quendam impulsum ad scribendum, salva scriptoris libertate, addito tamen praesenti Dei auxilio, seu, ut ajunt, *assistentia*, ne in scribendo erretur, 3°. Simplex Dei auxilium, seu adsistentiam. Fatendum autem est, non omnes Scripturae partes fuisse divina revelatione patefactas; nonnulla enim S. Scriptores vel suis oculis viderant, ut Moyses plagas Ægyptiorum, vel a testibus fide dignis acceperant, ut Lucas Historiam Evangelicam *Luc. I.* 2. Fatendum etiam, non sufficere simplicem in scribendo *adsistentiam*, alias canones Conciliorum,

qui

(a) Epiphanius *Haeres. LXXVI.* Hieron. *in Cap. V. Mich* Augustinus *Lib. II. cont. Adversar. Leg. et Proph. Cap.* 2.

nostra, *si divinarum Scripturarum vacillet auctoritas* (a).

Diximus autem *saltem quoad sensum*, quod sufficit, ut Scriptura divinitus *dictata* et *inspirata* dicatur in singulis ejus membris; sicut si quis Epistolam amanuensi dictet quoad sensum, utique Epistolae auctor est, et dicitur, licet scribenti permittat verborum delectum. Imo quamvis *Estii*, atque *Academiae Lovaniensis*, et *Duacensis* sententia gravibus nitatur momentis, verisimilior tamen videtur sententia Bellarmini, 1°. quia auctor libri *II. Machab. cap. II. v.* 27. testatur, se multo labore opus illud confecisse, et *Cap. ult.* veniam petit, si *minus digne* scripserit, quod absurdum esset, si Spiritus S. ipsa verba dictasset: 2°. quia huic sententiae favent *Dionysius Alex. apud Euseb. Lib. VII. Hist. cap.* 15. *Arnobius Lib.* 1. *contra Gent. Hieronymus Epist. ad Algasiam*, *Augustinus Lib. II. de Cons. Evang. Cap.* 28. *n.* 67.

Corollarium.

Nihil igitur est in Scripura sacra, quod verum non sit, non solum in dogmatibus, sed etiam in historia, et chronologia. Omnia enim divinitus inspirata sunt saltem quoad sensum. *Deus autem verax est Rom. III. Non est quasi homo ut mentiatur Num. XXIII.* 19. Unde *Augustinus Epist. LXXXII. al. XIX. illis libris* . . . . *didici hunc timorem*, *honoremque deferre*, *ut nullum eorum auctorem scribendo errasse aliquid firmissime credam*, *ac si aliquid in eis offendero libris*, *quod videatur contrarium veritati*, quod quidem solum in Chronologia, aliisque levioribus accidere solet, *nihil aliud*, *quam vel mendosum esse codicem*, *vel interpretem non assecutum esse quod dictum est*, *vel me minime intellexisse*, *non ambigam*, quod repetit *Lib. II. contra Faust. cap.* 5.

(a) Idem docent *Basilius Hom. X. in Hexam Chrysostomus Hom.* 1. *ad Popul. Hieronymus in Cap. III. ad Ephes.*

Solvuntur objectiones.

Objectiones incredulorum contra Scripturam universam partim refutavimus *Lib. I.* partim apud interpretes nostros, refutatas reperies. Nunc videamus quae praecipue moveri solent contra nonnullas Scripturae partes.

Objic. I. Sacri Scriptores videntur aliquando memoria lapsi. Sic *Matthaeus Cap. XXVII.* 9. citat *Jeremiam* pro *Zacharia. Marcus Cap. I.* 2. citat *Isaiam* pro *Malachia*, *et Cap. II.* 25., *et* 26. refert, *Christum Judaeis* dixisse: *Numquam legistis quid fecerit David, quando esuriit ipse, et qui cum eo erant? quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar Principe Sacerdotum, et panes propositionis manducavit?* cum tamen id acciderit sub *Achimelech*, ut patet ex *I. Reg.* 21. Item *cap. XV.* 25. ait: *erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum*, cum Joannes *Cap. XIX.* 14. scribat id contigisse *hora quasi sexta*. Lucas etiam *Act. VII.* referens concionem S. *Stephani*, nonnulla scribit contra historiae veritatem, ut cum ait *v.* 16. *Translati sunt in Sichem, et positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem*, cum constet ex *Gen. Cap. XXIII. Abraham* emisse agrum ab *Hebron* Hetheo filio Seor, *Jacobum* vero Gen. XXXIII. *a filiis Hemor patris Sichem* alium emisse agrum non pretio argenti, sed centum agnis. His adde locutiones quasdam dubias, ut *quasi mensibus tribus Luc. I.* 56., *quasi annorum triginta Luc. III.* 23. Atqui hujusmodi memoriae lapsus Spiritui S. tribui non possunt. Ergo non in omnibus suis partibus Scriptura a Spiritu S. dictata est.

℞. *Neg. ant.* et ad singula resp. 1°. Verosimilius est, *Matthaeum* nomen Profetae non posuisse, sicut etiam aliis in locis facere consuevit. Testatur enim *Augustinus Lib. III. de Cons. Evang. cap.* 7. *n.* 29. in nonnullis latinis Codicibus ista tantum verba legi: *tunc adimpletum est quod dictum est per prophetam*, cui lectioni consonant plura exemplaria Graeca, Latina, Syriaca, Arabica, quae citantur a *Millio*, et *Jan-*

Jansenio, deinde vero, scriptorem aliquem addidisse ad marginem Jeremiae nomen, quod postea in textum culpa amanuensium translatum est. Addit *Augustinus*, fieri potuisse, ut Spiritus S. ideo voluerit hic *Jeremiam* pro *Zacharia* poni, ut ostenderet, eumdem fuisse Spiritum, quo omnes Prophetae loquebantur; ita ut quod *Jeremiae* est, sit etiam *Zachariae*, et vicissim.

Ad 2m. *Marcus* duorum Prophetarum oracula simul jungit *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam ante te. Vox clamantis in deserto; parate viam Domini*, quorum primum est *Malachiae*, alterum *Isaiae*; unde non est falsa citatio; unum enim Profetam laudavit, alterum siluit. Laudavit vero *Isaiam*, non solum quia erat illustrior, et clarius *Joannem Baptistam* designabat, verum etiam, quia textus *Malachiae* quoad sensum idem sonat, ac textus *Isaiae*.

Ad 3m. Vel *Achimelech* vocabatur etiam *Abiathar*, vel uterque Sacerdotio fungebatur, sicut legimus *Sadoc*, et *Abiathar* sub *Davide* summos sacerdotes fuisse *I. Paralip. XV.* 11. vel sub *Abiathar* idem est ac *tempore Abiathar*, qui postea fuit summus Sacerdos.

Ad 4m. Idem est *hora tertia*, et *hora quasi sexta*, si rationem habeas consuetudinis Hebraeorum, qui integrum diem in duodecim partiebantur horas, easque iterum in quatuor partes dividebant, quarum quaelibet tribus horis constabat. Itaque *prima* hora, seu prima diei pars extendebatur usque *ad tertiam*: secunda pars, quae dicebatur *tertia*, quia a tertia hora incipiebat, ducebatur usque ad sextam. Itaque hora tertia desinente erat hora quasi sexta. *Vide Bened. XIV. de Festis.*

Ad 5m. *Melchior Canus Lib. II. de Locis cap. ult.* respondet, Stephanum memoria lapsum esse, non Lucam, qui noluit mutare ipsa verba, quae *Stephanus* in concione protulerat, imo mentitus esset, si mutasset. Alii vero dicunt, *Seor* patrem *Hebron*, a quo *Abraham* emit sepulcrum, vocatum fuise etiam *Hemor*, ejusque patrem fuisse Sichem, non illum qui tempore Jacobi vivebat, sed alium antiquiorem;

adeo

adeo ut potuerit dicere *Stephanus Abraham* emisse agrum a filiis Hemor, filii Sichem. Nec obstat, quod ex Genesi non constet, Seor appellatum etiam Hemor, et filium fuisse Sichem; Constat enim ex verbis S. Stephani, in quo loquebatur idem Spiritus, qui in Moyse.

Ad 6m. particula *quasi* non dubitantis est, sed certo asserentis rem circa illud tempus contigisse, quod Spiritus S. noluit praecise designare, ut esset etiam in hoc silentio necessarium nobis documentum, ne in rebus ad salutem minime necessariis effraeni curiositati serviamus.

Objic. II. Nonnulla sunt in Scripturis, quae Spiritus S. majestatem non decent, *ex. gr.* quod *Tobia* redeunte praecurrens *canis blandimento caudae gauderet Tob. XI.* 9, et quod scribit *Paulus II. Tim. IV.* 13. *penulam, quam reliqui Troade, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* Quod enim a Deo est, inutile esse non potest, licet ignoremus, quo consilio a Deo sit factum. Haec generalis responsio sufficit. Ceterum quod dicitur 1.° de cane Tobiae pertinet ad historiae integritatem, et nativam simplicitatem, quae rem gestam sub oculos lectoris ponit; unde Homerus idem scribit de cane Ulyssis in Ithacam redeuntis. 2.° Quod objicitur de Pauli penula (quam nonnulli pallium, alii volumen quoddam putant, *V. Estium in Com.*) et de libris, et membranis, valde utile habet documentum, ut Evangelici ministri, exemplo tanti Apostoli, videant debere se humanas infirmitates humanis etiam adjumentis, quando opus est, sublevare; lectioni, et scriptioni dare operam.

Objic. III. Idem Paulus *I. Cor. VII.* 12. aperte dicit: *Ceteris ego dico, non Dominus.* Et *II. Cor. XI.* 17. *Quod loquor non secundum Deum loquor, ... In quo quis audet, in insipientia dico, audeo et ego.* Ergo quaedam scribebat, quae non erant divinitus inspirata.

℟. *Neg. cons.* Verbis enim illis: *Ego dico non Dominus*, ostendere voluit *Paulus*, se non Dei praeceptum dare, sed consilium. Ad consilium autem

istud

istud dandum movebatur a Spiritu Sancto. Quod autem scribit, non secundum Deum, et in insipientia se locutum, non aliud sibi voluit, nisi se in laudibus suis proferendis imitatum esse morem insipientium, licet ad id necessitate coactus, et Deo inspirante motus fuerit ad coercendam Pseudoapostolorum petulantiam.

Objic. IV. Sacri Scriptores divina inspiratione opus non habebant ad ea scribenda; quae vel ipsi viderant, ut Joannes *Cap. XIX.* 35. de se ipso testatur: *Qui vidit testimonium perhibuit*, vel audiverant, ut testatur *Lucas* de se ipso *Cap. I.* Imo *Hieronymus* de *Marco* ait: *juxta quod Petrum referentem audiverat, rogatus Romae a fratribus breve scripsit Evangelium; quod cum Petrus audisset, probavit, et Ecclesiae legendum sua auctoritate dedit*, quae verba indicant 1°. Evangelium *Marci* non fuisse divinitus inspiratum, alias *Petri* approbatione non indiguisset: 2°. Librum aliquem humano ingenio elaboratum posse evadere Sacram Scripturam, si Spiritus S. illum approbet. Ergo.

℟. *Neg. ant.* In rebus enim historicis, quae ipsi viderant, Sacri Scriptores opus habebant inspiratione divina, tum ne memoria falleret; tum ne ad inutilia scribenda dilaberentur; ideoque illa non hominum sed Dei verba sunt. Quod vero *Petrus* Marci Evangelium probaverit, non indicat, Evangelium illud non fuisse divinitus inspiratum; sed *Petrum* auctoritate sua, ac sententia declarasse, librum illum Deo inspirante scriptum esse; unde multo minus sequitur, librum humanum posse censeri Sacram Scripturam ex divina adprobatione; quae propositio damnata est ab *Academia Lovaniensi*, et *Duacensi*.

Reliquas objectiones, ex apparentibus quibusdam antilogiis desumptas, apud interpretes nostros reperies. (*a*).

Objic.

(a) Vide etiam *Exercitationem nostram De veritate divinarum Scripturarum.*

Objic. V. contra 3m. partem. Singula *Scripturae verba* videntur inspirata *Matth. V.* 18. *jota unum, aut unus apex non praeteribit a lege.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Verba enim illa *jota unum, aut unus apex* commode intelligi possunt de singulis Scripturarum sententiis quoad sensum implendis.

Objic. VI. Chrysostomus *Hom. XVIII. in Gen.* docet, nihil temere, vel fortuito loqui Scripturam, sed vel syllabam, et apiculum reconditum habere thesaurum. *Augustinus*, *Bernardus*, aliique Patres passim docent, divino consilio factum esse; ut unam vocem prae alia Sacri Scriptores usurpaverint, ut cum *Ioannes Cap. XIX.* scribit, *unus militum lancea latus ejus aperuit*; non dixit *sauciavit*, *aut vulneravit*. Ergo etc.

℟. *Neg. cons.* In rebus sublimioribus fatemur, non solum res, sed et singula verba fuisse inspirata. In reliquis vero, licet verborum delectus sacris Scriptoribus permissus sit, tamen quia peculiari modo Spiritus S. aderat, ne aut falsa, aut inutilia scriberent, nullum in sacris Libris verbum est otiosum. Ceterum fatemur, adversam sententiam gravibus etiam niti rationibus, et auctoritatibus; nostram, ut verisimiliorem tantum defendimus.

§. II.

De Canone Scripturarum.

Adv. I. *Canon* duo significat, *regulam*, et *catalogum*, unde libri Scripturarum dicuntur *canonici*, quia sunt *regula* Fidei, et quia recensentur in *catalogo* librorum divinorum. Qui autem extra hunc catalogum sunt, dicuntur *apocryphi*, seu ignoti, quia ut divini non agnoscuntur, licet fortasse tales sint.

II. Dividuntur autem libri Canonici in *Protocanonicos* et *Deuterocanonicos*. Priores sunt, qui semper ab universa Ecclesia agniti sunt ut canonici: posteriores vero, de quibus primo a nonnullis dubitabatur, deinde vero relati sunt in canonem. Omnes porro Scripturarum libri sive prius, sive posterius in

in canonem relati, dividuntur, in Historicos, Legales, Sapientiales, et Propheticos; sed nonnulli, ut Pentateuchus, et Evangelia sunt simul historici, et legales.

III. Triplex est Scripturarum *Canon*, Catholicorum, Judaeorum, et Haereticorum. Catholici LXII. Libros in canone habent, scilicet XLV. Veteris Testamenti, et XXVII. novi, Veteris Testamenti libri sunt *Pentateuchus*, qui libros complectitur quinque, *Genesim*, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros*, et *Deuteronomium*; liber *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, quatuor *Regum*, duo *Paralipomenon*, duo *Esdrae*, quorum secundus dicitur etiam Liber *Nehemiae*, *Tobias*, *Judith*, *Esther*, *Job*, *Psalmi* CL., *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Canticum*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, quatuor Prophetae dicti *majores*, quia fusius scripserunt, *Isaias*, *Jeremias* cum *Baruch*, *Ezechiel*, *Daniel*, duodecim minores *Oseas*, *Joel*, *Amos*, *Abdias*, *Jonas*, *Michaeas*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Aggaeus*, *Zacharias*, *Malachias*, et duo *Machabaeorum*. Novi autem Testamenti libri sunt quatuor Evangelia, *Acta* Apostolorum, Epistolae *Pauli* Apostoli quatuordecim, Epistolae *Petri* duae, *Joannis* tres, *Jacobi* una, *Judae* una, et *Apocalypsis*.

IV. Judaei solum recipiunt Vetus Testamentum, exceptis *Tobia*, *Judith*, *Baruch*, *Sapientia*, *Ecclesiastico*, *Libris Machabaeorum*, et nonnullis partibus *Danielis*, et *Esther*, quos libros non habent in Canone, quem Esdras, ut vulgo existimant Patres (*a*), et Theologi, composuit, probavitque Synagoga, licet eos magni faciant, ut testatur *Josephus Lib. I. cont. Appion.* et *Hieronymus Praefat. in Lib. Tob. et Judith.* De *Esdrae* Canone Vide *Natalem Alex. Dissert. IV. in VI. Mundi Ætat.*, *Calmet*, aliosq, (*b*). Dividunt autem Ju-

---

(a) Irenaeus *Lib. III. Cap.* 25. Tertullianus *Lib. de cultu fem. Cap.* 3 Athanasius *in Synopsi*: Chrysostomus *Hom. VIII. in Ep. ad Hebr.* etc.

(b) Adi etiam Rich. Simonium *Hist. Crit. V. T. Lib I. Cap.* 8. Henricum Masium *Dissert. de Libris Canonicis*, qui tamen caute legendi sunt.

Judaei Scripturae libros in Legem, Prophetas, et Hagiographos, seu libros Sanctos quidem, sed non legales, nec propheticos.

V. Varii Haeretici varios rejecerunt Scripturae libros, prout eos suis erroribus videbant adversos. Ita *ex. gr.* Manichaei totum Vetus testamentum tamquam a malo Deo dictatum respuebant, ex novo autem detrahebant quidquid iis placebat, unde *Tertullianus Lib. de praescript.* docet, potius ex traditione revincendos Haereticos, quam ex Scripturis, quas vel non recipiunt, vel pro lubito mutilant. Vide *Bellarminum Lib. I. de Verbo Dei Cap.* 5. *et* 6. qui omnes recenset haereticos, qui varios Scripturarum libros, aut eorum partes respuebant; et *Bartholomaeum Germonium de veteribus haereticis Ecclesiasticorum codicum corruptoribus Lib. I. part.* 1. Lutherani ex Veteri Testamento eos libros rejiciunt, quos Judaei non habent in Canone: ex novo vero rejiciunt Epistolam Pauli ad Hebraeos, nec non Epistolam Jacobi, Judae, secundam Petri, secundam, et tertiam *Joannis*, et *Apocalypsin. Calvinus*, ejusque asseclae circa libros veteris testamenti cum *Luthero* consentiunt; recipiunt tamen libros novi testamenti, quos *Lutherus* rejicit, ut patet ex *Calvini* Institutione breviore *Cap.* 8. §. 216, et ex Confessione fidei a Calvinistis oblata in comitiis Poissiacensibus, *Cap.* 3.

PROPOSITIO

Verus, est, et legitimus canon Scripturarum, quem Ecclesia Catholica probat. Est dogma fidei.

Prob. ex Traditione, neque enim aliunde Judaei, aut Haeretici probare possunt, librum aliquem esse divinum, et canonicum. I. *Innocentius* I. in Epist. III. ad *Exuperium* Tholosanum anno 400. Concilium Carthaginense III. anno 410. *Augustinus Lib. II. de Doct. Christ. Cap.* 8. Gelasius Papa decreto edito in Concilio Romano anno 494. Canonem Scripturarum exponunt qualem Catholici habent, nisi quod li-

librum Baruch, qui scriba Jeremiae fuit, nonnulli, ut *Augustinus loc. cit.* in ipso Jeremia comprehendunt.

II. Patres, qui ante annum 400. floruerunt, licet Canonem Scripturarum non describant; laudant tamen ut canonicos omnes libros, qui sunt in canone Catholicorum, et ab Judaeis, vel Haereticis rejiciuntur. Eorum testimonia vide apud *Bellarminum Lib. I. de Verb. Dei Cap. VII., et seq.* et *Sylvium Opusc.* V.

III. Ruffinus crimini vertit Hieronymo, quod libros deuterocanonicos, praesertim *Judith*, in Canonem non receperit, a qua objectione Hieronymus se purgat *Lib. II. cont. Ruff. cap.* 9. Ergo constans erat tunc apud catholicos horum librorum auctoritas, licet nonnullae ecclesiae de iis, salva fide, et pace, dubitaverint ante definitionem Concilii generalis.

VI. Eugenius IV. in decreto pro Armenis ad calcem Concilii Florentini eundem edidit Scripturarum Canonem.

V. Denique Concilium Tridentinum rem aperte declaravit *Sess. IV.* ubi postquam Canonem Scripturarum juxta Catholicos exposuit, sic definit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur non susceperit . . . . anathema sit.* Quibus verbis non solum libros ipsos, sed etiam nonnullas eorum partes, de quibus antea a quibusdam dubitabatur, declaravit canonicas, quales sunt *ex gr.* septem postrema capita *Libri Esther*, historia *Susannae* apud *Danielem*, *Marci* cap. ultimum, *Lucae* historia de sudore *Christi* sanguineo, *Joannis* historia de muliere adultera, et insignis locus ejusdem *Joannis* Epist I. Cap. 5. *v.* 7. *Tres sunt qui testimonium dant in Caelo*; Omnes enim hae partes in *Vulgata Latina editione* habentur; et in *Ecclesia legi consueverunt.* Hinc rejicienda est ut temeraria sententia *Sixti* Senensis *Lib.* 1. *Biblioth. Sanct.* Concilium scilicet intelligendum esse de partibus veris, non de spuriis, quod si verum esset, omnium Scripturae partium nutaret auctoritas.

Scho-

Scholium.

Ne quem fallat judicium Melchioris Cani, qui asserit, non esse haereticum, qui Libros deuterocanonicos Veteris Testamenti non suspiceret ut divinos, sciat Theologum illum ante absolutum Concilium Tridentinum obiisse, anno scilicet MDLX. nec interfuisse sessioni IV. Vid. *Vindicias Librorum deuterocanonicorum*, quae insertae sunt supplemento Historiae *Natalis Alex.* et Calmet *in praefationibus.*

Objectiones diluuntur.

Objectiones partim fiunt generatim contra omnes libros *deuterocanonicos*, partim contra singulos. Hic generales tantum diluemus, singulares vero, quia excedunt institutae brevitatis limites, apud *Bellarminum*, et *Silvium* legi possunt, nosque eas peculiari *Exercitatione* dissolvimus.

Objic. I. Libri veteris Testamenti, qui divini non fuerunt in Synagoga, non possunt tales esse in Ecclesia. At libri *deuterocanonici* Veteris legis divini non fuerunt in Synagoga. Ergo.

℟. *Neg. min.* licet enim Synagoga eos libros nondum in Canonem receperit, non tamen rejecit ut spurios. Aliud ergo est, esse librum aliquem divinum, aliud Canonicum, licet omnis liber canonicus divinus sit. Divinus est liber, qui Deo inspirante scriptus est: canonicus, qui in canonem ab Ecclesia est relatus. Erant ergo libri illi divini, sed nondum in canone recensiti.

Inst. Libri, qui in canonem relati non sunt a Synagoga, non possunt in canonem referri ab Ecclesia, quae utique canonem suum a Synagoga accepit; *Judaeis* enim *credita sunt eloquia Dei Rom. III.* 2. Ergo.

℟. *Neg. ant* Si enim loquamur de libris post compositum ab *Esdra* canonem conscriptis, ut sunt libri *Machabaeorum*, et *Ecclesiastici*, *Sapientiae*, et in multorum sententia etiam liber *Judith*, patet non minus

minus potuisse Ecclesiam agnoscere ut divinos, et canonicos libros illos, qui post *Esdram* scripti sunt, quam potuit Synagoga tempore *Esdrae* canonicos agnoscere libros antiquiores, qui licet ante *Esdram* non essent in canonem relati, non ideo tamen divini non erant. Si vero loquamur de libris ante compositum ab *Esdra* canonem, vel ante clausum canonem, quod contigit in nonnullorum sententia circa finem imperii Medorum, ut est liber *Tobiae*, et in nonnullorum sententia etiam liber *Judith*, respondendum est, *Esdram* non rejecisse eos ut spurios, sed non retulisse in canonem, quia Chaldaica lingua scripti erant, non Hebraica, qua eousque Sacri Scriptores usi erant. Hoc autem non obstitit, quominus eos postea Ecclesia in canone recenseret.

Ecclesia quidem canonem *T. Vet.* a Synagoga recepit, sed in agnoscendis divinis libris eodem spiritu regitur, quo Synagoga regebatur. Atque haec responsio valet etiam pro iis partibus *Danielis*, et *Estheris*, quas Hebraei in canone non habent.

Objic. II. Nonnulli ex antiquis Ecclesiae Doctoribus dubitarunt de libris deuterocanonicis tum veteris, tum novi Testamenti. Ita *Hieronymus* in *Prologo Galeato*, et *Hieronymo* antiquior *Melito* Sardensis *ap. Euseb. Hist. Lib. IV. Cap.* 26. expunxit e Canone libros *Baruch*, *Sapientiae*, *Ecclesiastici*, *Tobiae*, ambos *Machabaeorum*: ita etiam alii alios deuterocanonicos. Ergo non constabat traditio de eorum divinitate.

℟. *Neg. cons.* Traditio enim praecipue ex Ecclesiarum Apostolicarum, seu quae ab Apostolis erant fundatae, testimonio probanda est; quod non satis attenderunt singulares illi Doctores, aut etiam minores Ecclesiae, et falli potuerunt in re nondum clare definita. Eorum autem peculiaris opinio communem Ecclesiae traditionem non labefactat.

§. III.

§. III.

De Auctoribus Librorum Veteris, Novique Testamenti.

Adv. Cum primus Scripturae auctor sit ipse Deus, quaerimus hic quorum ministerio ad varios Scripturarum libros exarandos usus sit. Cum autem Deus quocumque homine, quando ei placuerit, aeque uti possit ad opera quaeque egregia perpetranda, quippe qui infirma mundi eligat, et contemptibilia, ut confundat fortia; licet multorum ignoretur Scriptor Librorum, non inde tamen nutat Scripturarum veritas. Sed quia ad revincendam incredulorum pervicaciam juvat ostendere, quosdam Libros historicos scriptos esse ab auctoribus, qui rebus, quas narrant, interfuerant, easque scripsere, viventibus iis, coram quibus acciderant; propheticos vero ante rerum eventum: ideo de singulis Scripturarum Libris agemus breviter, ut quid de eorum auctoribus certum sit, quid incertum, tirones perspectum habeant.

De Pentateucho.

Adv. Omnes igitur contendunt nervos increduli (a) ut suadeant, Moysen non esse Pentateuchi auctorem, ne concedere cogantur miracula, quae in exitu filiorum Israel ex Ægypto patrata sunt; imo nec defuerunt, qui effutirent, Moysen personam esse fictitiam, quae nunquam extitit. Quos quidem nemo melius, et copiosius confutavit Huetio in *Demonst. Evan. Prop. IV. et seq.*

PRO-

(a) Hobbesius *in Leviathane*: Is. Pereyra *Tract. Praeadamit.* Spinosa *Tract. Theol. Polit.* Tholandus *Orig. Judaic* quibus accedunt Simonius *Hist Crit. V. T.* Clericus *Respons. et Observat. in Hist. Simon. Volterius passim etc.*

PROPOSITIO

Auctor Pentateuchi est ipse Moyses, licet nonnulla post ejus mortem addita verosimilius videantur.

Prob. 1. *pars. I.* Non alia ratione certi sumus, librum aliquem a certo auctore scriptum, nisi quia illum ei tribuit constans omnium saeculorum traditio; sic enim scimus *Platonis*, *Aristotelis*, *Ciceronis* Libros, ipsorum opera esse genuina. Omnium autem saeculorum traditio Hebraeorum, Christianorum, Ethnicorum, Pentateuchum *Moysi* constantissime tribuit. De Hebraeis enim et Christianis comperta res est. Ex Ethnicis habemus testimonia *Nicolai Damasceni*, *Strabonis*, *Appionis Grammatici*, *Manethonis* Ægyptii, aliorumque, quos longa serie *Daniel Huetius* collegit. Ergo.

Prob. II. Auctor Pentateuchi refert, ipsum *Moysen* scripsisse universos sermones Domini· *Exod. XXIV. 4. Scripsit autem Moyses universos sermones Domini... Assumensque volumen foederis legis, audiente populo*, etc. Ec *Exod. XXXIV.* 27. *Dixitque Dominus ad Moysen, scribe tibi verba haec, quibus et tecum, et eum Israel pepigi faedus.* Deuter XXXI. 9. *Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit Sacerdotibus filiis Levi.* Atqui volumen illud a *Moyse* scriptum ipsissimus est Pentateuchus; tum quia servatum fuisset sine dubio volumen illud a *Moyse* scriptum, et a Pentateucho diversum; tum quia Pentateuchus, excepta Genesi, quae est necessaria introductio ad intelligendam historiam latae legis, nihil aliud continet, nisi sermones, et legem Domini, interjectis tantummodo narrationibus eorum, quorum occasione Deus locutus est. Atque ideo si *Moyses* universos scripsit sermones Domini, Pentateuchum totum conscripsit. Ergo etc.

Prob. III. Si impostor aliquis a *Moyse* diversus Pentateuchum scripsisset, id factum esset vel ipso vivente *Moyse*, vel post ejus obitum. Sed neutrum fieri potuit. Non primum; facile enim detecta fraus a Le-

a Legislatore ipso mendacii inimico non fuisset impunita. Nec alterum fieri potuit; cum enim in Pentateucho referantur facta multis Israelitarum familiis probrosa, et scribantur leges toti populo gravissimae; fieri non potuit, ut vel omnis populus in imposturam conspiraret; vel a paucis composita fraus a reliquo populo non detegeretur. Ergo. ec.

Prob. 2. *pars.* Sunt nonnulla in Pentateucho, quae post *Moysis* mortem accidisse constat, ut 1°. ipsa *Moysis* mors, et sepultura *Deuteron ult.* 2°. mutatio nominis Regionum, ut cum dicitur *Genes.* XIV. *Abraham* persecutus reges, qui *Lothum* captivum duxerant, *usque Dan*, cum constet, urbem illam nonnisi post mortem *Moysis* ita appellatam ex tribu *Dan*, cum antea vocaretur *Lais*, *Judic. XVIII.* 29. Tale est etiam quod dicitur *Deuter III.* 11. de lecto ferreo *Og* Regis Basan. Atqui licet potuerit ista *Moyses* prophetice scribere, sicut opinantur *Josephus Lib. IV. Antiq. Judaic.* et *Philo Lib. De vita Moysis*, verosimilius tamen est, post ejus mortem fuisse adjecta; non enim sine causa miracula multiplicanda sunt. Ergo etc.

Objectiones.

Objic. I. *Moyses* Jordanem non trajecit; mortuus est enim in monte *Nebo* antequam Jordanem Israelitae transirent; *Deuter ult.* Atqui auctor *Pentateuchi* scripsit trans Jordanem. Sic enim de *Moyse* loquitur *Deuteron. I. Haec sunt verba, quae locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem.* Ergo etc

℟. *Neg. min.* 1°. quia vox Hebraica בעבר *beheber* quam vulgata vertit *trans*, ambigua est, utrumque significans et *trans*, et *citra*, ut *Vatablus*, *Buxtorfius*, aliique observant: 2°. quia *Moyses* scribens posteris, qui trajecturi erant Jordanem, sapientissime notavit locum, ubi tunc agebat, esse respectu posterorum trans Jordanem. 3°. Denique potuerunt haec verba adjecta esse post mortem Moysis, ut putat *Calmet.*

Inst. 1°. *Auctor Pentateuchi* semper de *Moyse* loquitur

tur ut de alia persona; dixit *Moyses*, respondit *Moyses*, vocavit Dominus *Moysen* etc. Ergo non ipse *Moyses* ea scripsit.

℟. *Neg cons.* Nam et profani historici saepe de se ipsi in tertia persona loquuntur, ut *Caesar* in Commentariis, *Josephus* in Libris *de Bello Judaico*; et ipsi Sacri Scriptores idem faciunt, ut *Matthaeus*, *Matt.* IX. 9. et *Joannes*, *Joan.* XIII. 23. nec ullus ipsis umquam abjudicavit libros, qui eorum nominibus inscribuntur.

Inst. 2°. In Genesi legitur, *Abraham* ex *Haran* profectum esse in *Chanaan*: subditque auctor: *Chananaeus autem tunc erat in terra*, ac proinde cum haec scripta sunt, expulsi jam e suis sedibus erant Chananaei. Atqui hoc factum est post mortem *Moysis*. Ergo.

℟. 1°. *Neg. maj.* quoad alteram partem; verba enim illa *Chananaeus autem tunc erat in terra*, sensum illum nativum, ac simplicem habere possunt: jam tunc Chananaei in terra illa erant, cum Abraham eo pertexit; ac proinde non significant, jam esse inde depulsos, cum haec scripta sunt.

℟. 2°. Potuisse vel *Moysen* prophetico spiritu, vel alium sacrum Scriptorem post ejus mortem ista adjicere verbis Mosaicis.

Inst. 3°. Asserere aliquid post mortem *Moysis* Pentateucho adjectum, puerilis evasio est. Cum enim constet, esse ibi nonnulla, quae non sunt a *Moyse* scripta, nec umquam probari possit, ea fuisse aliena manu addita, solidius concludunt adversarii, totum librum non esse *Moysis*. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Cum enim luce clarius sit a *Moyse* scriptum esse Pentateuchum, evidenter concluditur, nonnulla vel a *Moyse* prophetice scripta, vel ab aliis addita.

Inst. 4°. Scribit auctor Pentateuchi *Exod. XVI.* 35. *Filii Israel comederunt Man quadraginta annis.... hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines terrae Chanaan.* Sed *Moyses* jam obierat, cum Israelitae Chananeos fines attigerunt. Ergo etc.

℟. *Neg. cons.* Cum enim *Moyses* per annos illos

I qua-

quadraginta populi ductor fuerit, videritque eum manna manducasse, et sciret Deo revelante *Num.* XVI. 33. non amplius quadraginta annis duraturam peregrinationem in deserto, quidni scribere potuit, per annos quadraginta Israelitas manna comedisse, donec fines attingerent terrae Chanaan, in qua utpote feracissima, eo cibo ipsis amplius opus non erat?

Inanes *Volterii* objectiones (ut puta quod nondum fuerint aetate *Moysis* inventae alphabeti litterae, quod nondum scriberetur, nisi in marmore, aut plumbo, aliaque ejusdem generis somnia) praetermittimus; praestat enim ad ea, quae majoris momenti sunt, properare, quam in miseri hujus, et impii scurrae cavillationibus dissolvendis immorari (*a*).

Corollaria.

I. Hinc sequitur, Pentateuchum esse omnium librorum, qui extant, antiquissimum. *Moyses* enim *Pentateuchi* auctor, non solum Graecis Historicis *Herodoto*, *Thucidide*, ac Poetis *Lino*, *Orpheo*, vetustior est, verum etiam Ægyptiis, et Assyriis *Beroso*, *Manethone*, *Sanchuniathone*: quippe, fatente *Appione* apud *Josephum*, *Lib. I. cont. Appion. Moyses* coaevus fuit *Inacho* Argivo, qui Scriptores omnes Graecos, ac Barbaros longe antecessit. Sed utrum ante *Moysen* alii fuerint libri, qui perierint, exploratum non est. Nam *liber bellorum Domini*, qui laudatur *Num. XXI.* 14. non est certe vetustior *Pentateucho*; potuit enim liber ille ab ipso *Moyse* esse scriptus, potuit et versus ille post mortem *Moysis* esse adjectus. Quidquid sit, non videtur verisimile, ipsum *Moysen* fuisse litterarum inventorem, cum *Act. VII.* 22. dicatur excultus *omni sapientia Ægyptiorum*, a quibus verisimile est alphabeticas litteras accepisse, nisi dicere malimus, Abrahamum, ejusque nepotes eas accepisse a Chaldaeis, ex

(a) V. Lettres de quelques Juifs a M. de *Voltaire*.

ex quibus orti, vel a Phoeniciis, apud quos diu peregrinati sunt. Vide D. Calmet. *Dissert. de mater. et form. vet. libr.*

II. Cum recta ratio postulet, ut in historia major sit illorum auctoritas, qui viciniores fuerunt rebus, quas memoriae prodiderunt, sequitur, Mosaicam historiam profanas omnes historias auctoritate vincere, quamvis non esset Deo inspirante conscripta: ut mira sit eorum caecitas, qui ex fabulosis narratiunculis scriptorum Ægyptiorum, Chaldaeorum, Sinensium multis saeculis *Moyse* posteriorum, Mosaicae historiae tenebras offundere conantur.

III. Quamvis autem referat *Moyses* res vetustissimas virorum antediluvianorum; potuit tamen praeter revelationem eas ediscere ex traditione, quae propter virorum illorum longissimam vitam tempore *Moysis* recens erat. Avus enim *Moysis Caath* cum *Jacobo* ingressus est in Ægyptum. *Jacob* autem natus est superstite adhuc *Abraham*, qui cum *Sem* filio Noe diu vixit. *Sem* autem eum *Mathusala*, qui diutius cum ipso *Adamo* conversatus est. Vide *Duguet Comment. in Genes.*

IV. Denique hinc sequitur, miracula, quae in *Pentateucho* patrata referuntur in exitu Israelitarum ex Ægypto, esse certissima, ut in dubium revocari sine scepticismo non possint. Scripta sunt enim ab ipso *Moyse*, viventibus illis, coram quibus facta referuntur.

De Libro Josue.

Librum *Iosue Bellarminus Lib. De Scriptor. Eccles.* Sixtus Senensis *Lib.* 1. Biblioth. aliique scriptum censent ab ipso *Iosue Moysis* successore, tum quia *Ios. ult.* dicitur: *Scripsit quoque Iosue ultima verba haec in volumine Legis Domini*, tum quia *Eccl. XLVI.* dicitur *Iosue* successor *Moysi* in Prophetis, Graece *in prophetiis*, nempe in scribendis divino spiritu libris sacris. Id si verum est, dicendum, ea, quae ibi leguntur de morte *Iosue Cap. ult.* vel de iis rebus, quae post ejus mortem acciderunt, adjecta esse ab alio sacro Scriptore. Ceterum *Andraeas Masius* totum

librum Esdrae attribuit, *Natalis Alex.* rectius incerto auctori.

De Libris Judicum, Ruth, Regum, et Paralipomenon.

Horum Librorum auctor incertus est. Sunt, qui putant, Librum *Judicum, Ruth*, primum *Regum* scriptos a *Samuele*; secundum a *Nathan*, et *Gad* prophetis; tertium et quartum *Regum*, ut et duos *Paralipomenon* ab Esdra.

De duobus Libris Esdrae.

Priorem *Esdrae* librum, ipsum *Esdram* scripsisse putant *Driedo, Sixtus Senensis, Bellarminus*, aliique, posteriorem vero *Nehemiam* scripsisse satis patet tum ex Libri initio, quod sic habet: *Verba Nehemiae filii Helchiae*, tum quia ibi saepe *Nehemias* de se in prima persona loquitur. Dicuntur autem primus, et secundus Esdrae, quia apud Hebraeos in unum volumen connexi tribuuntur primo Scriptori.

De Libris Tobiae, Hesther, Judith, et Job.

Librum *Tobiae* ipsum *Tobiam* scripsisse verisimile est ex *Cap. XII.* ubi juxta versionem LXX. habetur: *Scribite omnia, quae consummata sunt in libro*, ab alio tamen scriptore adjecta creduntur, quae habentur in fine Cap. XIV.

Liber *Judith* fortasse a *Ioachim* tunc summo Pontifice scriptus est: at Librum *Esther* a *Mardochaeo* compositum valde est verisimile ex iis, quae ibi leguntur *Cap.* IX. *Scripsit autem Mardochaeus omnia*: *et Cap. XII. Mardochaeus rei memoriam litteris mandavit.*

Librum *Job* nonnulli volunt a *Moyse* scriptum, ut patientiae exemplum proponeret Israelitis: alii ab ipso *Job*, sed fortasse a *Jobo* lingua Arabica composita historia, postea a *Moyse* digesta est.

De

De Libro Psalmorum.

Psalmos nonnulli volunt partim a *Davide* compositos, partim ab iis, quorum nomina praeferunt, ut *Asaph*, *Iditun*, *Ethan*, filiis *Core* etc.; alii vero omnes a *Davide* scriptos, datos autem cantoribus illis *Asaph*, *Idithum* etc. ut eos musicis notis distinguerent, et canerent. Haec posterior sententia placuit *Augustino Lib. XVII. De Civ. Cap.* 14. *Chrysostomo*, *Theodoreto*, aliisque (*a*), tum quia *Christus Luc. XX.* Librum Psalmorum *Davidi* videtur tribuere, tum quia in novo Testamento semper Psalmi sub nomine *Davidis* laudantur (*b*): favet etiam huic opinioni Tridentinum, quod Psalterium omne *Davidicum* appellat. Sed non desunt priori sententiae gravissimi auctores *Hilarius*, *Hieronymus*, aliique (*c*), imo rationes fortasse validiores, ita ut verosimilior illa videatur. Non solum enim Psalmorum tituli eos variis tribuunt auctoribus, sed et argumenta sunt de rebus, quas multo post *Davidem* accidisse constat. Tribuitur aliquando in Scripturis Psalterium *Davidi*, utpote praecipuo Psalmorum auctori; sicut Epistolarum collectio tribuitur *Ciceroni*, *Augustino*, *Hieronymo*, quamvis aliorum etiam Epistolas habeat.

De Proverbiis, Ecclesiaste, Cantico Canticorum, et Sapientia.

Proverbia, *Ecclesiasten*, *Canticum Canticorum Salomonis* esse, Patres omnes sine ulla controversia affirmant,

---

(a) *Chrysostomus in Psal.* 1. *Theodoretus Praef. in Psal. Ambrosius Praef. in Ps.* Euthymius *Praef. in Psal.* Philastrius *Haeres.* LXXIX. Cassiodorus *Prol. in Psal.*

(b) *Matth. XXII.* 42. *Marc. XII.* 36. *et al.*

(c) Hilarius *Praef. in Psal.* et *in Psal.* 131. Hieronymus *Epist. ad Sophron.* 134. Eusebius Caesar. *Praef. in Psal. et alib.* Auctor *Synopsis inter Opp. Athanasii*, *aliiq.*

mant, ut *Hieronymus Praef. in Lib. Salom. Augustinus Lib.* II. *De Doct. Christ. Cap.* 8., *et alii*, consentiuntque Hebraei, imo patet ex ipsis Libris. Controversia tantum est de Cap. tricesimo Proverbiorum, eo quod initio ejus Capitis, ubi in vulgata habemus: *Verba congregantis*: in Hebraeo legitur *Verba Agur*. Sed verisimilius est nomen *Agur* ibi esse appellativum, quod *congregantem* significat, recteque congruit *Salomoni*, qui et Ecclesiastes dicitur.

Sapientiae vero Liber, licet quoad sententias *Salomonis* sit, ut docent *Tertullianus, Hieronymus, Eusebius*, aliique (a), cum non alteri aptari possint ea verba *Cap.* IX. *Tu elegisti me regem populo tuo, et judicem filiorum tuorum, et filiarum, et dixisti, me aedificare templum in monte sancto tuo*; tamen cum nec in Hebraeo habeatur, et Graecam redoleat eloquentiam, ex sententiis *Salomonis* a quodam Judaeo Graece perito compositum putatur, *vel* a *Philone* quodam ante *Christi* adventum ut nonnulli putant, vel ab incerto auctore, ut rectius alii docent.

Denique *Ecclesiastici* auctor est *Jesus* filius *Sirach* Hierosolymitanus, ut ex *Cap.* penultimo constat; idque ante Machabaeorum aetatem, annis ante *Christum* circiter ducentis. Vocatur aliquando liber *Salomonis* tum propter quandam eloquii similitudinem, tum propter insertas aliquas *Salomonis* sententias, ut *Augustinus* observat *Lib. XVII. De Civ. Cap.* 20.

De Prophetis.

Quatuor Prophetas, qui Majores dicuntur, et duodecim Minores auctores esse librorum, qui illis inscribuntur, constans Patrum, et Theologorum sententia est; omnibus enim saeculis Libri illi ipsis tributi sunt.

De

(a) Hieronymus Ep. *XIII. ad Paulin.* Tertullianus *Lib. de Praescr. pt.* Cyprianus *Lib. de mortalitat. et al.* Eusebius *Lib. VI. Cap.* 22.

De Libris Machabaeorum.

Prior Machabaeorum liber probabili ratione scriptus creditur ab *Hircano* summo Pontifice, qui et Propheta dicitur a *Josepho Lib. XIII. Antiq. Cap.* 17. Ejus sententiae est *Bellarminus Lib.* de *Script. Eccles.* Posterior vero ex quinque Libris *Jasonis* Cyrenaci collectus est ab incerto auctore.

Ceterum quae hic strictissime sumus prosecuti de Libris Veteris Testamenti, ea uberrime, et eruditissime pertractata invenies apud D. *Calmet* in Prefationibus. Jam de novi Testamenti Libris breviter dicendum est.

De quatuor Evangeliis, Actibus Apostolorum, et Epistolis Pauli, Petri, et Joannis.

Quin quatuor *Evangelia* ab iis scripta sint, quorum inscribuntur nominibus, dubitare apertae dementiae est, ut alibi observavimus. *Acta* vero Apostolorum a *Luca* esse composita, tum ex verbis, quae initio Libri habentur, tum ex perpetua traditione constat. Denique *Epistolas Pauli* tredecim, primam *Petri*, et primam *Joannis* ab ipsis esse scriptas, omnium Patrum consensus ostendit. Sed de Epistola ad *Hebraeos*, *secunda* Petri, *secunda*, *et tertia Joannis*, sicut et de Epistolis *Jacobi* et *Judae*, a quibusdam mota est controversia.

De Epistola ad Hebraeos.

Duae sunt de *Epistola ad Hebraeos* distinctae quaestiones 1°. utrum sit canonica: 2°. utrum genuinum *Pauli* opus. Prius negarunt olim Marcionitae *ap. Hieron. Praef. in Epist. ad Tit.* Arius *ap. Theodoret. Praef. in Epist. ad Heb.* Lutherus, ejusque asseclae. Posterius in dubium revocarunt nonnulli veteres, praesertim Latini, teste Hieronymo *Lib. de Vir. Illust.* et Eusebio *Lib. III. Hist. Cap.* 3. quam dubitatio-

tionem jam olim excussam renovare conati sunt *Calvinus*, *Erasmus*, et Cardinalis *Cajetanus*.

Quoniam autem ostendimus supra, hanc Epistolam, ut et ceteros libros deuterocanonicos, vere esse divinam, non est hic prior quaestio iterum agitanda. Quod autem ea sit Apostoli *Pauli*, non *Barnabae*, non *Lucae*, non *Clementis* Romani, ut varii suspicati sunt auctores, inde evincitur, quod vetustissimi Patres eam laudant, ut *Pauli* opus. Ita *Clemens* Romanus *apud Euseb. Lib.* III. *Cap.* 38. Gelasius I. in Concilio Romano, Concilium Laodicaenum *Can.* 59. Carthaginense III. *Can.* 47. Omnes denique Graeci Patres, imo et Latini, quatuor tantum exceptis *Tertulliano*, *Cypriano*, *Lactantio*, *Arnobio*, qui hanc Epistolam non videntur agnovisse. Ceterum tanta est Ecclesiae universae consensio in agnoscenda hac *Pauli* Epistola, ut *Philastrius* inter haereticos recenseat eos, qui illam *Paulo* abjudicant. Nos quidem ab hac censura abstinemus, sed cum Concilio Tridentino, et universa Ecclesia eam epistolam, ut divinum, et genuinum agnoscimus Pauli opus.

Duo objiciunt adversarii, nempe quod non sit in principio *Pauli* nomen, et salutatio, quam ceteris Epistolis praemisit, et quod stilus sit ornatior. Sed primum factum est, vel quia *Pauli* nomen Hebraeis erat invisum, vel alia de causa, quam ignoramus; posterius vero vel quia *Paulus* Epistolam Hebraice scripsit, ideoque utpote in nativa lingua ornatius, ut putat *Eusebius* Lib. III. Cap. 38. vel quia quoad sensum a *Paulo* dictata, ab alio quoad delectum verborum ornatius scripta est, ut putat *Origenes ap. Euseb. Lib. VI. Hist. Cap.* 18. Quidquid ejus rei sit, non est insuetum, ut idem auctor variis in libris, pro vario argumento, vario etiam utatur stilo. Quae autem objiciunt ex nonnullis hujus Epistolae sententiis, potius ad oppugnandam ejus divinitatem pertinent; ideoque nos praetermittimus. Ea apud *Bellarminum*, et *Sylvium* refutata reperies.

De Epistolis Jacobi, Judae, secunda Petri, secunda et tertia Joannis.

De his etiam Epistolis quosdam dubitasse, auctor est *Hieronymus*, et *Eusebius*. *Lutherus*, *Kemnitius*, Magdeburgenses Jacobi, et Judae Epistolas aperte rejiciunt; de reliquis dubitant. Erasmus Jacobi Epistolam non redolere Apostolicam gravitatem affirmat; secundam, et tertiam Joannis negat esse Apostolicas: de secunda Petri dubitat. *Cajetanus* de omnibus dubitat.

Verum has Epistolas horum esse Apostolorum, iisdem argumentis probatur, quibus paulo ante usi sumus, omnium nempe Patrum, et Conciliorum consensione (*a*), paucissimis exceptis auctoribus, quorum dubitatio universae Ecclesiae consensum concutere, aut subvertere non poterit.

De Apocalypsi.

Et hunc postremum Scripturae Librum *Joanni* Apostolo abjudicare, atque e Canone expungere ausi sunt primo haeretici nonnulli, ut *Marcionitae* apud *Tertullian. Lib. IV. cont. Marcion.* Alogi, et Theodotiani apud *Epiphan. Haeres. LI.* et *LIV.* Denique Lutherani, exceptis Magdeburgensibus *Cent. I. Lib. II. Cap.* 4. Deinde etiam nonnulli veteres Catholici; ait enim *Hieroymus Epist. ad Dardanum*, ita paucos Graecorum dubitare de *Apocalypsi*, ut pauci Latinorum de Epistola ad Hebraeos. *Erasmus* variis rationibus suadere conatur, Librum hunc non esse *Joannis* Apostoli *Annotat. in Apocalyps.*

Sed praeter omnium Latinorum Patrum consensum, etiam Graeci Apocalypsim, ut divinum *Joannis*

(a) Concil. Laodic. Carthag. III. Florentin. et Trident. Innocent. I. *Epist. ad Exuper.* Gelasius I. Origenes *Hom. VII. in Jos.* Epiphanius *Haeres. LXXVI.* Athanas. *in Synopsi*; Hieron. *Epist. ad Paulin.* Augustin. *Lib. II. de Doct. Cap.* 8. et alii innumeri.

nis Apostoli opus agnoscunt (*a*), nec recta ratio patitur, ut duorum aut trium Graecorum dubitatio, qui etiam a coaevis scriptoribus refutati sunt, communi, et perpetuae traditioni praevaleat.

Objectiones vero *Erasmi*, nempe quod saepe in Apocalypsi *Joannes* seipse nominat dicens, *Ego Joannes*, quod in Evangelio prae modestia numquam fecit: et quod in nonnullis codicibus *Apocalypsis* inscribitur *Joanni* Theologo, nullius momenti sunt. Potuit enim seipse nominare, cum in Patmos exularet, ne quis eum librum genuinum esse Apostoli opus dubitaret: potuit etiam ab antiquis vocari Theologus, quia de divinitate Verbi, et Trinitate sublimius scripserat.

§. IV.

De Libris Scripturarum Apocryphis.

Αποκρυφον sive *Apocryphum* occultum aliquid significat, unde solet apocryphus appellari liber, qui non ejus est auctoris, cui tribuitur, sed alterius ignoti. Apud veteres Patres apocryphi dicuntur libri, qui vel continent doctrinam catholicae adversam, aut suspectam: quo sensu *Gelasius I.* in Concilio Romano apocryphos appellat libros *Clementis* Alexandrini, *Origenis* etc. vel qui in Canonem Scripturarum non sunt ab Ecclesia recepti. Hoc igitur postremo sensu multi recensentur apocryphi tum veteris, tum novi Testamenti libri a *Gelasio I.*, *Athanasio*, vel alio auctore in *Synopsi*, et *Innocentio I.* in Epistola ad *Exuperium*. Eorum maxima pars periit; sed supersunt ex veteri Testamento Liber tertius, et quartus *Esdrae*: tertius, et quartus *Machabaeorum*: Oratio *Manasse*: Appe-

(b) Inter Latinos Tertullianus *Lib. IV. cont. Marcion.* Ambrosius *in Psal. XL.* Augustinus *Tract. XXXVI. in Joan.* Innocentius I. *Epist. ad Exuper.* Hieronymus, qui in *Epist. ad Dardan.* omnium Latinorum hunc esse consensum docet. Inter Graecos Justinus *Dial. cum Tryph.* Irenaeus *Lib. V. in fin.* Origenes *Hom. VII. in Jos.* Athanasius *in Synopsi*, Epiphanius, Chrysostomus, Damascenus. Adde Concilia, Ancyranum, Carthaginense III. Romanum sub Gelasio, Toletan. IV. *can.* 16. Tridentinum *Ses. IV.*

pendix ad Librum *Job*, Psalmus CLI. Oratio *Salomonis*, quae in veteribus Bibliorum editionibus in fine libri *Ecclesiastici* reperitur.

Dubitatur autem a nonnullis, utrum apocryphus est Prologus *Ecclesiastici*, et Praefatio Threnis *Jeremiae* praefixa.

Ex novi autem Testamenti libris apocryphi sunt Evangelia secundum *Thomam*, *Mathiam*, *Bartholomaeum*, *Petrum*, *Nicodemum*, *Andraeam*, *Paulum*, *Barnabam*; *Jacobum*, secundum *Hebraeos*, aliaque omnia Evangelia, quorum mentio apud veteres occurrit, praeter quatuor, quae in Canone habentur: Epistola *Jesu Christi* ad *Abgarum*. Vide de Apocryphis libris Novi Testamenti *Fabricium*.

Gravis porro est inter Theologos quaestio, utrum libri aliqui non apocryphi, sed vere divini, incuria hominum, vel injuria hostium Religionis perierint. Bellarminus quidem *Lib. IV. de Verbo Dei cap.* 4. Serarius *in Proleg. cap.* 8. Estius *in Lib. II. Paralip. cap.* 33. aliique post Chrysostomum *Homil. IX. in Matth. et Homil. VII. in* 1. *ad Cor.* id affirmant, eo quod in Scriptura nonnulli laudantur libri, quos verisimile est, fuisse sacros; ac divinos, ut *Liber Bellorum* Domini *Num. XXI* 14. *Visio Addo Videntis*, *Nathan* Prophetae, et *Ahiae* Silonitis *II. Paralip. IX.* 29. *Liber Semeiae Prophetae II. Paralip. XII.* 15. Tot libri Salomonis, quorum mentio fit *III. Reg. IV.* 32. *Liber sermonum dierum Regum Juda, et Israel Liber Enoch etc.* Sed cum Sacri Scriptores aliquando laudent etiam sententias ex libris, qui certissime sacri non sunt, ut *Act. XVII.* ex *Arato*, ad Tit. I. ex *Epimenide*, non est adeo evidens, libros alios, qui in Scripturis laudantur, fuisse divinos. Ceterum si providentia Dei libros illos dictavit, ac postmodum intercidere permisit, putandum est, eos non ad perpetuum, sed temporarium Ecclesiae usum fuisse divinitus inspiratos. Etiam ex libris novi Testamenti periisse putant aliam Pauli Epistolam ad Corinthios, cujus videtur meminisse *I. Cor. V.* 9. iis verbis: *Scripsi vobis in Epistola, ne commisceamini fornicariis*; sed posset responderi, *Epistolam* illam non

esse

esse aliam prius missam, sed illam ipsam, in qua *Paulus* paulo ante Corinthios reprehenderat, quod incestuosum ab Ecclesia non ejecerant. Quapropter in ambiguo res esse videtur.

§. V.

De idiomate textus originalis Sacrae Scripturae.

Ad. I. Libri veteris Testamenti Protocanonici lingua Hebraica conscripti sunt, licet Chaldaicis characteribus ab *Esdra* (ut vulgo creditur) post captivitatem Babylonicam fuerint expressi, cum Hebraici characteres, quales sunt hodie in textu Samaritano, jam exoleverint, qua de re vide eruditam D. Calmet *Dissertationem*: *An Esdras charact. mutav.* Ex Deuterocanonicis vero *Tobias*, et *Judith*, et nonnullae partes *Danielis*, et *Esdrae* scriptae sunt Chaldaice; *Sapientia*, et secundus *Machabaeorum* Graece. Primus vero *Machabaeorum*, et *Ecclesiasticus* Hebraice, licet hodie supersit tantum Graeca versio.

II. Novi Testamenti textus originalis Graecus est, excepto Evangelio *Matthaei*, et, juxta nonnullos, Epistola ad Hebraeos Hebraice, seu potius Syriace scriptis: Ita *Hieronymus Praefat. in Evang.* et *Eusebius Lib. VI. Hist. cap.* 11. Disputatur autem, utrum originalis Scripturae textus sit hodie incorruptus. *Calvinus* enim, *Kemnitius*, aliique contendunt, hodiernum Hebraicum *Vet. Test.* textum esse ubique purissimum. Contra vero *Melchior. Canus Lib. II. de loc. cap.* 13. aliique, pluribus in locis malitia Judaeorum volunt esse corruptum: quod et sensit ipse *Morinus Lib. I. Exercit. Cap.* 4. Nos mediam sequimur sententiam, quae est Driedonis *Lib. II. de Eccl. Dogm. cap.* 1.

PRO-

PROPOSITIO I.

Textus Hebraicus Vet. Test. incorruptus est quoad substantiam, licet non careat mendis levioribus partim negligentia Librariorum, partim ignorantia Rabbinorum.

Prob. 1. *pars.* 1°. Si Scripturas Hebraei corrupissent, id vel ante, vel post Christi adventum fecissent. At neutrum fingi potest. Non primum: nam *Christus*, et Apostoli numquam grande hoc scelus Judaeis objecerunt; imo ipse *Christus Joan. V.* 39. eos ad scrutandas mittit Scripturas: *Scrutamini Scripturas*: nec umquam monuit, ut caverent a corruptis textibus. Non alterum, fieri enim non potuit, ut Judaei depravarent codices omnes ubique terrarum dispersos non solum apud Judaeos, sed etiam apud Christianos. Ita ferè argumentantur *Hieronymus in Cap. VI. Isaiae*, *Augustinus Lib. XV. de Civ. Cap.* 13.

2° Si Judaei Scripturae textum, quem incredibili religione coluerunt semper, et colunt, voluissent corrumpere, maxime id fecissent iis in locis, quae Christianae Religioni favent. At id non fecerunt; saepe enim magis Christianis favet Hebraicus textus, quam Graeca, aut Latina versio. Ergo.

3°. Denique incredibile est, providentiam Dei id permisisse, quae ideò Judaeos per totum orbem dispersos servat, ut ex sacris Codicibus, quos ipsi circumferunt, probemus, contra incredulos, non esse a nobis conficta vaticinia Prophetarum, ut observat *Augustinus Lib. XVIII. de Civ, c.* 46.

Prob. 2. *pars.* 1°. ex ipsis variantibus lectionibus, quae in textu originali occurrunt, 2°. ex similitudine quarundam litterarum Hebraicarum, quae facile secum invicem commutari possunt, ut norunt eruditi, 3°. ex punctis vocalibus, quae Rabbini adjecerunt; mutatio enim punctorum vocis sensum immutat. Haec tamen leviora sunt, nec textus integritatem labefactant.

Objic.

Objic. cont. I. *part. Justinus in Dialogo cum Triph.* Judaeis objicit, eos quaedam capita e Scripturis abstulisse. Idemque docet *Origenes Homil. XII. in Hierem.* Adde etiam, si libet, *Chrysostomum Homil. V. in Matth.* et Hieronymum variis in locis. Ergo.

℟. *Neg. cons. Justinus* enim, et *Origenes* aperte loquuntur de versione LXX., nec de omnibus ejus exemplaribus, cum Judaei falso depravare non potuerint exemplaria Christianorum. *Chrysostomus* vero, et *Hieronymus* de versione *Aquilae*, *Symmachi*, et *Theodotionis* verba faciunt; nemo autem de ipso Hebraico textu. Imo ipse *Hieronymus in Praefat. Comment. in Isaiam* ridet eos, qui Hebraicos fontes putant esse corruptos. Vide *Duguet. Dissert. XIII.*

PROPOSITIO II.

Graecus Novi Testamenti textus incorruptus est quoad substantiam, licet mendis levioribus non careat.

Prob. 1. *pars.* 1°. Si textus ille quoad substantiam corruptus esset, jam Ecclesia Graeca, quae eo utitur, veras non haberet Scripturas, quod absurdum est: 2°. Fieri non poterat, ut corruptio omnia prorsus exemplaria per orientalem Ecclesiam diffusa pervaderet, nec ullus id adverteret. Certe cum haeretici aliquid in eo textu mutare conati sunt, cito est detecta fraus, ut testatur de Marcionitis *Tertullianus Lib. V. cont. Marcion. Cap.* 13. et *Epiphanius Haer. XLII.* de Arianis *Ambrosius Lib. III. de Spir. S. Cap.* 11. 3°. Latina versio recte cum Graeco textu quoad substantiam consonat. Ergo etc.

Prob. 2. *pars.* 1°. Quia fieri non poterat, ut codex tot millibus Librariorum manibus exscriptus, humanam non pateretur infirmitatem, praesertim si attendas Graecorum Manuscriptorum litteras, et notas compendiarias, in quibus facile mendum potest irrepere. 2°. quia revera sunt nonnulla in hodierno Graeco textu, quae aliter se habebant in veteri, ut *ex. gr. Rom. XII.* *καιρω δουλευοντες*, cum olim habere-

beretur κυρίῳ δουλεύοντες, sicut veteres Graeci Patres *Origenes*, *Chrysostomus*, *Theophylactus* legerunt, et probat *Hieronymus* in *Epist. ad Marcellam*: unde vulgata nostra recte habet *Domino servientes*.

Corollaria.

Ex his eruuntur regulae, secundum quas textu originali uti possumus. I. Quando in nostra vulgata videtur esse librariorum error, ad textum originalem confugiendum est.

II. Quando lectio variat, praeferenda, quae textui originali est congruentior.

III. Cum verba ambiguum habent sensum, ex textu originali explicanda sunt.

IV. Cum vis, sive potestas, et proprietas vocabulorum quaeritur, ex originali textu repetenda est.

Ex quibus vides, quantum praebeat Theologo adjumentum linguarum originalium peritia.

§. VI.

De Sacrae Scripturae versionibus

Adv. I. Praecipuae Scripturarum versiones sunt Graeca, Syriaca, Arabica, Chaldaica, Latina.

II. Graeca versio multiplex est. 1. vetustissima nonnullorum veteris Testamenti librorum ante *Alexandri M.* tempora, cujus meminit *Clemens Alexandrinus Lib. I. Strom.* 2. celebrior Septuaginta Interpretum, qui (ut veteres omnes tradidere Patres) rogante *Ptolemaeo* Philadelpho Ægypti Rege, ab *Eleazaro* Summo Judaeorum Pontifice missi sunt Alexandriam; ibique non solum *Pentateuchum*, ut ex *Josepho* in *Proem. Antiquit.* aliisque veteribus apud Hieronymum *in Quaest. Hebraic. et al.* opinatur *Scaliger*, aliique recentiores Critici; sed totum vetus Testamentum ex Hebraeo in Graecum transtulerunt. Scribunt autem *Justinus*, *Irenaeus*, aliique, eos interpretes in cellulis septuaginta duabus inclusos, singulos versionem suam adornasse; deinde vero colla-

tas

tas omnium versiones tam mire consensisse, quasi uno dictante conscriptae essent. Ex quo inferunt, eos divino Spiritu fuisse illustratos, ac motos. Sed probabilius est, eos in unam Basilicam convenientes secum contulisse, ut ait *Hieronymus Praefat. in Pentateuchum*, id probans testimonio *Aristeae* (a), qui negotio interfuit, et *Josephi Lib. XII. Antiq. Cap.* 2. (b) 3. *Aquilae* Judaei sub *Adriano* circa annum Christi CXXX. 4. *Symmachi* Samaritani, qui ex Judaeo Christianus in haeresim Ebionitarum incidit, scripsitque imperante Commodo. 5. *Theodotionis*, primum haeretici Marcionitae, deinde Judaei sub Antonino Caracalla, cujus versionis supersunt duo postrema capita libri Danielis, et pars etiam Cap. tertii, quae, quia deerant in aliis versionibus, ex *Theodotione* sumpta sunt. 6. *Hiericuntina*. 7. *Nicopolitana*, quarum prior in urbe *Hierico*, altera *Nicopoli* reperta est. 8. *Luciani* Presbyteri, et martyris 9. ipsius *Origenis*, qui versionem LXX. ita emendavit, additis quibusdam ex *Theodotione*, ut nova versio videretur; 10. denique *Hesychii*, qui eandem versionem LXX iterum emendavit.

III. Syriaca, et Arabica versio in Ecclesiis Syrorum, atque Arabum fuit in usu. Chaldaica vero, non versio, sed *paraphrasis* est a tribus Rabbinis sacc. V. exarata, et licet aliquando utilis sit ad sensum intelligendum, et revincendos Judaeos; non semper tamen sententiam textus originalis tenet, nec a Rabbinorum fabulis est immunis.

IV.

(a) Libellus, qui sub nomine *Aristeae* circumfertur, multis est refertus fabulis, et supposititius habetur a Criticis.

(b) Recentiores quidam Critici non solum cellularum circumstantiam, sed totam historiam versionis LXX contra omnium veterum auctoritatem vel negant, vel revocant in dubium. Eorum varia opinamenta vide apud Calmet *Dissert. De vers. LXX.* et Natalem Alex. *Dissert. VIII. in VI. Mundi aet.* Vide etiam *Prideaux Historie des Juifs. Tom. III. Montfauconium Praefat. in Hexapl.*

IV. Inter innumeras Latinas versiones duae fuerunt celeberrimae, Itala, quae ante *Hieronymi* aetatem in usu Ecclesiae latinae fuit, ideoque tunc vulgata dicebatur, quamque *Augustinus Lib. II de Doct. Christ. cap.* 15. ceteris anteponit, licet non ex Hebraeo, sed ex Graeco textu translata esset (*a*), et *Vulgata* nostra, quae ab ipso *Hieronymo* adornata est ex textu originali, excepto Novo Testamento, quod tantum correxit, ut ipse testatur *Lib. de Scriptor. Eccles.* necnon Libris quibusdam *Deuterocanonicis* Veteris Testamenti, quos in latinum non transtulit, nempe Libris Sapientiae, Ecclesiastici, Machabaeorum, Baruch cum Epistola Hieremiae, et Psalmis, quorum Hieronymiana versio recepta non est in Vulgata, quia fideles in Psalmis canendis jam veteri, et communi versioni assueverant, quam ex Origenis, et Luciani Graeca interpretatione translatam, ipse Hieronymus emendavit, ut testatur *Epist. ad Suniam, et Fretell.* Hac hodie utimur in Latina Ecclesia.

V. *Origenes* primum edidit Biblia Tetrapla ex quatuor versionibus in quatuor columnas dispositis, scilicet LXX, *Aquilae*, *Symmachi*, et *Theodotionis*. Deinde addidit columnas duas, quae exhibebant Hebraicum textum Hebraicis, et Graecis characteribus descriptum; unde dicta sunt Hexapla. Tandem, adjectis etiam duabus columnis, quae versionem Hiericuntinam, et Nicopolitanam exhibebant, Biblia dedit Octapla. Hoc opus immensi laboris, et apud veteres celeberrimum, temporis injuria pessime publico intercidit (*b*). Recentiores varia ediderunt Biblia Po-

(a) Supersunt veteris Italae versionis fragmenta a Patribus citata, quae summo studio collegit *Flaminius Nobilius*, digessitque in ordinem, ut Italam versionem restitueret. Supersunt etiam ex veteri Psalterio Romano Introitus Missarum, Offertoria, et Invitatorium ad Matutinum, quae Ecclesia mutare noluit

(b) Vide *Huetium* in *Origenianis Lib. III. Cap.* 27. Quae autem supersunt tantae jacturae fragmenta summo labore, ac studio post *Flaminium Nobilium*, ac *Joannem Dru-*

Polyglotta; inter quae copiosissima sunt Polyglotta *Briani Waltonis.*

VI. *Authentica* dicitur versio, quae ab Ecclesia probata est, nullumque continet errorem in rebus Fidei, et morum, esto in nonnullis levioribus emendari possit, idque exemplo Jurisconsultorum, qui authenticam dicunt Scripturam, quae in publicis judiciis fidem facit. Quaeritur ergo, quaenam ex tot versionibus authentica dici possit.

PROPOSITIO I.

Versio LXX. fuit olim, et est modo authentica. Est contra Bellarminum Lib. II. De Verbo Dei Cap. 6.

Prob. 1. *pars.* Apostoli, Patres, et universa Ecclesia Graeca per quinque priora saecula ea versione usa est tum in fidelibus edocendis, tum in revincendis haereticis vel in privatis Scriptis, vel in Conciliis. Ergo tunc versio illa authentica fuit. Hinc *Augustinus Lib. II. de doct. Christ. cap.* 15. *Septuaginta Interpretum quod ad vetus Testamentum attinet, excellit auctoritas.*

Prob. 2. *pars.* 1°. Fieri non potuit, ut versio illa, quae per quinque saecula in universa Ecclesia obtinuit, et cujus tot millia extabant exemplaria, in rebus gravibus ita corrumperetur, ut nemo errorem agnosceret, et corrigeret. 2°. Ecclesia Graeca non solum schismatica, verum etiam catholica eadem Versione hodie utitur, nec umquam Latini Graecis objecerunt, quod authenticas Scripturas non haberent. 3°. *Sixtus V.* Versionem LXX, editam *Romae* anno 1582. ex vetusto Codice Bibliot. Vaticanae, auctoritate sua probavit, vetuitque, ne quis in posterum auderet eam immutare. Ergo.

Objic. cont. 1. *part. Hieronymus* saepe carpit LXX. In-

Drusium collegit *Montfauconius*, ediditque Parisiis anno MDCCXIV.

Interpretes. Docet enim, eos 1°. quaedam testimonia omisisse, ut illa; *Ex Ægypto vocavi filium meum. Quoniam Nazaraeus vocabitur. Videbunt in quem transfixerunt etc.*: 2°. quaedam aliter transtulisse, sicut ea, quae favent mysterio SS. Trinitatis, *ut arcanum fidei non vulgareut*: 3°. nonnulla addidisse; 4°. in aliis *extenuasse sensum, et subvertisse fortissima testimonia contra Judaeos.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* in rebus levioribus, *conc.* in rebus gravioribus Fidei, et morum, *neg.* Quae enim a LXX. interpretibus mutata, aut addita, aut omissa notat *Hieronymus*, non ita corrupta esse docet, ut aliquid contineant fidei, et bonis moribus contrarium, licet utilius putet, ea corrigi juxta Hebraicos fontes.

Objic. cont. 2. part. Hieronymus Praefat. in Lib. Paralip. ait: *Si LXX. Interpretum pura, et ut ab eis in Graecum versa est, editio permaneret, superflue me, Chromati Episcoporum Sanctissime, atque doctissime, impelleres, ut Hebraea tibi volumina latino sermone transferrem.* His adde, quod *Justinus in Dialogo cum Tryph.* aliique Patres passim queruntur, Judaeos versionem hanc corrupisse. Ergo si a tempore *Hieronymi* ea versio erat corrupta, a fortiori hodie post tot saecula.

℟. *Dist. cons.* Erat corrupta, et est modo in rebus levioribus, quae Fidem, et mores non tangunt, *conc.* Secus, *neg.* Numquam dixit *Hieronymus*, Ecclesiam universam ad suam usque aetatem usam esse Scriptura in rebus fidei, et morum vitiata. Nec *Justinus*, aliive Patres asserunt, Judaeos exemplaria omnia violasse, quod tentare non poterant in iis Codicibus, qui in Ecclesia catholica religiose servabantur.

Objic. II. Philo, et *Aristaeas* docent, mirificam fuisse inter textum Hebraicum, et versionem LXX consonantiam. At haec versio, qualis nunc est, ab Hebraeo valde discrepat, quod non solum observat *Hieronymus* in *Epist. ad Suniam*, et alibi passim, sed etiam cuilibet legenti patet. Ergo.

℟. *Dist. min.* In levioribus, *conc.* in gravioribus, *neg.* Ita etiam Vulgata nostra authentica est, licet nonnulli in ea sint naevi.

PROPOSITIO. II.

Syriaca, et Arabica versio utilis est ad quorumdam locorum sensum melius explicandum.

Prob. Cum enim eae versiones in usu Ecclesiae Syrorum, atque Arabum fuerint, juvat scire quomodo quaedam loca explicaverint, cum praesertim de Syriaca haec habeat *Basilius Homil. II in Hexameron*: *Syrorum vox significantior, et evidentior, et ob affinitatem, quam habet cum Hebraica lingua, sententias Scripturarum propius attingit.* Ea usi sunt *S. Ephrem*, aliique Ecclesiae Doctores Syri. Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Vulgata latina versio authentica est.

Concilium Tridentinum id definivit celebri decreto Sessionis IV. *Sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quae circumferuntur sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, et declarat, ut haec ipsa vetus, et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat.*

Probatur I. Versio authentica non eo sensu dicitur a Tridentino, quod praeferenda sit Hebraicis, Graecisque fontibus, ut falso calumniatur *Calvinus in Antidoto Sess* IV. sed quod nihil habeat fidei, bonisque moribus adversum, et in rebus praecipuis a primario Scripturae sensu non discrepet, licet in levioribus emendari possit. Ita sensum Tridentini explicant *Andreas Vega*, qui Concilio interfuit *Lib. XV. Cap.* 9. *Bellarminus Lib. II. de Verb. Dei cap.* 10, et 11. *Sixtus Senensis Lib. VIII. Biblioth.* Atqui talis est versio Vulgata latina. Universa enim occidentalis Ecclesia per tot saecula hac una versione usa fuerat.

fuerat. Siquidem ab aetate *Hieronymi* statim recepe-rat novi Testamenti editionem, quam ille correxe-rat jussu Damasi: vetus vero Testamentum jam a septimo saeculo secundum hanc vulgatam versionem, quae ipsius *Hieronymi* est, in tota Ecclesia occidentali legi coepit. Si ergo haec versio authentica non esset, jam Ecclesia catholica per tot saecula veris caruisset Scripturis, et in rebus fidei, et morum errorem pro veritate recepisset. At id absurdum esse patet tum ex iis, quae libro superiore diximus, tum ex iis, quae infra dicturi sumus de Ecclesiae *infallibilitate*. Ergo.

Prob. II. Sicut agnoscendus est judex aliquis supremus, qui libros scripturarum genuinos secernat a spuriis, ceterasque fidei controversias finiat; ita pariter idem judex debet genuinam, et authenticam Scripturarum versionem definire. Utrumque enim paris momenti est. At Ecclesiam esse supremum illum judicem ostendemus inferius. Ergo.

Prob. III. Nemo unquam tantam jactare poterit Hebraicae linguae peritiam, quantam habuit *Hieronymus*, qui sub quinque Hebraeis Praeceptoribus eam didicit, et codices Haebraicos habuit meliores. Jure ergo ejus interpretatio ceteris antelata est. Licet enim nonnulli principio, vetustatis amantiores, *Hieronymo* obloquerentur, tamen paulatim versionis ejus perspicuitatem, et fidelitatem mirati, eam summo consensu omnes receperunt, *quia haec nova translatio* inquit Gregorius *M. Lib. XX. Moral. Cap.* 24 *ex Hebraeo nobis, Arabicoque eloquio cuncta verius transtulisse perhibetur.* Atqui vulgata nostra ipsissima est *Hieronymi* versio, exceptis paucis, quae supra dicta sunt, ut patet non solum ex praefationibus unicuique Libro praefixis, verum etiam ex eo quod quidquid in Commentariis *Hieronymus* scribit, aliquo modo ex Hebraeo transferendum vel supplendum, ita habetur in vulgata; nec ullus fingi potest alius ejus auctor, praeter *Hieronymum*. Ergo ex ipsa auctoris eruditione Vulgata nostra versio merito palmam ceteris praeripuit. Quod et confirmatur ex eo, quod per duo amplius saecula novatores, contra eam ver-sio-

sionem disputantes, nullum adhuc invenire potuerunt naevum, quo in rebus gravioribus ab originali textu discordet, imo ipsi Protestantes, in hac parte ceteris aequiores, Vulgatae excellentiam fateri tandem coacti sunt, ut *Grotius*, *Casaubonus*, *Ludovicus de Dieu*, *Fagius*, et ipse *Beza* linguarum orientalium periti. Ergo etc. (*a*).

Solvuntur Objectiones.

Objic. Declarare Versionem vulgatam authenticam est retundere diligentiam studiosorum, ne textum originalem umquam consulant. Hoc autem perniciosum est. Sicut enim *Hieronymus* utile esse credidit post veteres versiones Latinas novam ex textu Hebraico adornare; ita etiam utile erit, et licebit Recentioribus adornare novas; *Hieronymus* enim non erat in interpretando falli nescius, sive *infallibilis*, ut ei objicit ipse *Augustinus Epist. LXXXI. al X.* *Unde etiam*, inquit, *nobis videtur, te quoque in nonnullis falli potuisse.* Ergo.

℞. *Neg. maj.* Numquam enim Tridentini Patres vulgatam versionem textui originali praetulerunt, aut Hebraicos, Graecosque fontes prohibuerunt attingere, ut docent illi ipsi, qui Concilio interfuerunt, Salmero *Prolog.* 3. Vega *Lib. XV. Cap.* 9. quique post Tridentinum scripserunt *Pallavicinus*, *Bellarminus etc.* Imo etiam post Tridentinum locum habent regulae, quas §. II. in corollariis tradidimus, ut patet ex Catholicorum Interpretum consensione, qui, Ecclesia probante, ac laudante saepe ad Hebraicos, Graecosque fontes confugiunt in Scripturis interpretandis.

℞. 2° *Neg. min.* Inutile enim, imo et noxium esset novas quotidie versiones prodire, inter quas unusquisque fluctuaret incertus. *Hieronymus* quidem falli ali-

(*a*) Vide quae pro Vulgata copiose scribunt Andreas *Vega Lib XV. in Conc. Trid. Cap.* 9. Driedo *Lib. II. de Eccles. dogm. Cap.* 1. *Coccius* Apolog. pro Conc. Trid. p. 1. Lindanus, *Sixtus Senensis*, *Melchior Canus*, *Bellarminus* etc.

aliquando potuit; sed Ecclesia declarando ejus versionem authenticam, declaravit etiam, eum *actu* non fuisse deceptum in rebus gravioribus.

Inst. 1°, Posito Tridentini decreto, nemo potest vulgatam editionem rejicere, cum contra liceat rejicere textum Hebraicum ubi mendosus est. Ergo Concilium versionem textui originali praeferendam decrevit.

℟. *Dist. ant.* quoad 1m. *part.* Nemo potest Vulgatam rejicere universam, *conc.* In nonnullis partibus, in quibus mendosa est, *neg.* Ipsi enim Pontifices *Sixtus V.* et *Clemens VIII.* Vulgatae emendandae operam navarunt, testatique sunt qui ei operi insudarunt, se non pauca emendanda reliquisse.

Inst. 2°. Si in una particula concedatur esse mendosa versio, in omnibus ejus nutat auctoritas; de singulis enim ejus sententiis dubitari poterit. Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Non enim de universis *Platonis*, *Ciceronis*, *Livii*, operibus dubitamus, licet plurima in ipsis mendosa esse constet; non enim leviter, ac temere, sed gravissimis rationibus emendatio fieri debet; quae rationes ubi desunt, rejici textus non potest, sive Hebraicus, sive Vulgatus.

PROPOSITIO IV.

Merito Concilium Tridentinum proscripsit versiones Scripturae ab haereticis editas lingua vernacula: imo etiam merito prohibuit, ne versiones catholicorum vernaculae passim, et sine discrimine legerentur ab omnibus.

Prob. 1. *pars.* Haeretici eo consilio multas Scripturae versiones lingua vernacula adornaverant, ut erroris sui veneno fideles facilius inficerent. Merito ergo Ecclesia eas proscripsit.

Prob. 2. *pars.* verbis regulae IV. Indicis editi jussu Concilii Tridentini, quae regula aequitate sua se probat: *Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem, detrimenti, quam uti-*

utilitatis oriri; hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur; ut cum consilio Parochi, aut confessarii, Bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei, atque pietatis argumentum capere posse. Nimirum cum nonnullis ob infirmitatem, imperitiam, aliasve caussas offendiculo esse possint quaedam historiae, vel sententiae Scripturarum, statuit Ecclesia, ut ii Scripturas vulgari lingua legant, qui non damnum, sed utilitatem inde possint percipere. Quod autem sequitur in ea regula: *quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque ea facultate ea legere, vel habere, praesumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit*, id non ubique usu receptum est: alicubi etiam in desuetudinem abiit.

Ceterum Sacra Concilii Congregatio die 13. Junii anno 1757. declaravit, idq. etiam confirmavit Benedictus XIV, non comprehendi ea regula versiones a catholicis factas, notisque illustratas ex Patrum Commentariis, et ab Ecclesia probatas, qualis est versio Italica *Martini*, quae omnium optima videtur.

Objecta diluuntur.

Objic. I. Libri Scripturarum a Sacris auctoribus scripti sunt lingua, quae erat vulgaris apud eos populos, quibus credita sunt eloquia Dei. Deinde vero cum aliae Nationes ad Ecclesiam venerunt, sacra Biblia in earum linguam translata sunt *ex. gr.* in Graecam, Latinam, Syriacam, Arabicam etc. Ergo.

℟. *Dist. ant.* In aedificationem, *transeat.* In destructionem, *neg.* Hoc est, licet in lingua vulgari scripti sint, vel translati Libri sacri, semper tamen ipsa naturali lege cautum est, ut si qui ex alicujus libri sacri lectione detrimentum capere possent, ab eâ abstinerent; nec aliud praecepit Ecclesia Romana. Dixi *transeat*, quia non omnino verum est, Sacram Scripturam cito in vernaculam linguam cujus-

cum-

eumque Nationis fuisse translatam. Nam post captivitatem Babylonicam, licet Judaei Hebraicam linguam obliti Chaldaice, vel Syriace loquerentur, tamen Hebraicus textus religiose retentus est: Paulus ad Romanos scripsit Graece: et licet viventibus adhuc Apostolis per universum orbem fundatae sint Ecclesiae, non ideo tamen cito in vulgarem cujusque Gentis linguam translatae sunt Scripturae.

Objic. II. Chrysostomus *Homil. IX. epist. ad Coloss. Audite*, inquit, *obsecro saeculares omnes; comparate vobis Biblia, animae pharmaca. Si nihil aliud vultis, vel Novum Testamentum acquirite.* Imo ipse Christus *Joan. V.* 39. Judaeis ait: *Scrutamini Scripturas.* Ergo Scripturae ab omnibus etiam saecularibus, et mulieribus passim legendae sunt, ac proinde vulgari lingua.

℟. *Neg. cons.* Chrysostomus enim, aliique Patres, qui generatim hortantur fideles, ut legant Scripturas, intelligendi commode sunt de iis, qui nullum inde detrimentum ob suam ipsorum infirmitatem possunt accipere. Verba autem Christi *scrutamini Scripturas* ad rem nostram non faciunt; nam vel intelliguntur modo indicandi, ut putat *Cyrillus*, vel modo imperandi, ut *Chrysostomus*, et *Augustinus*: manifestum est, ea dirigi ad viros in lege eruditos; Scriptura enim translata non erat in linguam Judaeorum vernaculam, quae utique erat Syriaca; atque idicirco legisperiti utebantur vel ipso originali rextu Hebraico, vel ad summum Graeco ex versione LXX.

Objic. III. Saltem negari non debet, in Sacrificio Missae, in administratione Sacramentorum, et publicis precibus Scripturam legendam esse lingua vulgari. Apostolus enim *I. Cor. XIV.* 16. hortatur fideles, qui dono linguarum praecellebant, ne convenientes in Ecclesiam uterentur lingua auditoribus ignota, alioquin *qui supplet*, inquit, *locum idiotae, quomodo dicet amen super tuam benedictionem, quoniam quid dicas nescit?* Male ergo Concilium Tridentinum *Sess. XXII. de Ref. cap.* 8. *et can.* 9. cavit, ne Missa vulgari lingua celebraretur,

℟. *Neg. ant.* Periculum enim erroris, quod ex pri-

privata Scripturarum lectione timeri poterat idiotis; et infirmis, multo magis imminet ex publica lectione Scripturae vulgari idiomate in publicis Ecclesiae precibus, et sacrificiis; in quibus illud etiam incommodum accedit, quod si in tot linguas transferenda esset liturgia, quot sunt Christianae gentes, vitari non posset in tot versionibus aliqua mutatio sensus; quae semper maxime momenti esset in re tam gravi. Apostolus autem de Scriptura, aut divinis Officiis non loquitur, ut legenti patet; sed si per vim trahere velis ejus verba ad rem praesentem, observandum est, Apostolum ibidem permittere, ut quis in Ecclesia ignotis linguis loquatur, si sit qui interpretetur. *Sive lingua quis loquitur, secundum duos, aut ut multum tres, et per partes, et unus interpretetur.* Concilium autem Trid. licet vetet divina officia vulgari lingua celebrari, monet tamen pastores, ut interpretentur, et explicent populo vulgari lingua, quae ad eorum instructionem faciunt. Quod si negligunt, ipsorum culpa est. V. *Bellarm Lib. II. de Verb. Dei Cap.* 15. *etc.*

Inst. absurdum est, ut qui Deum orat, nesciat quid dicat. Atqui multi ad divina officia recitanda obligantur, ut Religiosae mulieres, qui latine nesciunt. Unde Apostolus *loc. cit. v.* 14. *si orem*; inquit, *lingua*, scilicet ignota, *spiritus meus orat*, *mens autem mea sine fructu est.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Si non habeat mentem ad Deum elevatam, eumque laudare, et orare non intendat per verba, quae profert in sensu matris Ecclesiae, cujus gerit personam qui divina officia persolvit *conc.* De talibus enim dicit Dominus *Isaiae XXIX.* 13. *Populus hic labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.* Secus, *nego*: alioquin multi etiam latine docti abstinere deberent a recitandis Psalmis, in quibus multa obscura sunt nec passim ab omnibus intelliguntur; et eadem maneret obscuritas, licet in vulgarem linguam transferrentur. Iudaei etiam sacrificia, et ceremonias legales abjicere debuissent, quorum sensum ignorabant. Ceterum cum sint versiones psalmorum ab Ecclesia probatae, potest quis pri-

privatim eas legere, ut in publicis precibus, quantum fieri potest, quod dicit intelligat. Apostolus quidem ait, eum, qui preces non intelligit, habere mentem vacuam peculiari illo fructu, qui percipitur ex sensu verborum; sed non illo, qui fluit ex elevatione mentis ad Deum, quae praecipua pars orationis est; imo fieri potest, ut qui majori intentione ad Deum elevatus est, majorem hinc percipiat fructum, licet verba non capiat, quam qui verba intelligens, minus est ad Deum intentus. Vide S. *Thomam*, *et Estium* in Commentariis. Vide etiam de toto hoc argumento *Bellarminum Lib. II. de Verbo Dei Cap.* 15. *et* 16. (*a*).

§. VII.

De multiplici Scripturae sensu.

Adv. I. Sensus Scripturae generatim triplex est, *litteralis*, *mysticus*, et *accomodatitius*. Litteralis est, quem verba sive proprie, sive metaphorice intellecta *αμεσως immediate* exprimunt. Mysticus vero, seu spiritualis, quem significant ipsae res per verba expressae. Sic quod legitur in Genesi, *Abraham* duos habuisse filios, unum de ancilla, alterum de libera, ad litteram quidem significat, hominem illum revera duos illos filios genuisse; at Apostolus per duos filios intelligit duo Testamenta, Vetus, et Novum, illud in servitutem, hoc in libertatem filios generans. *Ad Galat. IV.*

II.

(a) Vide etiam omnino *Bibliothecam Sacram D. Calmet*, quae praemissa est ejus *Dictionario* Historico S. Scripturae, in quade variis editionibus, et versionibus Scripturarum eruditissime, et copiosissime disserit. *Jacobus Le Long.* edidit Bibliothecam Sacram, sive Syllabum omnium Scripturae Sacrae editionum, ac versionum. *Richardus* Simonius *Hist. Crit. Textus N. T. Cap.* 29. varios recenset manuscriptos Codices novi Testamenti, qui hucusque servati sunt. Idem prestat in *Hist. Crit. Vet. Test. Joannes Millius* in Prolegomenis N. T. variantes lectiones, summo studio collegit, et de statu ipsius textus fuse agit.

II. Mysticus autem sensus triplex est, *Tropologicus*, qui pertinet ad mores informandos, *allegoricus*, qui est de rebus in Ecclesia militante credendis, *anagogicus* de sperandis in patria. Unde illud.

Littera gesta docet, quid credas allegoria:
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

Sic ergo vox illa *Jerusalem ad litteram* designat urbem Judaeorum metropolim, *allegorice* Ecclesiam, *tropologice* animam hominis, *anagogice* caelestem beatorum patriam.

III. Accommodatitius sensus est, quem nec verba, nec res per verba significatae, indicant, sed per quamdam similitudinem ad aliud significandum aptatur. Sic quod *Eccl. XLIV.* dicitur de *Abraham*; *non est inventus similis illi*; Ecclesia Sanctis pontificibus applicat. Imo etiam ipsa scriptura aliquando sensu accommodatitio utitur ut *ex gr. Joannes* in Apocalypsi *Cap. XI.* aptat *Enoch et Eliae* quae dicuntur *Zach. IV.* de *Jesu*, et *Zorobabele*: *hi sunt duae olivae.* Duo autem hac in re cavenda sunt: 1°. ne putemus, Scripturam sensu accommodatitio uti, cum citat Prophetias veteris Testamenti tamquam impletas in novo, qua in re deceptus est *Grotius* in *Cap. VII Matt. v.* 22. merito notatus ab *Huetio*, et *Bossueto*; 2°. ne Scripturae verba aptentur ad res falsas, vel etiam profanas, aut scurriles, quod severe vetat Concilium Tridentinum *Sess. IV.* Sancta enim sancte tractanda sunt, nec nisi ad pietatem, et religionem fovendam usurpari debent.

IV. Licet non semper Scriptura sub una sententia plures sensus habeat, nam ut observat *Augustinus Quaest. II. in Genes. quibusdam in locis solus sensus litteralis quaerendus est*; negari tamen non potest, quin saepe sub eadem sententia praeter sensum *litteralem* mysticus etiam lateat. Hinc *Chrysostomus Homil. XXXVII. in Genesim. In una*, inquit, *dictione plurima saepe multitudo sensuum invenitur*; *divina enim sunt eloquia, non humana.* Idque non solum millies insinuant Patres, verum etiam ipsa Scriptura, ut pa-

patet ex Apostolo citato loco Epistolae ad. Galatas. Imo aliquando ejusdem sententiae duplex est sensus, uterque *litterális*. Sic quod de agno Paschali dicitur *Exod. XII.* 46. *Os non comminuetis ex eo, Joannes Cap. XIX.* 36. ad litteram explicat de Christo. Ceterum nullus, est Scripturae locus, qui nullum omnino habeat sensum *litteralem*, qui sensus, ut advertit Calmet *Praefat. in Lib. V. Test.* est aliorum sensuum basis, et fundamentum; meritoque *Cajetanus* reprehenditur, qui contra omnium Patrum sententiam apud Petavium *Lib. II. De opif. Cap.* 8. putat, formationem Hevae, *Gen.* 11. 21. intelligendam esse in sensu *allegorico*, excluso *litterali*. His ergo explicatis, dicimus.

PROPOSITIO.

Ex solo Scripturarum, sensu litterali argumenta Theologica duci possunt, non ex mystico: nisi forte sensus mysticus Scripturae, aut Traditionis auctoritate nitatur.

Prob. 1. *pars.* Sensus mysticus, qui Scriptura, aut Traditione non nititur, est sensus ab homine excogitatus; sed theologus non ab humanae sapientiae inventis, sed a sola divina revelatione argumentari debet: Ergo. Hinc *Hieronymus in Cap. XIII. Matth. Numquam parabolae, et dubia aenigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere.* Et Augustinus *Epist. XCIII. al XLVIII. c.* 8. *Quis autem non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat et manifesta testimonia, quorum lumine illustrentnr obscura.*

Prob. 2 *pars.* Cum Scriptura, aut traditio locum aliquem mystico sensu interpretantur, tunc non ex hominum excogitationibus, sed ex ipsa revelatione firmissimum habemus argumentum, sensum illum a Spiritu Sancto fuisse significatum. Ita ex verbis illis *Deuter. XXV. non alligabis os bovi trituranti*, recte concludimus, deberi stipendia ministris Evangelicis,

licis, quia Apostolus I. *Cor. IX.* 9. verba illa in hoc sensu mystico exponit.

§. VIII.

Sensus Scripturae non est ubique clarus, etiam in rebus ad salutem necessariis.

Adv. I. Inter varios Scripturae sensus eruendus est verus, ut argumenta inde peti possint. *Lutherus* autem in Praefatione Assertionis articulorum a *Leone* X. damnatorum, *Brentius*, *Kemnitius*, aliique passim Protestantes contendunt, Scripturae sensum esse ubique clarissimum, nec ullo interprete, aut judice indigére. Sed aliquando idem *Lutherus* experientia victus fatetur, *Praefatione in Psalmos*, *esse impudentissimae temeritatis eum, qui audeat profiteri, unum Scripturae librum a se in omnibus partibus intellectum.* Nec abnuunt alii Novatores, aliqua esse Scripturae loca obscura. Quod cum priori assertione tribus modis conciliant: 1°. Scripturam esse ubique claram fidelibus, sed alicubi obscuram infidelibus: 2°. Scripturam esse claram, quia loca quaedam obscura per alia loca clariora explicantur: 3°. Esse ubique claram in rebus ad salutem necessariis, licet in aliis aliquando sit obscurior, ut in descriptione Templi apud *Ezechielem*, in Prophetia *Apocalypsis etc.* Contra hos catholici sentiunt.

PROPOSITIO I.

Scripturae sensus est alicubi obscurus.

Prob. I. ex ipsa Scriptura. *Petrus Epist. II. Cap.* 3. de Epistolis *Pauli* ait. *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas.* Christus *Luc. XXIV.* Apostolis Scripturas interpretabatur, quod fuisset inutile, si ubique clarae essent. Eunuchus *Act. VII.* interrogatus a *Philippo*, num intelligeret Scripturam, quam legebat, respondit: *quomodo possum, si non ali-*

quis

quis ostenderit mihi? Hinc David Deum orat, ut ei legis sensum aperiat: *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam. Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua etc. Ps. CXVIII.*

Prob. II. ex Patribus, inter quos *Gregorius Homil. XVII. in Ezechiel. Multa sunt*, inquit, *in Scripturis aperta, ut pascant parvulos, quaedam obscura, ut exerceant fortes.* Et Augustinus *Lib. LXXXIII. Quaest. Deus noster sic ad salutem animarum divinos libros Spiritu Sancto moderatus est, ut non solum manifestis pascere, sed etiam obscuris exercere nos vellet.* Et in *Lib. II. de doctr. Chris. cap.* 6. docet, id divino consilio factum *ad edomandam hominis superbiam.* Adde *Irenaeum Lib. II. cap.* 47. *Origenem Lib. VII. contra Cels. Chrysostomum Homil. XL. in Joan. Ambrosium Epist. XLIV. ad Constantium, Hieronymum praef. in Comment. Epist. ad Ephes. et Epist. ad Paulin. et Algas. aliosque.* In his autem Scripturae, et Patrum locis non solum dicitur, Scripturam esse obscuram hominibus infidelibus, et superbis, sed etiam fidelibus, et sanctis. Ergo.

Prob. III. ratione. Tanta est in Scripturis rerum sublimitas, absentia factorum, quae narrantur, troporum, et figurarum multitudo, varietas sensuum, quos una, eademq. littera habere potest, etc. ut necessario quaedam nobis obscura esse debeant. Denique si Scriptura ubique clara est, cur ipsi Protestantes tot in eam edidere commentaria? cur inter ipsos tot agitantur lites de sensu multorum Scripturae textuum, quas lites hucusque post annos fere trecentos componere non potuerunt? Ergo.

PROPOSITIO II.

Scriptura etiam in rebus ad salutem necessariis obscura est nonnullis in locis, quae per alia loca clariora explicari non possunt.

Prob. I. Quibusdam exemplis. 1°. Necessarium est ad salutem scire, quo sensu dixerit Christus *Matth. V.* 32. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornica-*

nicationis causa, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, moechatur; inde enim Graeci errant, putantes in causa adulterii matrimonium dissolvi. Si autem iis opponas; textum hunc explicari per alium *Marci X.* 11. in quo Christus absolute pronuntiat: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam*, reponent, potius locum *Marci* explicari per locum *Matthaei*; quod enim apud *Marcum* sine exceptione dicitur, apud *Matthaeum* ostenditur intelligendum, excepta causa adulterii. Ergo locus hic obscurus de re maximi momenti per ipsam Scripturam explicari non potest. 2°. Obscurus est etiam locus Apostoli *Ephes. V.* 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* Obscurum enim est, nec ex aliis Scripturae locis constat, utrum Apostolus *magnum Sacramentum* appellaverit unionem Christi cum Ecclesia, an ipsum matrimonium, quod hujus unionis signum est; et tamen necessarium est ad salutem scire, utrum matrimonium dici possit *magnum sacramentum*. 3°. Quomodo per ipsam Scripturam explicabis quod ait idem Apostolus *I. Cor. VII.* 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt?* Si enim Calvinistae ex hoc loco contendunt, filios mulieris fidelis esse sanctos sine baptismo, sequeretur hinc etiam, virum infidelem per mulierem fidelem sine baptismo sanctificari; Apostolus enim de patre aeque ac de filiis pronuntiat, eos esse sanctos per mulierem fidelem. Mitto alia Scripturae loca.

Prob. II. ad hominem eodem argumento, quo supra usi sumus. Si Scriptura in necessariis clara est, cur apud ipsos Protestantes de rebus maxime necessariis *ex. gra.* de numero Sacramentorum; de presentia reali Corporis Christi in Eucharistia, de justificatione etc. tam graves controversiae sunt, quas hucusque per solam definire non valuerunt Scripturam, cum tamen omnes contendant in his rebus Scripturam esse clarissimam? Ergo.

Ol-

Objectiones diluuntur.

Objic. I. Ipsa Scriptura claram se esse docet, quod saltem de rebus necessariis intelligendum est. *Deuteron. XXX.* 11. *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in caelo situm, ut possis dicere; quis nostrum valet ad Caelum ascendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus, et opere compleamus?* Et *Psal. XVIII. Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos*: *et Psal. CXVIII. Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* Et *Proverb. VI.* 23. *Mandatum lucerna est, et lex lux*: quibus concinit *Petrus II. cap. I.* 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tamquam lucernae lucenti in caliginoso loco.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Ipsa Scriptura docet, se esse claram in multis, *conc.* in omnibus, *subdist.* vel *αμεσως*, *immediate*, vel *mediate*, sive ope legitimi interpretis, *conc. immediate* semper, *neg.* Itaque fatemur, Scripturam multis in locis esse clarissimam, ut sapienter advertit, et probat *Bossuetus* in sua *Defensione Traditionis*, qualia sunt generalia praecepta decalogi, de quibus sermo est *Deuter XXX.*, et *Psalm. XVIII.* et *CXVIII.* et *Prov. VI.* dicunturque etiam, *non esse supra nos* quia divinae gratiae auxilio servari possunt, ut post alios Patres (*a*) exponit Augustinus *Lib. de Perf. just.* Item prophetiae de *Christo*, de quibus loquitur *S. Petrus.* Sed id non obstat, quin sint etiam obscura quaedam, de quibus sermo est in eodem *Deuteron. Cap. XVIII.* 8. et in eodem *Psalm. CXVIII.* et in eadem Epistola Petri locis supra laudatis. Praeterea etiam in locis obscuris Scripturae dici possunt lux, lucerna, etc. non quia per se omnibus clarae sunt, sed quia cum toti Ecclesiae, ut dicemus suo loco, earum sensus revelatus sit; quicumque fidelis ope legitimi hujus interpretis eas le-

 ge-

(a) Tertullian. *Lib. IV. cont. Marcion.* Origenes, Ambrosius, Chrysostomus etc. *in Cap.* 20. *Epist. ad Rom.*

gerit, et intellexerit, lumen habebit lucidissimum, quo dirigatur ad vitam.

Inst. Si quae obscuritas apparet aliquibus Scripturae locis, ea oritur ex legentium infidelitate. Ait enim Apostolus *II. Cor. IV.* 3. *Quod si opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum, in quibus Deus hujus saeculi excaecavit mentes infidelium.* Ergo ipsa per se Scriptura clara est in omnibus, sicut lumen solis clarissimum est, licet iis, qui oculos claudunt, non luceat.

℟. *Neg. ant.* Nomine enim *Evangelii* non intelligit Apostolus Sacram Scripturam, sed ipsam Christianam religionem, quae saepe *Evangelium* in novo Testamento dicitur, quod quidem non est opertum umbrarum, et figurarum velaminibus, ut Testamentum vetus. Si cui igitur non lucet veritas Christianae religionis post tot miracula, prophetias, aliaque *credibilitatis motiva*; id ex cordis sui duritie, et caecitate proficiscitur.

Inst. 2°. *Apoc. V.* 8. dicitur Agnus aperuisse librum, et solvisse signacula ejus. Ergo si quae erat antea in Scripturis obscuritas, evanuit.

℟. *Neg. cons.* Non enim eo sensu dicitur Agnus aperuisse librum, quod omnes Scripturarum sententias explicaverit, sed quia in ejus morte impleta sunt omnia vaticinia, quae sub umbris, et figuris obscure sacrificium Christi praesignificabant.

Objic. II. Chrysostomus Homil. III. de Lazaro ait, Philosophos locutos esse obscure: *Apostoli vero*, inquit, *et Prophetae omnia contra fecerunt, manifesta, claraque, quae prodiderunt, exposuerunt nobis, veluti communis orbis doctores, ut per se quisque discere possit ea, quae dicuntur ex sola lectione.* Idem repetit *Homil. III. in II. ad Thessalon.* et alibi. *Augustinus Lib. II. de doct. Christ. c.* 9. *In iis, quae aperte posita sunt in Scripturis, inveniuntur ea omnia, quae continent fidem, moresque vivendi*; fidem scilicet, spem, et charitatem. *Et Lib. II.* de *peccator. merit.* docet, modum, quo traducitur peccatum originale ideo non esse in Scripturis clare expressum, quia ad salutem necessaria non erat ista notitia. *Hinc divinorum eloquio-*

quiorum clarissima auctoritas esset; si homo illud sine dispendio promissae salutis ignorare non posset. Et *Cyrillus Lib. VII. cont. Jul.* docet, ideo Scripturas simplici stilo fuisse compositas, ut cuivis perspectae forent. Ergo ex Patribus, saltem in rebus ad salutem necessariis, Scriptura clara est.

℟. *Neg. cons. Ad* 1m. *Chrysostomus* disputans contra eos, qui cum possent ex lectione Scripturae proficere, propter socordiam id negligebant, exaggerantes Scripturae obscuritatem, oratorio more eorum excutit torporem, amplificando Scripturae claritatem. Quae amplificatio falsa non est; potest enim aliquo sensu Scriptura dici clara, 1°. Quia plurima habet clarissima, ex quibus legentes proficiscere possunt; quod ad argumentum *Chrysostomi* sufficiebat: 2°. Quia clare docet quid sit agendum in locis obscuris, scilicet audiendam Ecclesiam; 3°. Quia fideles a Pastoribus edocti facile intelligunt ea ipsa loca, quorum sensus esset illis alioquin impervius. Ceterum *Chrisostomus* agnoscit in multis Scripturae obscuritatem non solum *Homil. XL. in Joan.*, verum etiam in hac ipsa *Homil. III.* de Lazaro. Ait enim ante verba in objectione posita: *Quid igitur, si non intelligamus ea, quae continentur in libris? Maxime quidem, etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia.* Et infra: *Sume librum in manum, lege historiam omnem, et quae nota sunt, memoria teneas, et quae obscura sunt, parumque manifesta, frequenter percurre. Quod si non poteris assiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad doctorem.*

Ad 2m. Agnoscit ibi *Augustinus*, esse loca in Scripturis obscura. Docet tamen, in iis, quae clare sunt posita, inveniri ea omnia, quae necessaria sunt, tum quia inveniuntur clara, et aperta generalia praecepta fidei, spei, et charitatis, tum quia in iis, quae clare posita sunt, invenitur confugiendum ad Ecclesiam in locis obscuris. Unde distingui potest: inveniuntur omnia quae necessaria sunt, quoad generalia praecepta fidei, et morum, *conc.*, quoad omnia omnino necessaria, *subdist.* vel *immediate*, vel

vel *mediate*, ope scilicet legitimi interpretis, *conc*, *immediate* semper *neg*. Pari ratione explicari potest *Cyrillus*.

Ad 3m. Agit *Augustinus* de quaestione obscurissima, quomodo scilicet peccatum originale traducatur. Cum ergo de ea re sileat omnino traditio, et Ecclesia, recte docet *Augustinus*, eam in Scripturis fuisse clarissime reperiendam, si esset scitu necessaria ad salutem. Addi potest, *Augustinum* nomine divinorum eloquiorum non solas intelligere Scripturas, sed quidquid a Deo revelatum ab Ecclesia proponitur.

Objic. III. Merito reprehenditur in homine sermonis obscuritas. Ergo multo minus tribuenda est Deo in Scripturis ad homines loquenti de rebus ad salutem necessariis.

℟. *Neg. cons. et parit.* Homo enim hominem alloquitur obscure, vel quia non potest, vel quia non vult melius animi sui sensa patefacere, quorum primum infirmitatis, alterum superbiae, vel calliditatis est. At Deus hominem alloquitur, non solum ut doceat, verum etiam ut a peccato sanet: cum ergo omnis peccati radix superbia sit, ita eloquia sua temperavit, ut claris depelleret ignorantiam, obscuris foveret humilitatem. Ceterum omnia clare aperuit Ecclesiae, quam quisque humiliter audiens, ita intelliget obscura, ut non efferatur in superbiam. Vide *Augustinum Lib. II. de Doct. Christ. c.* 6., *et Praefationem D. de Sacy. in Librum Eccli. Art.* 1.

Corollarium.

Cum ergo Scriptura multis in locis obscura sit, quae non possunt per alia loca clariora explicari, sequitur, quaerendum esse interpretem, qui sit a Scriptura distinctus, ut possit obscura sine erroris periculo explicare. Qui autem explicare potest textus obscuros, a fortiori interpretari poterit claros, quos haeretici, malive catholici falsis interpretationibus obnubilare moliuntur; *non enim natae sunt haereses aliquando*, inquit *Augustinus*, *nisi*, *cum Scripturae*

rite bonae intelliguntur non bene, *Tract. X. in Joan.* Confugiendum ergo est ad Traditionem, quam Capite superiori diximus esse alteram fidei regulam. Hinc *Vincentius* Lirinensis *Commonitor. Cap. XXXVIII. Si*, inquit, *divinis eloquiis, sententiis, promissionibus et diabolus, et discipuli ejus utuntur* . . . . *quid facient catholici omnes, et matris Ecclesiae filii? Quonam modo in Scripturis sanctis veritatem a falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod in principio commentarii istius sanctos, et doctos viros nobis tradidisse scripsimus, ut divinum Canonem secundum universalis Ecclesiae Traditiones, et juxta catholici dogmatis regulas interpretentur.* Quam regulam a catholica Ecclesia omnibus saeculis servatam sanxit Concilium Tridentinum *Sess. IV.* Sed cum contingat aliquando, ipsam traditionem in aliquibus obscuram esse, profecto qui est legitimus Scripturarum interpres, erit et interpres traditionis, cum utrumque sit verbum Dei. Hinc cum omnes controversiae fidei, et morum vel ex Scripturae, vel ex traditionis sensu oriri, et definiri possint; patet, legitimum, et infallibilem interpretem Scripturae, et Traditionis esse infallibilem judicem controversiarum omnium fidei, et morum. Quis sit ergo iste judex inquirendum est.

§. IX.

Privatus cujusque Spiritus non est legitimus, et infallibilis interpres Scripturae, et Traditionis.

Adv. I. Jam aggredimur arcem Haereticorum omnium. Quicumque enim a rectae fidei regula aberrarunt, ii semetipsos constituerunt judices veri sensus Scripturarum, et omnium controversiarum fidei.

II. At Lutherani, et Calvinistae hoc commune haereticorum omnium principium, novo quodam molimine veluti basim totius sui systematis posuerunt. Docent enim, quemlibet fidelem, praesertim praedestinatum, interius edoceri *immediate* a Spiritu S., ut de quacumque fidei controversia, judicet. Hinc quod-

quodcumque Ecclesiae judicium superbe rejiciunt. *Ad unumquemque hominem privatum*, inquit *Brentius in Prolegom. cont. Petrum Soto*, *pertinet de doctrina religionis judicare*; *et vera a falsis internoscere*. Similia docent Lutherus *in Praefat. Assertion. artic.* Calvinus *Lib. IV. Instit. Cap. IX.* §.8.*etc.*Kemnitius *in Exam. IV. Sess. Conc. Trid.* Hic igitur capitalis error, unde tot haeresum monstra prodierunt, radicitus extirpandus est.

PROPOSITIO.

Privatus cujusque Spiritus non est legitimus, et infallibilis interpres, et judex Scripturae, et Traditionis. Dogma fidei est.

Prob. I. Fictitium esse privatum Spiritum, ipsa Scriptura clare docet; quae in controversiis fidei, et morum privatos non ad Spiritum privatum, seu ad revelationem immediate ipsis factam a Spiritu Sancto; sed ad alium externum, et visibilem judicem mittit. *Deuteron. XVII.* 8. *Si difficile, et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter causam, et causam.......surge, et ascende ad locum quem elegerit Dominus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem etc.* Et Malach. II. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, et requirent legem ex ore ejus.* Aggaei II. 12. *Interroga Sacerdotes legem.* Et Ephes. IV. 11. *et seq. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et doctores ad consummationem sanctorum; in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae.* Haec verba clarissime Spiritum privatum e medio tollunt, ut patet; si enim Spiritus S. cuilibet privato *immediate* veritates fidei revelaret, periculum non erat ullum, ne fideles omni vento doctrinae circumferrentur, ita ut dari iis debuerint Pastores, et Doctores. Adde quod ait Apostolus II. *Cor. XI.* 14. *Ipse sa-*

satanas transfigurat se in angelum lucis; ita ut facile decipiatur qui suo ipsius spiritu ducitur; atque ideo tam multa scribit ad Corinthios, ut caveant a pseudoapostolis, quod esset inutile, si Corinthii a Spiritu sancto privatim edocti veram doctrinam a falsa internoscerent. Praeterea ipse Paulus, tam claris a Spiritu Sancto revelationibus instructus, venit Jerosolymam, et cum aliis Apostolis contulit Evangelium, quod praedicabat in gentibus, *ne forte*, inquit, *in vacuum currerem*, *aut cucurrissem. Galat. II.* 2. Ergo etc..

Prob. II. Longum esset, et inutile adferre testimonia Patrum (*a*), cum habeamus hac in re traditionem clarissimam. Nam per saecula octodecim numquam controversiae fidei, et morum privato cujusque spiritui permissae, et dimissae sunt. Ipsimet Apostoli controversiam de legalibus non cujusque privati arbitrio reliquerunt, sed solemniter in Concilio Jerosolymitano definierunt, quod omnibus saeculis imitata est Ecclesia in Conciliis. Ergo.

Prob. III. ratione. Si quisque privatus constituatur controversiarum fidei judex, nulla erit inter Christianos pax, nulla societas. Sociniani, Anabaptistae, Lutherani, Calviniani contendent, somnia cordis sui a Spiritu Sancto sibi fuisse revelata. Quis ergo credat, Christum Ecclesiae dedisse talem controversiarum judicem, qui controversias non solum non finiat, verum etiam suscitet, et inflammet, reddatque inexplicabiles, atque aeternas? Hujus rationis vim vel ipsi Protestantes sentiunt. Jam enim tot annos inter se digladiantur de sensu eorum verborum: *Hoc est corpus meum.* Unusquisque jactat, Spiritum Sanctum

---

(a) V. Irenaeum *Lib. III. Cap.* 3. Athanasium *Epist. ad Solitar.* Tertullianum *toto Lib. de Praescript* Cyprianum *Epist. III.* Ambrosium *Epist. XXXII. ad Valentinian.* Hieronymum *Epist. ad Damas.* Augustinum *Lib. I cont. Crescon. Cap.* 33. Innocentium *I. Epist. ad Conc Carthag.* Leon. M. *Ep. LXXXV. ad Episc. Vien.* Gelasium ad *Episc. Dardan.* Gregorium M. *Lib. IV. Epist.* 52. *etc.*

ctum sibi revelasse ejus loci sensum, et tamen huc usque inter ipsos convenire non potuit. Ergo.

Diluuntur Objiectiones.

Objic. I. *Isaiae LIV.* 13. dicit Deus: *Ponam universos filios tuos doctos a Domino.* Jerem XXXI. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* Et I. Joan. II. 27. *Unctio ejus docet vos de omnibus.* Ergo Deus docet interius fideles, saltem praedestinatos.

℟. *Dist. cons.* Docet interius *mediate*, h. e. per ministerium Pastorum, *conc. Immediate*, *Subdist.* Si nomine doctrinae intelligas gratiam, qua interius corda movet ad audiendam, credendam, et opere implendam doctrinam Pastorum, *conc.* Si intelligas immediatam revelationem unicuique factam, *neg.* alioquin nec Christus praedicasset, nec constituisset in Ecclesia Pastores, et Doctores, ne fideles circumferrentur omni vento doctrinae. Hinc *Augustinus Tract. III. in* 1. *Joan. Si unctio ejus docet nos de omnibus, quare nos sine causa laboramus? Ut quid tantum clamamus? Sed quaestionem illi ipsi Apostolo facio: unctionem habebant quibus loquebaris, ut quid talem Epistolam fecisti? quid illos docebas? Jam videte magnum Sacramentum, fratres; admonere possumus per strepitum vocis nostrae: si non sit intus qui docet, inanis fit strepitus noster.* Et mox: *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, idest, unctio ejus docet nos de omnibus.* Atque ita ipse Christus explicat locum Isaiae *Joan. VI.* 45.

Inst. Post allata verba subdit *Jeremias. Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum.* Ergo in novo Testamento non est opus exteriori doctrina.

℟. *Neg. cons.* alias frustra docuisset Christus et Apostoli; frustra constituti essent in Ecclesia Doctores; frustra ipsi Protestantes praedicarent, scriberent, docerent. Loquitur ergo Propheta de cognitione unius veri Dei, quae cuique fideli obvia est:

est: *non docebit vir proximum suum dicens cognosce Dominum*: non vero de judicio omnium controversiarum fidei.

Objic. II. Apostolus *I. Cor. II.* 15. ait *Spiritualis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Vult enim Apostolus, homines spiritales, hoc est, qui carnis desideriis non aguntur, facile percipere sublimiora religionis dogmata, et praecepta, quae homines carnales; utpote sensibus adversa, vel non capiunt, vel contemnunt. Ait enim versu praecedenti: *animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur*, seu, ut alii codices habent, *examinantur*, hoc est, quia ea, quae sunt spiritus Dei, *spiritualiter*, scilicet per magisterium, sive gratiam ipsius Spiritus S. percipienda, et dijudicanda sunt: eumdemque fere sensum habet prior lectio *examinatur*: Mox subdit: *spiritualis autem judicat omnia*, hoc est percipit non solum sensibilia, ut homo animalis, verum etiam spiritalia, quae hominis carnalis captum superant. Verbum ergo *ἀνακρίνειν*, quod vulgata vertit *judicare*, non significat apud Apostolum definire controversias, sed *percipere, cognoscere, dijudicare*, ut patet ex antithesi instituta inter hominem animalem, et spiritualem; et eodem sensu usurpatur saepe a Graecis, quorum loca vide apud *H. Stephanum* in Thesauro, *Budaeum*, et alios.

Inst. Subdit Apostolus: *et ipse a nemine judicatur.* Atqui hoc posteriori membro verbum judicandi de vero judicio intelligitur; ita ut sensus sit, hominem spiritualem nullius judicio, et auctoritati esse subjectum. Ergo idem significat in priori.

℟. *Neg. min.* Si enim id verum esset, magna oriretur ordinis perturbatio non solum in Ecclesia, sed etiam in Republica, falsumque esset quod ait Apostolus in eadem Epistola, in corpore Ecclesiae varia esse membra, quorum alia praesint, alia subsint. Quivis enim contendens, se esse hominem spiritalem, Pastorum, et Principum auctoritati rebellis esset. Sensus ergo est, rationem vitae hominis spiritualis nem

non posse percipi, et dijudicari ab ullo carnali homine. Potest tamen homo spiritualis ab alio spirituali homine judicari, et reprehendi, ut *Petrus* a *Paulo Galat. II.*, et quilibet fidelis ab Ecclesia (quae maxime *spiritualis* est) ac proinde etiam ab ejus ministris, inter quos licet aliqui carnales sint, debent tamen in nomine, et Spiritu Ecclesiae regere, et judicare.

Objic. III. Idem Apostolus *I. Thessal. V.* 21. *Omnia* inquit *probate, quod bonum est tenete*. Ergo unicuique privato licet dogmata fidei examinare, suumque de iis proferre, ac sequi judicium.

℟. *Neg. cons.* Apostolus enim loquitur de prophetiis, quas nonnulli fideles, dono prophetandi praediti, proferebant. Non vult igitur, fideles dogmata fidei examinare, sed probare, utrum prophetiae illae dogmatibus fidei, quae jam noverant, convenirent. Ait enim v. 20. *prophetias nolite spernere* : *omnia autem probate, quod bonum est tenete*: Neque hanc probationem fieri vult privato uniuscujusque spiritu.

Inst. Unusquisque privatus suae debet saluti consulere, ac rationem de seipso reddere, nec eum excusabit alienus error. Ergo ipse per se omnia probare, et quod bonum, et verum est, tenere debet.

℟. *Neg. cons.* Audiens enim Ecclesiam, quam probabimus *infallibilem*, nulli erroris periculo objicitur, cum contra privatum sequens spiritum certissime decipiatur, et erret.

Inst. 2. Nemo scire potest, quae vera sit Ecclesia, nisi sciat, quae sit vera doctrina. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Ex notis enim Ecclesiae, quas exponemus inferius, cognoscitur vera Ecclesia, atque ab illa accipitur vera doctrina; ideoque non ex veritate doctrinae noscitur Ecclesia, sed ex Ecclesia doctrinae veritas.

Objic. IV. *Act.* XVII. 11. Beroeenses erant *quotidie scrutantes Scripturas*; *ut viderent, si ita se haberent* quae dicebantur a Paulo. Ergo quivis etiam laicus judicare potest ex Scripturis dogmata religionis.

℟. *Neg. cons. et parit.* Cum enim praedicatur no-
vo

va religio, ut tunc fiebat a *Paulo*, licet auditoribus examinare an vera sit; hoc est an miraculis, et prophetiis constet ejus veritas. Cum igitur *Paulus* ex prophetiis veritatem Christianae religionis ostenderet Judaeis, quales erant Beroeenses, poterant isti, imo et debebant examinare, num id verum esset. *Qui enim cito credit, levis est corde. Eccli. XIX. 4.* At dispar est ratio ejus, cui jam constitit veritas, et divinitas Ecclesiae. Imprudens enim esset, imo et impius, si ipse vellet privato Spiritu examinare quod docet Ecclesia, quam ipse jam credit institutam esse divinitus.

Corollarium.

Cum igitur neque Scriptura, neque privatus cujusque spiritus judices sint sensus obscuri Scripturae, et traditionis, omniumque controversiarum fidei; nos cum Chatholicis omnibus asserimus, judicem hunc esse ipsam Ecclesiam. Sed, ut hoc adstruamus, edisserendum est; quid sit Ecclesia: quae notae, sive characteres, quibus vera Ecclesia discernatur a falsa; quae demum proprietates.

C A P. IV.

De Ecclesia.

§. I.

Ecclesiae notio, et definitio.

Etsi aliquando *Ecclesiae* nomen late accipitur pro quacumque congregatione, etiam impiorum hominum, ut in *Ps. XXV. odivi ecclesiam malignantium*; communiter tamen stricte intelligitur de collectione hominum ad Dei cultum convocatorum; ut *Matth. XVI. 18. Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.*

Hoc modo accepta *Ecclesia*, duplici rursus sensu potest intelligi: 1°. pro universa sanctorum collectione sub uno capite Christo, quae complectitur Ecclesiam

siam triumphantem, militantem, et patientem in Purgatorio, ut *Ephes. I. 22. Ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam*; 2°. pro sola Ecclesia militante. Iterum autem hoc altero sensu usurpatum Ecclesiae nomen tria significat, 1°. Pastores Ecclesiae, ut *Matth. XVIII. 17. dic Ecclesiae*: 2°. particularem aliquam ecclesiam, ut *ecclesia Chorinthi*, *ecclesiae Asiae*, *Macedoniae* saepe apud Apostolum, qui et unam familiam appellat *ecclesiam*: *Rom. XVI. 5. Salutate Priscam, et Aquilam, et domesticam ecclesiam eorum*; 3°. Ecclesiam per universum terrarum orbem diffusam. Postremo hoc sensu hic accipimus nomen Ecclesiae, cujus definitio haec traditur a *Bellarmino*.

PROPOSITIO.

Ecclesia est coetus hominum viatorum unius, et ejusdem fidei Christianae professione, et eorundem sacramentorum communione adunatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue Rom. Pontificis Christi vicarii.

Probatur, et explicatur definitio. Verba illa *coetus hominum viatorum* designant genus supremum, in quo Ecclesia cum quacumque hominum congregatione convenit. Sequentia verba *unius, et ejusdem fidei professione etc.* explicant differentiam, qua Ecclesia a quacumque infidelium, haereticorum collectione discernitur etc. Ergo recta est definitio.

Dices. Non solum fides sed etiam spes, et charitas ad naturam Ecclesiae pertinent. Ergo melius definitur Ecclesia. *Societas hominum viatorum, et baptizatorum sive internis vinculis fidei, spei, et charitatis, sive externis communionis catholicae, et ejusdem fidei professionis vinculis colligata etc.*

℞. *Neg. ant.* Spes enim, et charitas licet ex promissionibus Christi numquam omnino in corpore Ecclesiae extinguantur; non tamen ejus naturam constituunt, nec proinde in definitione ponendae erant: 1°. quia non reperiuntur in omnibus Ecclesiae membris, ut infra docebimus; 2°. quia cum sint pro-

prie-

prietates occultae in corde hominis, et invisibiles, si requirerentur ad constituendam Ecclesiae naturam, jam Ecclesia esset corpus natura sua invisibile, quod falsum esse, et contra naturam ipsius Ecclesiae, docebimus suo loco. Hinc pessime in Ecclesiae definitione ponuntur verba illa disjunctiva *sive internis*, *sive externis vinculis colligata*, quae eo spectant, ut possit aliquando esse Ecclesia nullo externo communionis signo colligata, adeoque invisibilis.

Ergo, inquies, nec ipsa fides in definitione ponenda erat; potest enim quis exterius simulare fidem, quam negat interius, atque ideo non minus fides, quam spes, et charitas occulta est.

℟. *Neg. seq. et parit.* Fides enim est natura sua visibilis per exteriorem professionem: ex accidenti autem est, quod quis eam simulet, quod nos de nemine suspicari debemus, quem videmus vivere in Ecclesiae societate, nec ulla exterius signa infidelitatis proferre: At spes, et praecipue charitas saepe occulta sunt etiam illi ipsi, qui eas habet, adeo ut quantumcumque exterius profiteatur, se illas habere; semper id occultum sit, nec per solam ejus affirmationem visibile.

Inst. Spes, et charitas constituit animam Ecclesiae, ut post *Bellarminum* fatentur omnes, qui ejus definitionem secuti sunt, idemque docuerat *Augustinus in Breviculo Coll.* Atqui inepte quis definiret hominem describendo ejus corpus, nulla omnino injecta mentione animae rationalis. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et ejusmodi locutio metaphora est, *conc.* Propria, *neg.* Vult igitur *Augustinus*, aliique, fidem, spem, et charitatem perfecte conjungere multa Ecclesiae membra cum Chsisto, capite, eaque movere ad opera supernaturalia, sicut anima movet viva corporis membra ad opera naturalia; sed in eo differunt ab anima, quod haec constituat hominis naturam, illae autem minime. Non enim ait *Augustinus*, fidem, spem, et charitatem idem esse in Ecclesia, quod est anima in *homine*, sed quod est anima in *corpore* hominis. Nos igitur eamdem metaphoram libenter sequemur; dicemusque, aliquos pertinere

nere ad corpus Ecclesiae, non ad animam; ut peccatores: alios ad animam, non ad corpus, ut nonnulli cathecumeni; alios ad animam simul et corpus, ut justi. Sed hic corpus Ecclesiae visibile definiendum erat.

Objic. II. *cum Launoyo Lib. VIII. Epist.* 13. Potest aliquando esse Ecclesia sine Pastore, ut accidit, mortuo S. Pontifice, vel tempore schismatis, cum dubitatur quisnam verus sit, et legitimus Pastor. Ergo non pertinet ad naturam, et definitionem Ecclesiae, ut sit *sub regimine Pastorum.*

℟. *Dist. ant.* Potest esse sine Pastore; sed tunc natura sua petit, ut legitimus Pastor instituatur, sicut Monarchia tempore interregni, *conc.* Id non petit, *neg.* Cyprianus enim Ecclesiam sic describit *Epist. LXIX. ad Pupianum*: *Plebs sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens.*

Ceterum nostra definitio in singulis ferme partibus a variis haereticis oppugnatur. Cum enim alii doceant; solos praedestinatos esse membra Ecclesiae, ut *Joan. Wiclefus*, et *Joan. Hus* in Concilio Constantiensi *Sess. XV.* damnati, et *Calvinus Lib. IV. Instit. Cap.* 1. §. 2. alii solos homines justos, vel saltem a criminibus gravioribus immunes, ut olim Novatiani apud *Cyprianum Ep. LI. et LII.* et Donatistae apud *Augustinum Lib. de haeresib. Cap. LXIX.*, alii e contrario, perperam distinguentes inter articulos fidei *fundamentales*, et non fundamentales, doceant, haereticos ipsos esse membra Ecclesiae, si non errent in fundamentalibus, ut *Jurius* minister Calvinista; alii S. Pontificem non agnoscant, ut caput Ecclesiae, ut haeretici ferme omnes; mirum non est, si nostram definitionem omnibus hisce erroribus oppositam oppugnent. Ut ergo ejus veritas constet, videamus modo quaenam sint Ecclesiae membra: Nam de Summo Pontifice, utrum sit Ecclesiae caput, suo loco disseremus inferius (*a*).

§. II.

(*a*) Quae nos hic brevius de Ecclesia tradimus, ea fusius tractarunt inter veteres quidem *Cyprianus Lib. de Unita*te

§. II.

De membris Ecclesiae. Et primo de haereticis et apostatis.

Adv. Haereticus est qui veritatem a Deo revelatam, et a vera Ecclesia ad credendum propositam, pertinaci animo negat. Qui autem omnem omnino Christianam religionem, ejusque dogmata ejuravit, *Apostata* dicitur. Sunt autem haeretici, et apostatae vel *publici*, vel *occulti*, vel tantum *interni*. Publici sunt, quorum haeresis tot hominibus innotuit, ut celari amplius communitati non possit. *Occulti*, qui licet haeresim vel ore protulerint, vel alio exteriori signo approbaverint, non tamen publice innotuerunt. Interni, qui haeresim, mente conceptam, nullo exterius signo aperuerunt.

II. *Alphonsus de Castro Lib. II. de justa haeretic. punit. Cap.* 24. docet, haereticos aliquo sensu membra Ecclesiae dici posse, etsi publici sint. At *Jurius* Calvinista novam comminiscitur distinctionem inter articulos fidei *fundamentales*, et *non fundamentales*, docetque, eos, qui errant in fundamentalibus articulis, ab Ecclesia esse sejunctos, secus qui errant in non fundamentalibus. Quae sententia, etsi prima fronte mitior sententia *Alphonsi*; longe tamen absurdior, et periculosior est, tum propter novam, et

---

te Ecclesiae. Augustinus in *Libro De unitate Ecclesiae*, et aliis contra Donatistas. *Optatus Milevitanus* Libri sex *contra Parmenianum*: inter recentiores vero Joannes de Turrecremata in *Summa de Ecclesia*, Melchior Canus *Lib. IV. et V. De Locis*, Joannes Ant. Delphinus Libris tribus *de Ecclesia*, Franciscus Turrianus Libris duobus de eodem argumento, Sylvius Opusculo V. Bellarminus *Lib. III de Conciliis, et Eccles.* Wallemburg. *De veritate, et notis Ecclesiae*, Thomassinus *De l' unitè de l' Eglise*, Nicole *Prejugès legitimes. De l' unitè de l' Eglise. Les pretendus Reformès convaincus de Schisme.* Abbas Cordemoi *De l' infallibilitè de l' Eglise*, et alii.

et hactenus inauditam distinctionem dogmatum fidei; tum quia *Alphonsus* docet quidem, haereticos esse aliquo pacto membra ecclesiae, sed omnem eis adimit spem salutis; hic vero tenet, haereticos in non fundamentalibus errantes, licet propriam sibi sectam constituant, esse tamen Ecclesiae membra, et salutem aeternam consequi, quod ad *indifferentismum* pertinet, et manifesta haeresis est.

III. De internis haereticis quaestio inter catholicos est. *Sylvius* enim post alios docet, eos vere, et absolute non esse in Ecclesia, sed tantum secundum quid, h. e. *apparenter*. Alii cum *Bellarmino Lib. III. De Eccl. mil. Cap.* 10. contra sentiunt. His positis, dicimus.

PROPOSITIO I.

Haeretici, et multo magis Apostatae publici, membra Ecclesiae non sunt.

Prob. I. ex Scriptura. I. *Joan. II.* 19. de haereticis dicitur: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* At si publici haeretici Ecclesiae membra essent, non possent dici in ea *non permansisse.* Et *II. Joan.* 10. *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nec Ave ei dixeritis:* quod edixerat etiam Apostolus, monens Episcopum *Tit. III.* 10. *Haereticum hominem post unam, et secundam correptionem devita.* Atqui homo vitandus a quolibet Ecclesiae membro nullo pacto dici potest Ecclesiae pars, et membrum, cum nullam habeat cum reliquis partibus communionem. Ergo etc.

Prob. II. ex perpetua Ecclesiae traditione, quae semper haereticos habuit ut extraneos, eosque ad rectam fidem redeuntes suo corpori rursus coaptavit, ut patet ex *Can. VIII.*, et *IX.* Concilii Nicaeni: et in Officio feriae VI. Hebdomadae majoris Deum orat, ut haereticos omnes *ad Ecclesiam revocet*; quod clare ostendit, eos antea in unitate Ecclesiae non fuisse. Hinc *Hyeronimus* de haereticis omnibus pronun-

nunciat (*Lib. cont. Luciferian.*) *Sicubi audieris eos*, *qui dicuntur Christi*, *non a Domino Jesu Christo*, *sed a quocumque alio nuncupari*, *utpote Marcionitas*, *Valentinianos*, *Montenses*, *sive Campitas*, *scito non Ecclesiam Christi*, *sed Antichristi esse Synagogam.* Atqui Scriptura, et Traditio cum haereticos ab Ecclesia excludunt, nullum omnino excipiunt, nec ullam umquam articulorum fundamentalium, et non fundamentalium afferunt differentiam, omnibus saeculis usque ad Calvinistas inanditam. Ergo non solum *Alphonsi* de Castro, sed etiam *Jurii* sententia falsa est.

Scholion.

Quod autem de publicis haereticis diximus, id intelligendum est etiam de occultis, qui tamen exteriori aliquo signo haeresim protulerunt. Hi enim jam excommunicati sunt, atque ideo extra Ecclesiam, ut de excommunicatis dicemus; licet exterius in corpore Ecclesiae permanere videantur.

Diximus autem in *Prop. et multo magis apostatae*, quia si in Ecclesia non est qui vel unum rejicit fidei articulum, ut haereticus, multo magis qui universam religionem, et fidem ejuravit, ut apostata. Augustini, Gregorii, Ambrosii loca vide inferius *Prop.* II. (*a*).

Objectiones.

Objic. I. Christus *Matth. XIII.* docet, in eodem agro esse zizania simul cum tritico. Atqui per agrum *Cyprianus Epist. LI.* intelligit Ecclesiam; per zizania vero *Hieronymus*, et *Chrysostomus*, in hunc locum scribentes, intelligunt haereticos. Ergo in eadem Ecclesia sunt haeretici, et orthodoxi.

℟. *Dist. min.* Et *Cyprianus*, qui per agrum intelligit

(a) Adde Cyprianum *Epist. ad Jubajan.* Augustinum *Lib. de Unit. Eccl. Cap.* 4. *etc.*

ligit Ecclesiam, per zizania non intelligit haereticos, sed fideles peccatores, sicut e contrario *Hieronimus*; et *Chrysostomus*, qui per *zizania* intelligunt haereticos, per agrum non intelligunt Ecclesiam, sed mundum universum, *conc.* Secus, *neg.* Per agrum ergo in *Christi* parabola totus mundus intelligendus est, ut explicat ipse *Christus Ibid. v.* 38 *ager autem est mundus.* Idque observat *Augustinus Quaest. XI. in Matth. Dominus agrum ipsum non Ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est. Cyprianus* autem, qui agri significationem soli Ecclesiae aptavit, per zizania non haereticos, sed alios peccatores intellexit, ut recte advertit *Augustinus Lib. II. cont. Crescon. cap.* 34. At *Hieronymus*, *Chrysostomus*, aliique, qui per agrum intellexerunt hunc mundum, juxta ipsius Domini explicationem, potuerunt utique zizaniorum nomen haereticis aptare.

Objic. II. Apostolus *II. Tim. II.* 20. *In magna*, inquit, *domo non solum sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia.* Atqui per magnam domum sine dubio intelligit Ecclesiam, per vasa autem lignea, et fictilia intelligit haereticos. Nam paulo ante dixerat de haereticis: *eorum sermo ut cancer serpit, ex quibus est Hymenaeus, et Philetus, qui a veritate exciderunt, et subverterunt quorumdam fidem*, tum paucis interjectis subdit: *in magna autem domo* etc. Ergo.

℟. *Neg. min.* quoad secundam partem, et ad ejus confirmationem *Dist. ant.* et verba illa *in magna autem domo* referuntur ad ipsos haereticos *Hymenaeum*, et *Philetum*, *neg.* referuntur ad verba posteriora *subverterunt quorumdam fidem*, *conc.* Sensus ergo est, ideo *Hymenaeum*, *Philetum*, aliosque haereticos subvertisse fidem quorumdam, quia in magna Ecclesiae domo non solum sunt homines in fide firmi, et in charitate radicati, vasa scilicet aurea, et argentea, sed etiam infirmi in fide, et charitate, mobiles, et fragiles, vasa lignea, atque fictilia; ita ut facile circumferantur omni vento doctrinae, et ab Ecclesia abducantur. Vide *S. Thomam Comment. in hunc loc.*

Inst. Augustinus Lib. IV. cont. Donatist. Cap. 12.

ex *Cypriani* sententia per vasa lignea, et fictilia eos ipsos intelligit, *quorum sermo ut cancer serpit*, puta haereticos. Ait enim: *et ipsos, de quibus ait Apostolus, sermo eorum ut cancer serpit, vellem intelligere foris fuisse, sed Cyprianus ipse me non sinit.* Ergo putavit, ipsos haereticos non esse foris, sed intus, in magna domo, in Ecclesia.

℞. *Dist. ant.* Et *Augustinus* loquitur ex sua sententia, *neg.* Ipse enim *Lib. de Unit. Eccl. Cap.* 4. ait: *quicumque de ipso capite ab scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur, quibus Ecclesia designata est, in Ecclesia non sunt*: imo centies repetit in eodem libro, et alibi passim, haereticos esse extra Ecclesiam. Loquitur ex sententia, quam putavit esse *Cypriani subdist.* et per eos, quorum sermo ut cancer serpit, non intelligit *formales* haereticos, sed eos quorum prava doctrina nondum ab Ecclesia damnata est, *conc. Formales* haereticos intelligit, *neg.* Augustinus ergo tum alibi, tum in hoc eodem Libro saepe docet, haereticos esse extra Ecclesiam. Idipsum docuerat *Cyprianus*, qui idcirco haereticorum baptismum improbabat, quod extra Ecclesiam esset datus; nec id ignorare poterat *Augustinus.* Hic autem loci ut probaret contra Donatistas, Ecclesiam constare ex justis, et peccatoribus, affert *Cyprianum*, cujus auctoritate Donatistae abutebantur, ostenditque, S. Martyrem omnes peccatores in Ecclesiae sinu agnovisse, etiam eos, *quorum sermo ut cancer serpit*; licet id conceptis verbis non dicat *Cyprianus*, sed putaverit ipse *Augustinus* erui posse ex ejus verbis. Ne igitur dicamus, tantum Doctorem tam aperte sibimetipsi, et *Cypriano* esse contrarium, intelligendus est de iis quorum sermo serpit quidem ut cancer, sed nondum damnatus est ab Ecclesia ut haeresis.

Objic. III. Haeretici habent baptismum, iis tantum exceptis, qui, errantes in fundamentalibus fidei articulis, baptismi formam immutarunt: imo iidem, si baptismum in Ecclesia susceperunt, ejus semper characterem retinent. Atqui per baptismum homo corpori Ecclesiae inseritur. Ergo.

℟. *Dist. min.* Inseritur Ecclesiae corpori, a quo tamen per voluntariam haeresim recedit, *conc.* secus, *neg.* Pueri enim ante usum rationis per legitimam baptismi formam corpori Ecclesiae copulantur: at cum ad eam aetatem perveniunt, in qua sectae suae falsitatem agnoscere queunt, tunc, in ea voluntarie permanentes, ab Ecclesia recedunt, non secus ac ii, qui vel adulti baptizantur in haeretica secta, vel in Ecclesia nati, et baptizati, adulta aetate haeresim profitentur. Quamdiu vero sectae suae, in qua ab infantia baptizati sunt, falsitatem *invincibiliter* ignorant: quod contingere praecipue potest in rusticis, ubi secta aliquid non docet contra naturae legem, vel contra prima religionis principia, quae nemo invincibiliter potest ignorare Christianus; in Ecclesia esse pergunt. Vide Gersonem in *Tract. De probatione circa mater. fid.* et Canum *Lib. XII. Cap. 7.* in quibus multa invenies hac de re non vulgaria.

Inst. Absurdum est tot homines a salute excludere, quot sunt, qui haereticas sectas profitentur, cum e contrario si omnes, qui dicuntur Christiani, licet haeretici, in sinu Ecclesiae esse dicerentur, facilius obstrueretur os incredulis, qui ex paucitate membrorum Ecclesiae divinam ejus institutionem oppugnant. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Absurdum esset, si ipsi se voluntarie a corpore Ecclesiae excluderent, *neg.* si non voluntarie excluderentur, *transeat.* Deus ergo salutis domicilium, Ecclesiam scilicet catholicam, pro salute omnium hominum constituit, sed cum non debeat homines per vim salvos facere, non est absurdum, sed miseranda caecitas hominum, qui ab Ecclesia libere discedunt. Dixi tamen; *transeat* altera distinctionis pars, quia etsi non voluntarie extra Ecclesiam essent, ut accidit infidelibus *negativis*, adoranda hic essent, non reprehendenda inscrutabilia judicia Dei; nec ullum hinc praejudicium opponi posset contra veritatem Ecclesiae, quae tam patentibus signis constabilita est, ut superiore libro ostendimus.

PRO-

PROPOSITIO II.

Occulti, et interni haeretici, et Apostatae, secundum rei veritatem absolute non sunt in Ecclesia; sunt tamen secundum quid.

Prob. 1. *pars.* Apostolus *Tit. III.* 11. ait, haereticum ideo esse vitandum, quia est *proprio judicio condemnatus*; quod et clarius *Judas* in Epistola sua v. 19. docet: loquens enim de haereticis ait: *Hi sunt qui segregant semetipsos.* Hinc Augustinus *Lib. IV. de Bapt. Cap.* 16. *Si quisquam*, inquit, *idem sentiat quod illi, et esse noverit haeresim ab unitate catholica separatam, ubi hoc docetur, et discitur, sed alicujus saecularis emolumenti causa in catholica unitate baptizari voluerit, vel in ea baptizatus hinc exire noluerit, non solum separatus habendus est, verum etiam tanto sceleratius, quanto magis errori haeresis, et divisioni unitatis fallaciam simulationis adjungit.* Et *Lib. De Unit. Eccl. cap.* 25. *Cum pro ipsis operibus etiam veritati apertissimae, qua redarguitur, resistere coeperit, tunc praeciditur. Et multi tales sunt in sacramentorum communione cum Ecclesia, et tamen jam non sunt in Ecclesia.* Hanc doctrinam repetit *Quaest. XI. in Matth. et Lib. II. contra Litt: Petil. Cap.* 108. *et Lib. II. cont. Crescon. C.* 21. Unde Cathechismus Romanus *P.* 1. *c.* 10. *q.* 2. ex Augustino Ecclesiam definit *populum fidelem*. Idem docent *Ambrosius Lib. VII. in Cap.* 11. *Luc. Gregorius Lib. II. Mor. c.* 15. Leo M. *Epist. LII.* Ergo.

Prob. 2. *pars.* Haeretici, de quibus agimus, pergunt exterius veram profiteri fidem, manere in Ecclesiae externa societate, cum reliquis fidelibus in sacramentorum participatione communicare. Ergo *secundum quid*, idest secundum externam formam sunt in Ecclesia.

Objic. Ecclesia, ut suo loco dicemus, est corpus visibile; atqui tale non esset, si occulti, et interni haeretici, et apostatae non esssent ejus membra. Ergo.

℟. *Neg. min.* Sufficit enim, ut Ecclesia dicatur visibi-

sibilis, si visibile sit ipsum corpus, in quo ex Christi promissionibus vera fides numquam deficiet. Et licet de unoquoque membro Ecclesiae certi non simus absoluta certitudine, in eo esse veram fidem; sufficit tamen certitudo *moralis*, quae ex eo oritur, quod videamus ipsum manere in Ecclesiae societate, nec ulla infidelitatis signa exterius protulisse.

Inst. Episcopus interius haeresim, vel apostasiam fovens, pergit esse caput suae ecclesiae. Ergo est membrum Ecclesiae principale.

℟. *Dist. ant.* Pergit esse caput *secundum quid*, propter jurisdictionem, quam Ecclesia ipsi non adimit, *conc.* Proprie, *neg.* Vide Sylvium *Opusc. V. Lib. III. Quaest. I. art.* 7.

Corollarium.

Ergo recte posita sunt in definitione Ecclesiae verba illa: *unius fidei professione.*

§. III.

De Schismaticis.

Adv. I. Schismaticus, est qui secessionem in Ecclesia faciens, ab unitate capitis, et membrorum, vel palam, vel latenter sejungitur.

II. Licet schisma natura sua ab haeresi sit diversum, plerumque tamen schismatici haeresim aliquam amplectuntur. Nam ut advertit Hieronymus *in Epist. ad Galat. Nullum schisma est, quod non sibi aliquam haeresim confingat, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.* Hic tamen loquimur de schismaticis, prout ab omni haeresi immunibus.

PROPOSITIO

Manifesti Schismatici membra Ecclesiae non sunt.

Haec propositio probatione non indiget, cum ipsa schismatis definitio separationem a corpore Ecclesiae significet. Nihilominus probatur ex Patribus. *Hierony-*

nymus enim *in Cap. III. Epist. ad Tit. inter haeresim* inquit, *et schisma hoc interesse arbitramur, quod haeresis perversum dogma habeat, schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia separet.* Fulgentius *Lib. de Fide ad Petrum cap.* 38. *Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum paganos, sed etiam haereticos, et schismaticos, qui extra Ecclesiam catholicam praesentem finiunt vitam, in ignem aeternum ituros.* Mitto ceteros (a) in re clarissima. Hinc Ecclesia Feria VI. Majoris Hebdomadae orat Deum *pro schismaticis, ut eos ad sanctam matrem Ecclesiam Catholicam, et Apostolicam vocare dignetur.* Ergo.

Objic. I. Schismatici baptismum habent, fidem habent, unitatem habent cum *Christo* capite. Ergo.

℟. *Neg. ant.* quoad 3. partem. Sicut enim *non potest habere Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem*, ut loquitur *Cyprianus*, ita non possunt cum Christo habere unitatem, qui, recedentes a Pastoribus per *Christum* statutis, discedunt a Corpore Christi.

Scholion.

De Schismaticis autem internis non idem dicere possumus, quod de internis haereticis antea diximus. Schismatici enim interni peccant interius non contra fidem, quae ad essentiam Ecclesiae pertinet, sed contra charitatem, quam diximus ad naturam Ecclesiae non pertinere. Cum ergo illi pergant exterius societatis vincula servare, in Ecclesia permanent.

Corollarium.

Recte igitur in definitione Ecclesiae posita sunt ea verba: *sub regimine legitimorum Pastorum etc.*

§. IV.

(a) Irenaeus *Lib. IV. Cap.* 62. Cyprianus *Epist. LXX. ad Pupian.* Chrysostomus *Hom. III. in I. ad Corinth.* Hieronymus *in Cap. I. Amos.* Optatus Milevit. *Lib. I. cont. Parmenian.* et alii.

§. IV.

De Excommunicatis.

Adv. Excommunicatio duplex est, *major*, *et minor*. *Major* hominem baptizatum privat bonis Ecclesiae communibus, sacramentis, sacrificiis, suffragiis, aliisque; *minor* vero excludit tantum directe a sacramentis suscipiendis. Certum est, excommunicatione *minori* multatos extra Ecclesiam non esse. Excommunicati autem majori excommunicatione vel sunt *tolerati*, vel *non tolerati*, sive vitandi.

PROPOSITIO

Excommunicati majori excommunicatione, sive sint tolerati, sive vitandi, in Ecclesia non sunt.

Prob. I. Matth. XVIII. 17. de talibus hominibus ait Christus. *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus*, h. e. ut explicat *Augustinus Serm. LXXXII. al. XVI. De verb. Dom. noli illum deputare jam in numero fratrum tuorum.* Et Apostolus I. *Cor. V.* 2. jubens excommunicari incestuosum Corinthium, *Et non magis*, inquit, *luctum habuistis, ut tollatur de medio vestri qui hoc opus fecit*: hoc est de medio Ecclesiae. Ergo.

Prob. II. ex *PP. Cyprianus Epist. LXII.* de excommunicatione loquens, ait: *Spiritali gladio superbi, et contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur.* Et *Augustinus Lib. de Unit. Eccl. Cap. ult. Quisque praeciditur, cum visibiliter excommunicatur.* Et *Quaest. XXXIX. in Deuteron. Hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.* Denique quoties de excommunicatione Patres loquuntur, nomen *separationis*, *ejectionis*, aliave similia usurpant (a). At, qui ejiciuntur, praeciduntur, separantur; pel-

(a) Eusebius *Lib. V. Hist. Cap.* 24. Epiphanius *Haeresi XLII.* Hilarius, Chrysostomus, et Theophilactus in *Cap. XVIII. Matth.* et alii.

pelluntur ab Ecclesia, in ea amplius non sunt; sicut qui interficiebantur, in societate hominum, et Republica Judaeorum amplius non erant. Ergo.

Prob. III. Excommunicati omni spirituali commercio cum membris Ecclesiae privantur. Non ergo amplius membra sunt.

Diluuntur objecta.

Objic. I. Augustinus *Lib. post Collation. Cap.* 20. inquit: *Neque a populo Dei separamus quos vel degradando, vel excommunicando, ad humiliorem poenitendi locum redigimus.* Atqui populus Dei est Ecclesia. Ergo si excommunicati non separantur a populo Dei, non separantur ab Ecclesia.

℟. 1.° Nonnulli, ut *Lensaeus Lib. I. de Eccl. cap.* 14. et *Bellarminus lib. III. cap.* 6. suspicantur, locum *Augustini* esse mendosum, et addendam esse negationem sic: *neque enim a populo Dei non separamus.* Sed missa hac responsione.

℟. 2.° *Dist. maj.* Non separamus in perpetuum sine spe redintegrationis, *conc.* Non separamus ad tempus, scilicet donec excommunicatus resipiscat, *neg.*

℟. 3.° Attente legenti textum *Augustini* patet, eum non de majori excommunicatione loqui, sed de *degradatione*, et excommunicatione minori, qua quis ad agendam poenitentiam redactus, ab Eucharistiae communione prohibebatur.

Objic. II. Excommunicatus injuste, vel juste quidem, sed perfecte contritus, si ante absolutionem moriatur, utique salvus erit. Atqui nemo salutem sperare potest, nisi membrum Ecclesiae sit. Ergo.

℟. *Ad* 1. de injuste excommunicato, *Nego suppositum.* Loquimur enim hic de excommunicatione justa; cum injuste excommunicatus non privetur communibus Ecclesiae bonis, licet exterius se pro excommunicato gerere debeat, vel quia de injustitia non constat, vel quia scandalum timetur. *Ad* 2. de juste excommunicato, sed perfecte contrito, *Dist. min.* Nemo salutem sperare potest, nisi sit membrum Ecclesiae vel reipsa, vel voto, *conc.* Reipsa semper, *neg.*

neg. Sicut ergo cathecumeno morienti sufficit ad salutem baptismi votum, ita excommunicato perfecte contrito sufficit votum absolutionis. Utrum autem sufficiat etiam, ut ille fruatur communibus Ecclesiae suffragiis, quaestio est inter Theologos.

Objic. III. Excommunicati tolerati ex Constitutione *Martini V.* quae incipit *Ad evitanda*, *valide* sacramenta ministrant, imo licet cum iis communicare, etiam in sacris. Ergo saltem ii membra sunt Ecclesiae.

℟. *Neg. cons.* Haec enim Constitutio non est in commodum excommunicati sancita, sed in bonum, atque utilitatem fidelium, quibus multa imminerent animarum pericula, si excommunicati tolerati jurisdictione privarentur, aut essent a fidelibus vitandi.

Corrollarium.

Recte ergo in definitione posita sunt ea verba: *eorumdem sacramentorum communione adunatus.*

§. V.

De non baptizatis.

Adv. Qui baptismo initiati non sunt, vel infideles sunt, vel fideles. Primi in Ecclesia non sunt. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* inquit Apostolus I. *Cor. V.* 12. Fideles autem vel mundano timore, aut amore praepediti nolunt baptizari, vel jam volunt, ideoque curant edoceri mysteria fidei, dicunturque a verbo Graeco *cathecumeni*. Qui ergo baptizari nolunt, extra Ecclesiam omnino sunt. De cathecumenis quaeritur.

PRO-

PROPOSITIO

Cathecumeni non sunt actu membra Ecclesiae, sed tantum potentia.

Prob. 1. *pars.* Cathecumeni, utcumque ferveant charitate, non tamen ad sacramenta suscipienda cum Ecclesiae membris admittuntur, nec ad communia Ecclesiae bona jus habent ullum. Ergo membra Ecclesiae actu non sunt. Hinc *Act. II.* 41. fideles tunc dicuntur *appositi*, sive adjecti Ecclesiae corpori, cum baptismum susceperunt. *Qui receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, et appositae sunt in illa die animae circiter tria millia.* Eadem est omnium *Patrum* (a) sententia. Concilium Florentinum *Baptismus*, inquit, *vitae spiritualis janua est, per quam membra Christi, ac de corpore Ecclesiae actu efficimur.* Et Tridentinum *Sess. XIV. cap.* 2. *Ecclesia in neminem exercet judicium, qui non prius in ipsam per baptismi januam sit ingressus.* Ergo.

Secunda pars patet; cum enim cathecumeni ad suscipiendum baptismum disponantur, jam sunt *in potentia* membra Ecclesiae.

Objectiones.

Objic. I. Cathecumeni cum reliquis Ecclesiae membris per fidem communicant, imo et salvi sunt, si ante baptismum in charitate decesserint. Ergo actu sunt membra Ecclesiae.

℟. *Neg. cons.* Non enim sufficit fides, ut quis membrum Ecclesiae censeatur, sed praeterea requiritur, ut in eam per baptismum, qui janua est, introeat. E contrario, ut quis salvus sit, sufficit baptis-

(a) Tertullianus *Lib. de praescript.* Nazianzenus *Orat. in S. Lavacrum.* Chrysostomus *Hom. XXIV. in Joan.* Cyrillus Alex. *Lib. XII. in Joan. cap.* 50. Augustinus *Tract. IV. in Joan.*

ptismi desiderium, quo fit, ut is, licet non ad corpus, ad animam tamen, ut ita dicam; Ecclesiae pertineat.

Inst. 1.° In Concilio Lateranensi sub Innoc. III. *cap.* 1. dicitur: *Una est fidelium universalis ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur.* Ergo, si cathecumeni salvi esse possunt, in Ecclesia sunt.

℟. *Dist. ant.* Nullus *salvatur*, qui sit extra Ecclesiam tum reipsa, tum voto, *conc.* Reipsa semper, *neg. Dist.* etiam *cons.* Sunt in Ecclesia per votum, *conc.* Reipsa, *neg.*

Inst. 2.° Ante Christum fideles incircumcisi pertinebant ad Ecclesiam; ut enim observat Augustinus *Lib. II. de peccator. merit. cap.* 24. et Auctor libri de *Vocatione gentium Lib. II. cap.* 14.) fuerunt etiam aliqui ex Gentilibus fideles. Ergo etiam post Christum.

℟. *Neg. cons.* Praeceptum enim circumcisionis non omnibus Gentibus erat datum, sicut praeceptum baptismi, sed solis Abrahae posteris.

Objic. II. *Augustinus Tract. IV. in Joan.* ait: *futuri erant aliqui in Ecclesia excelsioris gratiae cathecumeni.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Futuri erant in Ecclesia impróprie, h. e. *in potentia*, *conc.* Reipsa, *neg.* Cum enim *Augustinus* passim distinguat cathecumenos a Christianis, ut *Tract. XI. in Joan. Nesciunt*, inquit, *cathecumeni*, *quod accipiant Christiani*, non alia ratione explicari potest quod dicit, eos *esse in Ecclesia*, quam eo sensu, quo dicimus, esse in domo eum, qui in vestibulo est, ut statim ingrediatur.

§. VI.

De praedestinatis, et reprobis.

Adv. Calvinus *Lib.* IV. *Instit. Cap.* 1. §. 2. post *Wiclefum*, et *Hus*, solos praedestinatos, ait, esse membra Ecclesiae; idque ex suo systemate deducit. Docet enim ipse, neminem veram habere fidem, nisi praedestinatum; cum ergo nemo sit membrum Ecclesiae

siae sine fide; hinc nemo membrum Ecclesiae est, nisi praedestinatus.

PROPOSITIO

Ecclesia constat ex praedestinatis, et reprobis: imo non omnes praedestinati sunt actu membra ecclesiae. Est dogma fidei.

Prob. 1. *pars* ex parabolis, quibus in Evangelio Christus Ecclesiam adumbravit. Eam enim comparavit primo *areae*, in qua continetur simul triticum, et palea. *Matth.* III. 12. *Permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextiguibili.* At per triticum manifeste intelliguntur electi, sicut per paleas reprobi. 2°. Comparavit convivio, in quo repertus est homo, in tenebras exteriores projiciendus *Matth. XXII.* 3°. Agro, in quo zizania cum frumento creverunt usque ad messem, tuncque demum collecta sunt in fasciculos, et in ignem projecta *Matth. XIII.* 4°. Sagenae missae in mare, et ex omni genere piscium congreganti, quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem miserunt foras *Matth. XIII.* 5°. Decem virginibus, quarum quinque fatuae a nuptiali convivio exclusae sunt *Matth. XXV.* At homo in tenebras exteriores projectus, zizania igni combusta, mali pisces foras missi, virgines fatuae domo exclusae, non utique significant praedestinatos, sed reprobos. Ergo. Hinc *Gregorius M. Lib. I. Homil. XII. in Evang. Regnum Dei*, inquit, *saepe praesentis temporis Ecclesia dicitur, in qua, quia mali cum bonis, et reprobi cum electis admixti sunt, recte similis virginibus prudentibus, et fatuis esse perhibetur.*

Prob. 2°. *ratione*. Si Ecclesia solis constaret praedestinatis, invisibilis esset. Atqui, eam natura sua esse visibilem; docebimus inferius. Ergo.

Prob. 2. *pars.* Infideles, schismatici, haeretici, excommunicati membra ecclesiae non sunt, ut supra docuimus. Atqui nonnulli ex iis sunt praedesti-

stinati. Ergo non omnes praedestinati *actu* sunt in Ecclesia. Unde *Augustinus Tract. XLV. in Joan. n.* 12. utramque propositionis nostrae partem paucis verbis complectens, ait: *secundum Dei praescientiam, et praedestinationem, quam multae oves foris, quam multi lupi intus!* Denique Concilium Constantiense *Sess. XV.* contrariam doctrinam *Joannis Hus* damnavit.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Ecclesia ab ipso *Christo* comparatur ovili, ejusque membra comparantur ovibus *Joan. X.* 16. *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Atqui oves Christi sunt soli praedestinati. Ait enim Christus *Ibid. v.* 27. *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Ergo.

℟. *Dist. min.* Oves Christi praecipuae sunt soli praedestinati, *conc.* Oves omnes absolute, *neg.* In Evangelio igitur nomine ovium aliquando fideles omnes veniunt, licet non sint praedestinati, ut cum Petro dicitur *pasce oves meas Joan. XXI.* 17. neque enim Petrus, ejusve successores praedestinatos cognoscere poterant, ut eos pascerent. Aliquando vero intelliguntur electi, ut in citato loco, et *Matth. XXV.* 33.

Inst. 1. Ex concessis, in laudato *Joannis* loco, nomine ovium veniunt praedestinati. Atqui Christus ait, ovile ex iis tantum ovibus constare. Ergo.

℟. *Neg. min.* Dicit enim Christus, se adducturum oves suas in ovile unum, sed non ait, ex iis ovibus solis constare ipsum ovile.

Inst. 2°. Idem est ovile Christi, et domus Christi: utrumque enim Ecclesiam significat. Atqui soli praedestinati sunt domus Christi. Ait enim Apostolus *Heb.* III. *quae domus Christi sumus nos, si fiduciam, et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.* Ergo.

℟. *Dist. min.* Praedestinati sunt domus Christi mo-

do

do quodam perfectissimo, *conc.* modo quocumque, *neg.* Hortatur itaque Apostolus fideles ad perseverantiam, docens, eos frustra esse in Ecclesia, nisi in fide, et charitate perseverent, cum soli perseverantes sint perfecti illi lapides vivi, ex quibus construitur domus Dei, in aeternum duratura, Ecclesia scilicet triumphans. Vide *Estium Commentar. in h. l.*

Objic. II. Ecclesia *Cantic. IV.* 12. dicitur *hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium.* Atqui haec solis conveniunt praedestinatis. *Augustinus* enim *Lib. V. de Bapt. Cap.* 27. ait: *numerus ergo ille justorum . . . . de quibus dictum est: novit Dominus qui sunt ejus, ipse est hortus conclusus, fons signatus, etc.* Ergo etc.

℟. *Transeat maj.* Nam ut observat *Bellarminus Lib. III. de Eccl. Cap.* 7. laudatum Canticorum locum quidam de B. Virgine, quidam, etiam probabilius, de anima justi perfecta intelligunt. Sed etsi de Ecclesia tantum intelligi posset, non sequitur, eam ex solis constare praedestinatis. Nam etiam in horto concluso nascuntur vepres, aliaeque inutiles plantae per agricolam evellendae: sicut et fons signatus, et puteus aquarum viventium a sordibus identidem emundandus est. Ceterum etsi hortum conclusum omnino de solis praedestinatis velis intelligere; potest etiam hoc sensu Ecclesia sic appellari, quia solet attribui toti, quod convenit nobiliori parti, sicut solet Respublica appellari dives opum, propter illustriores ejus cives. *Augustinus* autem favet potius nobis, quam adversatur; ait enim, hortum conclusum non significare Ecclesiam universam, sed partem, solos scilicet electos. Quod autem in Ecclesia tota agnoverit etiam reprobos, patet tum ex loco supra laudato, *ex tract. XLV. in Joan.* tum ex aliis.

Objic. III. Joannes in I. *Epist. c. II.* 19. ait *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Et Apostolus *II. Tim. II.* 19. *Firmum,* inquit, *fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Novit Dominus qui sunt ejus.* Ergo reprobi, de quibus loquitur Apostolus, membra Ecclesiae non sunt. ℟. *Neg.*

℟. *Neg. cons.* Illud enim *ex nobis* non significat totam Ecclesiam, sed solos praedestinatos. Sensus ergo est: prodierunt de medio nostri, h. e. de Ecclesia, in qua erant, sed non erant ex nobis, h. e. ex numero electorum: si enim fuissent ex eo numero, permansissent in Ecclesia nobiscum.

Adde quod advertit Augustinus *Tract. XLV. in Joan. et Lib. de dono persev. c.* 8. saepe homines in Scripturis tales dici, quales nondum sunt, sed futuri praevidentur a Deo, cui omnia praesentia sunt. Sic electi, licet adhuc idololatrae, dicuntur in Scripturis *oves*, et *filii Dei. Alias oves habeo Joan. X.* 16. *Ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum, Joan: XI.* 52. Sic igitur reprobi possunt dici *ex nobis*, et *non ex nobis*: *filii Dei*, et *filii perditionis*, *oves*, et *haedi*: oves quidem, filii Dei, *ex nobis* secundum praesentem eorum statum: haedi vero, filii perditionis, *non ex nobis* secundum Dei praescientiam; nam *secundum Dei praescientiam, quam multae oves foris, quam multi lupi intus!*

Objic. IV. Ecclesia comparatur a Patribus Arcae *Noe*, quae fuit ejus figura. At in arca non fuerunt, nisi qui servandi erant a diluvio. Ergo in Ecclesia non sunt, nisi praedestinati.

℟. *Dist. maj.* Comparatur Arcae quoad aliqua, *conc.* Quoad omnia, *neg.* In his ergo Patres comparationem instituunt, 1°. quod sicut nemo servatus est a diluvio, nisi qui erat in arca; ita nemo servatur, nisi qui est in Ecclesia. Ita *Augustinus Lib. V. de Bapt. cont. Donatist. Cap. ult. Hieronymus in Epist. ad Damas.* et ante eos *Cyprianus Lib. de unit. Eccl.*; 2°. quod sicut in arca non solum munda animalia erant, sed etiam immunda, sic in Ecclesia non solum boni sunt, sed etiam mali; non solum electi, sed etiam reprobi: ita *Hieronymus Lib. cont. Luciferian. Cap.* 8. et alii.

§. VII.

§. VII.

De justis, et peccatoribus.

Adv. Scribit Bellarminus *Lib. III. de Eccl. Cap.* 2. docuisse *Pelagianos*, Ecclesiam ex solis constare justis, et quidem ita perfectis, ut nullum omnino, ne veniale quidem, peccatum habeant. Sed videtur deceptus ex quodam *Augustini* loco *Lib. de Haeresib. Cap.* 88. in quo ait, *Pelagianos* asserere *ex his hominibus* immaculatis *Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici.* Sed advertendum, aliud esse, Ecclesiam *perfici*, aliud constare ex hominibus immaculatis. Prius docebant *Pelagiani*; quorum dogmata suo loco refutabimus: posterius nunquam videntur asseruisse. (*a*)

II, *Novatiani* autem, et *Donatistae* graviorum scelerum reos asserebant, non esse Ecclesiae membra, ut testantur *Cyprianus* de Novatianis *Epist. LII.* et de Donatistis Augustinus *Lib. de Haeres. Cap.* 69.

III. *Lutherani*, ut patet ex *Confessione Augustana Art. VII.* docent, ex solis justis Ecclesiam constare. Idem sentit *Calvinus Lib. IV. Instit. Cap. I. §.* 2. sed quia in ejus systemate nemo justus est, nisi sit praedestinatus, idcirco ex solis praedestinatis constare Ecclesiam somniavit, quem errorem supra refutavimus.

IV. Ceterum *Lutherani*, et *Calviniani* duplicem fingunt Ecclesiam, aliam vere, proprieque dictam, eamque ex solis justis coalescere, ideoque invisibilem, solique Deo cognitam esse statuunt; aliam externam, *materialem*, visibilem, quae improprie, sive per *Synecdochen*, ut explicat *Buddeus* Lutheranus,

N Eccle-

(a) Videtur quidem Augustinus hanc insaniam ipsis objicere *Serm. CLXXXI. al. XXIX. de verb. Apost.* Sed ex responsionibus Pelagianorum, quas ibidem refutat, videtur arguendo potius id ex illorum haeresi, tamquam absurdum consequens, inferre. Obscura, nec magni momenti res est.

Ecclesia dicitur, in qua justi simul, et peccatores inveniuntur.

V. Peccatores illi, qui sunt etiam haeretici, vel schismatici, infideles, excommunicati extra Ecclesiam sunt, ut supra ostendimus. De reliquis ergo hic agimus.

PROPOSITIO.

Ecclesia constat ex justis, et peccatoribus etiam scelestissimis, modo non sint haeretici, schismatici, infideles, aut excommunicati. Est dogma fidei.

Prob. I. ex omnibus iis parabolis Evangelicis, quibus supra docuimus, Ecclesiam constare ex praedestinatis, et reprobis. Eae enim probant non solum reprobos, sed et peccatores, utcumque scelestos, esse membra Ecclesiae, ut patet.

Prob. II. ex constanti traditione. *Cyprianus Epist. LIV. ad Maxim. Etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.* Idem millies inculcat *Augustinus* in Libris contra Donatistas, tamquam constantissimam universalis Ecclesiae fidem. Et *Tract. VI in Joan. Si arca*, inquit, *figurabat Ecclesiam, videtis utique, quia necesse est, ut in isto diluvio saeculi utrumque genus contineat Ecclesia et corvum, et columbam. Qui sunt corvi? qui sua quaerunt. Qui sunt columbae? qui ea, quae Christi sunt, quaerunt . . . . . Nos fatemur, in Ecclesia bonos, et malos esse, sed tamquam grana, et paleas.* Innumera ejusdem S. Doctoris testimonia collegit *Hieronymus Torrensis in Lib. I. Confess. August. Cap. 6. §. 7.* Hinc Fulgentius *Lib. de Fide ad Petrum Cap. 44. Firmissime tene, et nullatenus dubites, arcam Dei esse Ecclesiam catholicam, et intra eam usque in finem saeculi frumento mixtas paleas contineri, hoc est bonis malos Sacramentorum communione misceri: et in omni professione sive clericorum, sive monachorum, sive laicorum bonos esse simul, et malos etc.* Et Gregorius M. *Homil. XI. in Evang.*

Nunc

Nunc bonos, malosque communiter, quasi commixtos pisces, fidei sagena nos continet.

Denique Ecclesia est visibilis, ut suo loco dicemus. Ergo continet bonos, et malos. Cum enim justitia, aut pravitas humani cordis videri ab hominibus non possint, si solis justis Ecclesia constaret, jam esset invisibilis. Commentitia ergo est, et omnibus saeculis inaudita distinctio, quam Novatores obtrudunt inter Ecclesiam visibilem, et invisibilem; cum omnes Patres, imo et ipsa Scriptura, quam solam volunt esse fidei regulam, de una Ecclesia loquantur, quam dicunt esse sagenam, bonos et malos continentem.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. *Isaiae XXXV.* 8. haec habentur: *Non transibit per eam pollutus . . . non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam.* Et clarius *Cap. LII.* 1. *Non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus, et immundus.* Sed haec de Ecclesia praedicuntur. Ergo etc.

℟. *Ad* 1. *Isaiae* locum: *neg. min.* Non enim ibi sermo est de Ecclesia, sed de via, qua in Ecclesiam, seu in patriam caelestem ascenditur: ait enim: *Et erit ibi semita, et via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus etc.* Fatemur autem, hanc viam esse sanctam, quia ipse Christus de se ait: *Ego sum via:* per quam non ambulant peccatores, non obedientes mandatis ejus: quae mandata etiam dici possunt via sancta, qua itur ad patriam, et per quam peccatores non ambulant.

Ad 2. Verba illa ad litteram intelliguntur de Jerusalem, per quam praedicit Dominus, post captivitatem non amplius, per longum temporis spatium, transituros incircumcisos, et immundos, qui eam vastent, et evertant, sicut fecere Babylonii. *Allegorice* autem intelligi possunt etiam de Ecclesia, quae ab incircumcisis, et immundis oppugnabitur quidem, sed numquam delebitur juxta Domini propositionem *Matth. XVI.* 18. *Portae inferi non praevalebunt* ad-

versus eam. Itaque *Dist. min.* Praedicuntur de Ecclesia, ita ut immundi non transeant per eam, more victorum vastantes, et delentes, *conc.* ita ut nullus in ea sit immundus, *neg.*

Objic. II. Apostolus *Ephes. V.* 27. de Ecclesia ait: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* In patria caelesti, *conc.* In hoc saeculo, *subdist.* Non habentem maculam, aut rugam propter praecipua, et nobiliora ejus membra, aliasque rationes, quibus Ecclesiam dici sanctam docebimus inferius, *conc.* Propter omnia ejus membra sancta, *neg.* Itaque quod ait Apostolus *Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, aut rugam*, Augustinus passim de Ecclesia triumphante intelligit. Sic *Lib. de perfect. justit. Cap.* 35. *Tunc*, ait, *plena, atque perfecta erit Ecclesia, non habens maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, quia tunc erit etiam vere gloriosa. Cum enim non tantum ait,* ut exhiberet sibi Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, *sed addidit* gloriosam, *satis significavit, quando erit sine macula, aut ruga, tunc utique quando gloriosa.* Idem docet *Hieronymus in Cap. XXXI. Jerem.*, *S. Thomas* 3. *P. Q. VIII. art.* 3. *ad* 2. Potest tamen etiam in hoc saeculo Ecclesia dici sancta, sine macula, propter illustriora ejus membra.

Objic. III. *Rom. VIII.* 9. *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, et I. Cor. XII. 13. *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.* Sed peccatores Spiritum Christi non habent. Ergo non sunt ejus.

℟. *Dist. min.* Non habent spiritum Christi inhabitantem cum charitate, *conc.* non habent spiritum Christi conservantem eos in fide, quam nondum amiserunt, *neg.* *Distinguo* etiam *cons.* Non sunt ejus, ut membra perfecta, *conc.* non sunt ejus, ut membra imperfecta, et infirma, *neg.* Hinc *Augustinus in Psalm. XLVII. Qui sacramenta habent*, inquit, *et bonos mores non habent, et Dei dicuntur, et non Dei; et ejus dicuntur, et alieni: ejus, propter ipsius sacramentum; alieni, propter proprium vitium.*

Inst.

Inst. Peccatores membra sunt diaboli, imo et filii diaboli. Atqui non potest idem esse membrum Christi, et diaboli. *Quae enim conventio Christi ad Belial?* inquit Apostolus II. *Cor.* VI. 15. Ergo nullo pacto sunt membra Christi.

℟. *Dist. min*: Non potest idem esse membrum Christi et diaboli, *sub eodem respectu*, *conc. Sub diverso respectu*, *neg.* Hoc enim interest inter corpus morale, et physicum, quod in physico corpore non potest unum membrum ad duo corpora, et capita pertinere. At non ita se res habet in corpore morali; potest enim civis proditor *ex gr.* qui cum hoste occulte consilia communicat, pertinere simul ad principem, cui utcumque subjectus esse pergit, et ad hostem, cui animo, et consiliis conjunctus est.

Inst. 2. Corpus Christi est vivum; Ergo non potest habere membra mortua, quales sunt peccatores. *Confirmatur*. Ecclesia ab Apostolo comparatur pani, qui ex multis frumenti granis conficitur; *Unus panis*, inquit, *unum corpus multi sumus* I. *Cor. X.* 17. At panis conficitur ex tritico, quod in scripturis justos significat, non ex paleis; quae significant peccatores. Ergo etc.

Neg. cons. Nam etiam in corpore vivo sunt aliquando membra mortua, antequam praecidantur. Adde, peccatores non esse eo sensu membra mortua, ut nullum a Christo capite influxum recipiant. Retinent enim fidem, quam Christus per gratiam suam in ipsis servat. Ad confirmationem *respondeo*, similitudines non in omnibus urgendas esse. In hoc ergo posita est comparatio panis cum Ecclesia, quod sicut ex multis granis per aquam fit unus panis, ita ex multis hominibus per baptismum fit unum Ecclesiae corpus, ut explicant *Cyprianus Epist. LXXVI. ad Magnum*, et *Irenaeus Lib.* III. *Cap.* 19.

Inst. 3.° Sicut ex *Cypriani* sententia a nobis supra §. 3. laudata non potest habere Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem, ita vicissim *qui non habet Deum patrem, non potest habere Ecclesiam matrem*, *Lib. de unit. Eccl.* Atqui peccatores non habent Deum patrem, de quibus dicitur *Joan. VIII.* 44. *Vos* ex

ex patre diabolo estis : et I. Joan. III. 10. *In hoc sunt manifesti filii Dei, et filii diaboli: omnis qui non est justus non est ex Deo.* Ergo non habent Ecclesiam matrem.

℟. *Dist. maj.* Qui non habet Deum patrem ullo modo, ut sunt schismatici, et haeretici, de quibus loquitur *Cyprianus*, *conc.* Qui non habet Deum patrem perfecto illo modo, qui est per gratiam sanctificantem, *neg. Dist.* etiam *min.* Peccatores non habent Deum patrem per gratiam santificantem, *conc.* Non habent Deum patrem ullo modo, *neg.* Retinent enim adhuc ejus doctrinam, et fidem, et unitatem cum Ecclesia, ex quibus aliquo modo filii dici possunt.

Objic. IV. Ecclesia est sancta. Ergo singula ejus membra sancta sint, oportet. Hinc Beda *in Cap. XXVI. Job.* Ecclesiam vocat *congregationem Sanctorum.*

℟. *Neg. cons.* Ecclesia enim, ut suo loco explicabimus, dicitur Sancta ratione Christi capitis, doctrinae, Sacramentorum, et praecipuorum ejus membrorum; a nobiliori enim parte denominatio sumi potest. Quod autem ait *Beda*, Ecclesiam esse congregationem Sanctorum, eo sensu intelligendum est, quod extra Ecclesiam nemo sit sanctus; nisi saltem voto ad eam aliquo pacto pertineat, ut cathecumeni.

Objic. V. Chrysostomus *Homil. IV. in II. Epist. ad Tim.* docet, Apostolum per *magnum domum*, in qua esse dicit vasa aurea, et fictilia, non intelligere Ecclesiam, sed mundum : *quia*, inquit, *in Ecclesia nullum vult esse vas ligneum, aut fictile.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Nullum vult esse vas ligneum, aut fictile, quasi necessarium Ecclesiae, sicut necessaria sunt in magna domo vasa lignea, et fictilia, *conc.* Nullum omnino, *neg.* Ita seipse explicat *Chrysostomus* paulo post laudata verba : *non itaque*, inquit, *inter necessarias res malitia est.* Mundus autem etiam per malos ex accidenti ornatur. Quod autem S. Doctor, etiam malos esse in Ecclesia, docuerit, patet ex ejus expositione I. in *Psalm. XXXIX. Nec ex perfectis quidem*, inquit, *universa constat Dei Ecclesia, sed habet eos etiam, qui otio, et socordiae se dedunt, mollem-*

demque, et dissolutam vitam amplectuntur, et libenter serviunt voluptatibus.

Objic. VI. Saepe docet *Augustinus*, impios homines, aeque ac haereticos, non esse membra Christi, sed esse extra Ecclesiam; atque inde Donatistas redarguit, eo quod haereticorum rejicerent baptismum, non respuerent vero baptismum scelestorum hominum, cum utrique ad Ecclesiam non pertineant. Sic *Lib. II. cont. Crescon. Cap.* 21. *Etiam*; inquit, *nesciente Ecclesia, propter malam, pollutamque conscientiam damnati a Christo, jam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata. Proinde et ipsi extra Ecclesiam baptizant.* Similia alibi repetit. (*a*) Ergo.

℟. *Dist. ant.* Docet, impios non esse in Ecclesia eo modo, quo Donatistae contendebant, debere aliquem esse membrum Christi, et Ecclesiae, ut *valide* baptizaret, *conc.* Non esse in Ecclesia, nec membra Christi ullo modo, *neg.* Putabant itaque Donatistae, non valere baptismum, nisi minister in Ecclesia sit vivum, ac perfectum Christi membrum, eo quod, inquiebant, nemo potest alteri dare quod ipse non habet. Ex quo sequebatur, non minus haereticorum, quam impiorum rejiciendum esse baptismum. Cum ergo illi haereticorum baptismum rejicerent, impiorum vero retinerent; recte eos argumento *ad hominem* refellit *Augustinus*. Ceterum, peccatores esse in Ecclesia, tam saepe, tam luculenter contra Donatistas docuit, et ostendit, ut absurdum sit vel suspicari, eum in contraria fuisse opinione versatum. Vide Nicolium *De unit. Eccl. Lib. I. Cap.* 1.

Scholium.

Quamvis fidei dogma sit, peccatores esse Ecclesiae partes; quaestio tamen inter Theologos agitatur, utrum proprie dici debeant Ecclesiae *membra.* Multae

(a) *Lib. De unit. Eccl. Cap.* 21. *Tract. VI. in Joan. n.* 12. *Lib. III. De bapt. Cap.* 18., *et alibi.*

tae enim sunt partes corporis, quae membra dici non possunt, ut humores, dentes, pili. *Joannes de Turrecremata, Melchior Canus, Petrus Soto*, aliique docent, peccatores non vere, et proprie dici Ecclesiae membra, laudantque etiam pro hac sententia *S. Thomam*, qui ait, peccatores esse membra *aequivoce in III. Dist.* 13. *q.* 2 *art.* 2. *Quaestiunc.* 2. *ad* 2. Is tamen 3. P. *Summae Q. VIII.* videtur id correxisse. At *Bellarminus*, aliique docent, vere, et proprie dici debere peccatores membra Ecclesiae. alioquin, inquiunt, Pastores iniqui non essent vera Ecclesiae membra, cum tamen ipsi sint capita, h. e membra praecipua.

C A P. V.

De notis verae Ecclesiae.

Adv. I. JAm in primo libro sola ratione naturali contra incredulos demonstravimus, 1°. religionem Christianam divinitus esse institutam a Christo, et per Apostolos longe, lateque in orbe fundatam; 2°. Extra eam religionem nemini fas esse salutem sperare. Ex quibus pronum est colligere, 1°. veram Christi Ecclesiam non posse esse nisi *unam*, quia veritas una est; 2°. non posse esse nisi *Sanctam*, quia Deus nonnisi sanctae religionis potest esse auctor; 3°. non posse esse nisi *Catholicam*, sive *universalem*, quia Deus eam ad omnium hominum salutem fundavit; 4°. non posse esse nisi *Apostolicam*, quia Ecclesia, non fundata ab Apostolis, non potest esse Ecclesia Christi. Hinc etiam ostendimus, solam Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam.

II. At nunc, cum traditionis, et Scripturae veritatem statuerimus, juvat novo molimine rem adgredi, et tribus veluti lucidissimis facibus Scripturae, traditionis, et rationis naturalis exquirere, quaenam sint notae, seu characteres, quibus vera Christi Ecclesia discernatur ab iis, quae falso sibi hoc nomen vindicant, ut tandem contra haereticos omnes con-

clu-

excludamus, eas notas soli Romanae Ecclesiae convenire.

III. *Nota*, seu character verae Ecclesiae debet esse 1.° notior ipsa Ecclesia, ut fatentur Haeretici; 2.° debet uni, et soli verae Ecclesiae convenire. Si unum ex his duobus desit, non potest aliquid constitui tamquam verae Ecclesiae *nota*.

IV. Quod autem revera sint quaedam notae, seu signa verae Ecclesiae, quae ab omnibus facile videri possunt, docet *Augustinus Tract. I. in Joan.* dicens: *possumus digito demonstrare Ecclesiam Christi, et sunt caeci, qui eam non vident*: et persuadet etiam recta ratio; frustra enim Deus veram fundasset Ecclesiam ad omnium hominum salutem, nisi certis notis, et characteribus eam discrevisset a falsis.

V. Quaeritur ergo, quaenam sint verae Ecclesiae notae. Protestantes, aliique Novatores duas statuunt, 1°. veritatem doctrinae, 2°. rectam administrationem sacramentorum, ut constat ex Confessione *Augustana Art. VI. Calvino Lib. IV. Instit. cap. 1. § 10.*, aliisque; quae duae ad unam reduci possunt, nempe ad solam doctrinae veritatem. Catholici e contrario docent, esse quatuor, scilicet eas ipsas, quas principio commemoravimus, nempe, ut Ecclesia sit Una, Sancta, Catholica, et Apostolica.

§. I.

PROPOSITIO

Veritas doctrinae, et legitima Sacramentorum administratio, et usus non sunt nota verae Ecclesiae.

Prob. I. *Nota* debet esse clarior, et notior ipsa re, quam inquirimus. At veritas doctrinae, et legitima Sacramentorum administratio, et usus non sunt notiora, et clariora ipsa Ecclesia, quae inquiritur. Unaquaeque enim secta contendit, se veram tradere doctrinam, recteque administrare Sacramenta. Et ne dicas, per Scripturam cognosci doctrinae veritatem,

quae

quaevis secta profert pro dogmate suo Scripturam. Quomodo ergo inter tot dissidentes haereses cognoscent homines, praesertim rudes, et indocti, quaenam sit vera doctrina, ut inde sciant, quae vera Ecclesia sit? Spiritus Sanctus, inquiunt novatores, revelat cuique, praesertim praedestinato, verum Scripturae sensum, ut inde noscat, eam esse veram Ecclesiam, quae sensum illum amplectitur. Sed praeterquam quod nemo scit, se esse praedestinatum, ut suo loco docebimus, ideoque nemo scit, utrum ipse fallatur; quaevis novatorum societas a Spiritu Sancto se accepisse jactat sensum Scripturarum: Lutherani *ex. gr.* a Spiritu Sancto accepisse se putant sensum verborum, quibus Eucharistia est instituta: Zuingliani, et Calvinistae putant, se a Spiritu Sancto accepisse contrarium. Ergo veritas doctrinae non est notior ipsa Ecclesia, quae inquiritur.

Prob. II. Nota Ecclesiae non debet nisi soli verae Ecclesiae convenire. At sectae Schismaticorum initio schismatis veram doctrinam, et legitimam Sacramentorum administrationem, sive legitimam eorum materiam, ac formam retinere solent, et tamen vera Ecclesia non sunt. Ergo.

Prob. III. Scriptura, et Patres clare docent, non ex veritate doctrinae dignoscendam Ecclesiam, sed ex vera Ecclesia accipiendam esse doctrinae veritatem. Ita Apostolus *Ephes. IV.* 11. docet, divinitus constitutos esse in Ecclesia *Pastores, et doctores, ut non circumferamur omni vento doctrinae.* Et *Tertullianus Lib. de praescript. Cap.* 21. *Quid praedicaverint*, inquit, *Apostoli, quid Christus illis revelarit, et hic praescribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt.* Similia docent *Augustinus Lib. XIII. cont. Faust. cap.* 13. *Irenaeus Lib. III. cap.* 2. aliique.

Prob. IV Si veritas doctrinae constituatur tamquam Ecclesiae nota, lata unicuique patebit via a vera Ecclesia recedendi. Quisque enim nova dogmata producens, eaque verbis Scripturarum, in alienum sensum utcumque tortis, fulciens, calumniari poterit Ecclesiam tamquam verae fidei inimicam.

Tam

Tam longe igitur abest, ut sapientissimus Ecclesiae fundator Deus hanc nobis dederit notam, qua veram Ecclesiam dignoscamus, quin potius haec aptissima esset ratio veram Ecclesiam ignorandi, et obscurandi.

Objic. cum *Molineo*. Nihil cognosci potest, nisi cognoscatur id, quod ad ejus essentiam, et definitionem pertinet. Sed veritas doctrinae pertinet ad definitionem, et naturam Ecclesiae, quam diximus esse *coetum hominum viatorum*, *unius fidei*, utique verae, *professione etc. copulatum*. Ergo non potest cognosci vera Ecclesia, nisi per veritatem doctrinae.

Neg. maj. Multa enim cognoscimus, et discernimus a ceteris, licet eorum nondum cognoscamus, imo et ignoremus essentiam. Sic lupum ab ove, aurum a luto per alias visibiles notas primo aspectu discernimus, licet eorum naturam nondum perspectam habeamus.

Objic. II. Scriptura est notior Ecclesia; quia per ipsam Scripturam probatur Ecclesia. Hinc *Augustinus Lib. de Unit. Eccl. cap.* 3. *Nolo*, inquit, *hominum documentis, sed divinis oraculis Sanctam Ecclesiam demonstrari*: et *cap.* 2. *Ubi sit Ecclesia . . . puto quod potius in illius verbis eam quaerere debeamus, qui veritas est, et optime novit corpus suum.* Imo pressius loquens *Chrisostomus Hom. XLIX. in Matth.* ait: *Qui ergo vult cognoscere, quae sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas?* Ergo.

℟. *Dist. ant. Absolute, et simpliciter, neg. hypotetice*; nempe in hypothesi qua quis agnoscat Scripturam, et nolit agnoscere Ecclesiam, *subdist. Remote*, quatenus Scriptura suppeditat notas, quibus vera Ecclesia dignoscatur, *conc. Proxime*, *Transeat.* Itaque *absolute* Ecclesia notior est Scriptura, tum quia extabat ante Scripturam; tum quia ab Ecclesia discimus, qui sint genuini Scripturarum libri, quos haeretici pro lubito aut rejiciunt, aut mutilant; tum denique quia nonnisi ab Ecclesia discere possumus sensum Scripturae, ubi obscurior est. Sed si quis, Scripturas admittens, Ecclesiam nolit agnoscere, tunc per Scripturam ostendemus ei Ecclesiae veritatem, quia inde discimus notas, quibus vera Eccle-

sia

sia discernitur. Atque id sibi volunt Patres in Objectione citati. Adverte tamen, auctorem *Operis imperfecti in Matthaeum*, in quo opere est laudata *Homil. XLIX.* non esse *Chrysostomum*, cum multa habeat ex libris apocryphis, nonnulla etiam, ut ait *Tournely*, haeretica, et doctrinae *Chrysostomi* contraria.

Objic. III. Symbolum Apostolorum habitum est a Patribus ut tessera, qua fideles ab infidelibus distinguuntur. Ergo doctrina est nota Ecclesiae.

℟. *Dist. ant.* Symbolum est tessera, qua fideles distinguuntur ab infidelibus non Christianis, puta *Judaeis*, *Mahumetanis*, *Idololatris*, *conc.* qua distinguuntur a sectis haereticorum, et schismaticorum, *neg.* Schismatici enim, et plures haeretici retinuerunt Symbolum, ut *Pelagiani*, *Nestoriani etc.* nec tamen erant vera Ecclesia *Christi*.

Objic. IV. Non potest esse vera Ecclesia Christi sine vera doctrina. Ergo veritas doctrinae est ejus nota.

℟. *Neg. cons.* Fatemur in vera Christi Ecclesia veram tradi doctrinam; hine tamen non sequitur; veritatem doctrinae esse ipsius notam, propter rationes supra explicatas.

§. II.

PROPOSITIO.

Notae Ecclesiae quatuor sunt simul sumtae, nempe ut sit Una, Sancta, Catholica, et Apostolica.

Dicimus autem has esse Ecclesiae notas *simul sumtas*; quia si quaelibet seorsim accipiatur, distinguit quidem Ecclesiam *negative*, ut ajunt, h. e. demonstrat, eam societatem, cui vel una ex his quatuor notis deest, non esse veram Ecclesiam, sed non distinguit *positive*, h. e. non certo demonstrat, societatem, cui una, aut altera ex his notis convenit, veram esse Ecclesiam, nisi omnes simul notae conveniant.

Prob. I. Ex Simbolo Nicaeno, et Constantinopolita-

litano Ecclesia ita describitur: *Credo . . . . unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam.* Hae sunt igitur notae, quibus vera Ecclesia discernitur.

Prob. II. ratione initio capitis explicata. Ecclesia a Christo divinitus instituta non potest esse, nisi una, sancta, catholica, et Apostolica: et vicissim Ecclesia, quae simul est una, sancta, catholica, Apostolica non potest esse, nisi illa ipsa, quam Christus divinitus instituit. Ergo quatuor istae notae uni verae Ecclesiae a Christo fundatae conveniunt; aliunde sunt notiores ipsa Ecclesia, quam inquirimus, quia, ut dicemus inferius singillatim eas notas expendentes, sunt characteres unicuique attendenti visibiles. Ergo etc.

Objic. Inter catholicos non convenit, quaenam sint Ecclesiae notae. Etenim *Augustinus Lib. cont. Epist. fundam.* sex ponit notas Ecclesiae: *Hieronymus Dial. cont. Lucif.* duas. Lirinensis *in Common.* tres. Bellarminus *Lib. IV. de Eccl. cap.* 3. quindecim; alii alias.

℟. *Dist. ant.* Et tamen notae ab omnibus positae reduci possunt ad illas quatuor, *conc.* Non possunt ad eas reduci, *neg.* Hinc *Bellarminus* fatetur, quindecim notas, a se fuse explicatas, ad illas quatuor referri posse, quae communiter a recentioribus proponuntur. Nunc quoniam generatim notas verae Ecclesiae statuimus, de singulis seorsim agendum est.

§. III.

De Unitate Ecclesiae.

Adv. I. Tria hic explicanda sunt; 1.° veram Ecclesiam esse unam; 2.° qua in re illa unitas sit ponenda; 3.° cuinam societati congruat unitas, quae est verae Ecclesiae nota.

II. Veram Ecclesiam esse unam, Protestantes fatentur. Licet enim ipsi duplicem fingant Ecclesiam, ut supra docuimus, tamen nomen Ecclesiae vere, et proprie uni justorum collectioni convenire docent. Sed quaerentes, in quo posita sit illa unitas, mirifice

fice a catholicis dissentiunt. Docent enim, praesertim Calvinistae post *Jurium*, Ecclesiae unitatem positam esse in consensione circa articulos fidei fundamentales, ita ut omnes sectae haereticorum, modo in fundamentalibus illis articulis non errent, in unitate Ecclesiae reperiantur, licet implacabile inter se bellum gerant, et se mutuo execrentur, et anathemate percellant. Quo nihil dici poterat absurdius, nosque ex parte supra refutavimus, ostendentes haereticos esse extra Ecclesiam.

PROPOSITIO I.

Vera Christi Ecclesia est una, eaque omnes haereticorum, et schismaticorum sectas excludit, nec extra ipsam salus cuiquam speranda est.
Est dogma Fidei.

Prob. 1a. *pars.* I. ex Scripturis. Ecclesia est Sponsa Christi. At Sponsa Christi una est; nam *Cant. VI.* 8. de ea dicitur: *Una est columba mea, perfecta mea.* Rursus Ecclesia est corpus Christi. At corpus Christi unum est *Ephes. IV.* 4. *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.* Quod et saepe repetit Apostolus, ut *I. Cor. XII.* 12. *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa; omnia autem membra, cum sint multa, unum corpus sunt; ita et Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.* Demum Ecclesia est ovile *Christi.* At *Christi* ovile unum est *Joan. X.* 16. *Fiet unum ovile, et unus Pastor.* Ergo Ecclesia Christi una est.

Prob, II. ex Traditione. Cyprianus *Lib. de Unit. Eccl. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quae in multitudine latius incremento foecunditatis extenditur: quomodo solis multi radii, sed lumen unum: et rami arboris multi, sed robur unum etc.* Et in toto eo libro idem argumentum late prosequitur, et Ecclesiam comparans Arcae Noe, tunicae Christi inconsutili, aliisque figuris, ubique ejus unitatem confirmat.

Tum

Tum sub finem sic ait: *Deus unus est, et Christus unus, et Ecclesia ejus, et fides una, et plebs in solidam corporis unitatem concordiae glutino copulata.* Idem demonstrat Augustinus in libris contra Donatistas (*a*). Ergo etc.

III. Ratio etiam manifesta est. Deus enim unus, et veritas una, nonnisi unam Ecclesiam fundare poterat. Unde *Augustinus Serm. CIII. al. XXVI. de Verbis Dom. Deus unus; Ecclesia una, non respondet uni, nisi unitas.* Ergo.

Prob. 2a. *pars.* I. Ex Scriptura, quae docet, homines haereticos vitandos esse: nullam cum ipsis servandam societatem; ne salutandos quidem, ut supra docuimus. At si omnes haereticorum sectae ad unum Ecclesiae corpus pertinerent; non liceret ipsis societatis officia denegare. Ergo.

Prob. II. Ex constanti Traditione. 1.° *Irenaeus Lib. III. cap.* 4. Ecclesiam omnibus haereticorum sectis opponit: *Apud haereticos, qui fures sunt, et latrones, quaerenda non est veritas, quae in Ecclesia facile invenitur.* At si Ecclesia sectas omnes complecteretur, inepta foret haec antithesis. 2.° *Tertullianus Lib. de Praescript. cap.* 4. haereses comparat Antichristo: *sunt haereses*, inquit, *non minus doctrinarum perversitate Ecclesiam persequentes, quam tum Antichristus persecutionum atrocitate persequetur.* 3.° *Hieronymus Dial. cont. Lucifer.* haereticos omnes vocat *Antichristi Synagogam.* Et ne singulos appellemus Patres, Concilium Nicaenum *Can. VIII.* Novatianos, ad Ecclesiam redire cupientes, per manuum impositionem recipi jubet; quod clare ostendit, eos ante ab Ecclesia fuisse sejunctos. Concilium Constantinopolitanum I. *Can.* 6. de haereticis omnibus sic ait: *Haereticos dicimus et qui olim ab Ecclesia ejecti sunt, et qui sunt postea a nobis anathematizati.* Et Concilium generale V. *Act. V. Si qui se haereticis adjungunt,*

(a) Add. Optatus Mil. *Lib. I.* Clemens Alex. *L. III. Strom.* Origenes *L. I. in Job. etc.*

gunt. a Sancta Dei Ecclesia anathematizantur, et damnantur. Hi Patres, haec Concilia sine ullo discrimine articulorum fundamentalium, et non fundamentalium haereticos omnes, qui dogmata ab Ecclesia definita oppugnabant, anathemate damnarunt. Ergo.

Prob. III. Distinctio articulorum fidei, a Jurio excogitata, non solum Scripturae, quam solam agnoscunt Protestantes ut fidei regulam, verum etiam Patribus omnium saeculorum fuit ignota. Hinc *Cyprianus Epist. LXXIII. Neque enim*, inquit, *Dominus noster aliquam speciem haereseos designavit, sed omnes omnino haereticos . . . adversarios suos esse ostendit . . . nec ipse ullam haeresim, aut schisma discrevit.* Et *Augustinus Enchirid. cap.* 6. *et lib. de Haeres.* Omnes quoscumque haereticos falso, et nomine tenus, appellari docet Christianos. Ergo rejicienda est.

Prob. IV. Ecclesia saepe anathemate perculit haereticos, qui in articulis non fundamentalibus errabant, hoc est qui non errabant circa fidem Trinitatis, et Incarnationis, qui videntur esse fundamentales *Jurii* articuli; licet hucusque non clare explicaverint Protestantes, quid fundamentalium articulorum nomine intelligant. Ergo.

Prob. 3a. *pars*, quae jam *Lib. I. Cap.* 10. demonstrata est contra *Indifferentistas* sola ratione naturali; nunc autem etiam ex Scripturis, et Traditione ostenditur. *Joan.* XV. 6. Christus seipsum comparat viti, homines autem sibi adhaerentes palmitibus. Tum subjicit: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.* At qui sunt extra Ecclesiam, non utique sunt palmites ejus vitis, quae Christus est. 2.° Ecclesia est ovile Christi, ac proinde qui extra Ecclesiam, extra ovile Christi. At si extra hoc ovile salutem consequi possent, frustra Christus semetipsum tradidisset, ut oves suas in ovile unum congregaret. 3.° Ecclesia est corpus Christi; Christus autem est *Salvator corporis ejus. Ephes.* V. 23. Ergo qui extra hoc corpus sunt, a Christo non servantur. Idem probatur ex figuris, quibus Ecclesia adumbratur. Designatur enim, ut alia praetermittamus, per Arcam Noe.

At

At extra Arcam nemo servatus est à diluvio. Ergo nec extra Ecclesiam quisquam salutem consequitur. Hinc Cyprianus *Lib. de Unit. Eccl. Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noë fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadet.*

Prob. II. Ex patribus 1°. *Irenaeus Lib. IV. Cap.* 33. *Judicaturus est*, inquit, *Dominus*, idest damnaturus, *eos omnes, qui sunt extra veritatem, idest qui sunt extra Ecclesiam.* 2°. Augustinus *Serm. ad pleb. coram Emerito: Salutem non potest habere homo, nisi in Ecclesia catholica.* 3°. Fulgentius *Lib. de fide ad Petr. cap.* 39. *Firmissime tene, et nullatenus dubites, quemlibet haereticum, sive schismaticum... si Ecclesiae Catholicae non fuerit aggregatus, quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari.* Patres Concilii Carthaginensis IV. et Cyrtensis id dogma fidei posuerunt ut certum, sicut fuit semper a Patribus habitum. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Apostolus *I. Cor. III.* 11. *et seq. Fundamentum*, inquit, *aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam.... uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Atqui haeretici, non errantes in *fundamentalibus*, aedificant super fundamentum, nempe Christum, in quem credunt, ligna, foenum, stipulam. Ergo, etsi opus eorum ardeat, ipsi tamen salvi erunt, ac proinde ad Ecclesiae unitatem pertinent.

℟. *Neg. min.* Licet enim perdifficilis sit iste locus Apostoli; illud tamen certum est, haereticos quoscumque non superaedificare super Christum: nec per ligna, foenum, stipulam intelligi haereses. Illi enim non superaedificant super Christum, qui Christo non credunt. At tales sunt omnes haeretici, utpote qui

oppugnant aliquem articulum a Christo revelatum, et ab Ecclesia propositum. Hinc ipse Christus ait: *qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Praeterea, quomodo haereses, quae falsae sunt, dici possunt superaedificatae super Christum, qui veritas est? Licet ergo haeretici videantur credere in Christum, aliaque dogmata ab eo revelata retinere, revera tamen fidem amiserunt, et nonnisi humana persuasione tenent, quae credere videntur. *Qui autem non credit jam judicatus est. Joan. III.* 18. *condemnabitur, Marci XVI.* 16. Per ligna ergo, foenum, stipulam intelligenda veniunt vel peccata venialia, ut exponit Augustinus *De fide, et Operib. cap.* 16., *et alibi*, et Gregorius M. *Lib. IV. Dialog.* 1. 34. vel doctrina, non quidem haeretica; haec enim fundamentum destruit, sed plus aequo curiosa, inutilis, vana oblectatione mentes occupans, ut explicant post *S. Thomam Liranus, Cajetanus, Estius. Vide S. Thom. Commentar. in h. l.*

Objic. II. Vera Christi Ecclesia debet esse ubique terrarum dispersa, ut constat tum ex prophetiis, tum ex ipsa naturali ratione. Ecclesia enim, pro omnium hominum salute divinitus instituta, omnia terrarum loca occupare debet; nisi Deum facere velimus aut personarum acceptorem, aut crudelem. Atqui talis non esset Ecclesia, nisi omnes sectas sinu suo exciperet, et contineret, saltem eas, quae fundamentalia dogmata non evertunt. Ergo.

℟. *Conc. maj.* sed nego rationem pro ea allatam; non enim personarum acceptor, nec crudelis, sed justus esset Deus, si vellet omnes homines in peccato suo deserere, et damnare. Quod ergo nolit omnes perdere, sed aliquos servare, misericordiae ejus est: quod autem *Petrum* salvet, *Neronem* deserat, pertinet hoc ad inscrutabilia judicia ejus. Igitur, *concessa majore, neg. min.* 1°. Quia licet Ecclesia sectas omnes excludat; tamen ubicumque sunt haereticorum sectae, ibidem catholici permixti sunt; ideoque si Ecclesia sectas omnes comprehenderet, esset quidem numero plenior, sed non esset diffusa latius. 2°. Quia quicumque in omnibus sectis baptizantur

tur infantes, ii verae Ecclesiae inseruntur, et in ea permanent, donec ad aetatem adultam pervenientes, voluntarie adhaerent haeresi, in qua nati sunt. 3°. Quia licet non eodem tempore, tamen *successive* per omnes orbis partes Ecclesia pervagata est; quod sufficit, ut nemo eam ignorare possit.

Alias objectiones supra dissolvimus, cum probavimus, haereticos esse extra Ecclesiam.

PROPOSITIO II.

Non solum unitas fidei, sed etiam unitas regiminis Ecclesiastici requiritur, et sufficit, ut Unitas sit nota Ecclesiae.

Prob. Requiri unitatem fidei, jam in prima propositione demonstratum est.

Prob. 2. *pars.* Christus *Joan. X.* 16. unitatem Ecclesiae constituit in unitate pastoris; *Fiet unum ovile, et unus pastor.* Et Apostolus I. *Cor. XII.* 12. unitatem Ecclesiae comparat cum unitate humani corporis ex multis membris compositi. Atqui multa membra ideo unum corpus componunt, quia omnia inter se per omnem juncturam connexa, uni capiti subsunt, a quo reguntur, et moventur. Eamdem regiminis unitatem in veteri Ecclesia, nempe in Synagoga constituit Deus. Ergo etc.

Prob. II. ex Traditione. Patres omnes in eo Ecclesiae constituunt unitatem, quod unica in ea sit *cathedra*, quo nomine doctrina simul, et regimen intelligitur. *Cyprianus Lib. de Unit. Eccl. Ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.* 2°. Optatus Milevitanus *Lib. II cont. Parmenian. In qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas unusquisque defenderent, ut jam schismaticus, et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram constitueret.* 3°. *Hieronymus cont. Jovin. Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio.*

Prob. III. ratione Augustini *Serm. CIII. al. XXVI. De*

De verbis Dom. Non potest, inquit, *fieri, ut Ecclesia sit una, nisi isti multi, qui recte credunt, in unitatem quandam Ecclesiastici corporis coalescant. Da ergo unum, et populus est, tolle unum, et turba est, quid enim est turba, nisi multitudo turbata? Hanc vero fidelium sic cohaerentium unitatem charitas facit, quae eo ipso laeditur, et corpus laceratur, quo membra pertinaciter incipiunt vel diversa credere; vel eadem credendo, seorsim ab illo toto separata sibi conventicula constituere: illud haeresis, quae sine schismate esse non potest; hoc proprie dictum schisma facit.* Ergo.

Prob. 3. *pars.* Illa unitas sufficit, in qua sunt duae conditiones, quas supra diximus requiri ad constituendam Ecclesiae notam, nempe ut sit notior re quaesita, et illi soli conveniat. Atqui, licet Ecclesiae unitas multis ex capitibus oriatur, scilicet 1°. ab unitate Christi capitis: 2°. ab unitate auctoris, nempe Dei: 3°. ab unitate finis, nempe spei aeternae salutis: 4°. ab unitate Spiritus, qui Ecclesiam vivificat, et regit: 5°. ab unitate fidei, et sacramentorum: 6°. ab unitate regiminis; sola tamen fidei, et regiminis unitas habet conditiones duas supra requisitas. Nam 1°. haec sola visibilis est, reliqua videri non possunt. 2°. Vera Christi Ecclesia hac fidei, et regiminis unitate carere non potest; et vicissim haec fidei, et regiminis unitas, si cum aliis notis conjuncta sit non potest nisi soli verae Ecclesiae convenire. Ergo sola unitas fidei, et regiminis sufficit ad adstruendam hanc Ecclesiae notam.

Corollarium.

Ergo Ecclesia illa interior, invisibilis, quam Protestantes, aliique novatores fingunt compositam ex solis justis per varias sectas dispersis, fictitia est. Patres enim in vera Christi Ecclesia requirunt unitatem tum fidei, tum regiminis Ecclesiastici. At illa Ecclesia interior, et invisibilis neutram habet unitatem.

PRO-

PROPOSITIO III.

Protestantium, aliorumque Novatorum societates non habent eam unitatem, quae est verae Ecclesiae nota: Imo ipsi manifesti schismatis convincuntur.

Prob. Unitas illa duabus in rebus sita est, ut paulo ante diximus, in unitate scilicet fidei, et regiminis. Atqui Protestantium societates neutram habent. 1°. Non habent unitatem fidei, si enim omnes simul sectas accipias *Lutheranos*, *Calvinistas*, *Zwinglianos*, *Arminianos*, *Gomaristas*, *Presbyterianos*, *etc.* incredibilis est inter eos in rebus gravissimis varietas opinionum, ut patet non ex privatis eorum scriptis, in quibus fere tot sententiae sunt, quot capita, sed ex publicis fidei professionibus, quas hucusque ediderunt, quasque simul edidere fratres *Chovet* Genevae anno 1612. Si vero singulas seorsim sectas sumas; tanta est dogmatum inconstantia, et varietas, ut unaquaeque secta varias variis temporibus fidei professiones composuerit, ut egregie prosequitur *Bossuet in Histor. Variat.* imo vero singuli suam fidem habere videantur, cum praecipuum dogma apud ipsos invaluerit, solam Scripturam esse fidei regulam, et privatum uniuscujusque spiritum esse ejus interpretem. Porro haec doctrinae varietas est de articulis fidei *fundamentalibus*, ut *ex. gr.* de *praesentia reali* corporis Christi in Eucharistia, quod dogma adeo capitale est, ut ipsi omnes hucusque vires intenderint, quo secum hac in parte convenirent, quod fieri non potuit; imo Calvinistae propter hanc fidem catholicos appellent *idololatras*.

2°. Non habent etiam unitatem regiminis. Si enim omnes sectas simul accipias, patet, nullam inter eas esse societatem, cum se mutuo execrentur. Si vero singulas seorsim accipias, manifestum est, unamquamque sectam in varias partes pro variis regnis, et rebuspublicis esse divisam; nec unam partem cum altera esse connexam, ut unum ex omnibus fiat corpus.

pus. Imo cum ipsi Protestantes doceant, religionem esse sub omnimoda Principum potestate, ut contendit *Pufendorfius Lib. de habitu relig. Christ. Buddeus Theol. Moral. P.* 2. *cap.* 3. aliique passim; hinc factum est, ut eorum societates, variis principibus mancipatae, varia constituerint corpora a se mutuo sejuncta. Ergo cum Protestantium societates non habeant unitatem fidei, nec unitatem regiminis, patet, eas carere unitate illa, quae nota est verae Ecclesiae.

Prob. 2. *pars*, Illi sunt rei manifesti schismatis, qui manifesta rebellione ab unitate verae Ecclesiae recesserunt. Atqui tales sunt Protestantes ac Novatores omnes. Ipsi enim recesserunt ab Ecclesia Romana, nec alteri se Ecclesiae adjunxerunt, sed constituerunt novam. Quo posito: aut Ecclesia Romana eo tempore erat vera Ecclesia, aut aliqua altera. At Novatores a Romana Ecclesia recedentes, nullius alterius Ecclesiae communioni se adjunxerunt. Ergo manifeste sejuncti sunt ab unitate verae Ecclesiae, sive haec erat Ecclesia Romana, sive quaecumque alia.

Prob. II. Illi sunt manifeste schismatici, quorum Pastores manifeste in ministerium irruperunt sine ulla *missione*. Nam missionem necessariam esse statuit Apostolus *Heb. V.* 4. *Nemo sumit sibi honorem*, inquit, *sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*: idque suadet recta ratio: alioquin enim cunctis impostoribus pateret aditus: nec ipsi adversarii diffitentur. At Protestantium aliorumque Novatorum Pastores *Lutherus*, *Calvinus*, *Zwinglius etc.* sine ulla missione in sacrum ministerium irruperunt. Si enim missionem habuissent, ea vel fuisset ordinaria, vel extraordinaria. Sed neutram habuerunt. 1°. non habuere ordinariam; hanc enim vel ab Ecclesia Romana, vel ab aliqua alia Ecclesia habere debuissent. At non eam habuerunt ab Ecclesia Romana; tum quia haec illos anathemate perculit, tum quia juxta illos non erat vera Ecclesia, ac proinde non poterat dare alteri missionem, quam nec ipsa habebat. Nec habuerunt ab aliqua alia Ecclesia; quia nulli alteri Ecclesiae se adjun-

junxerunt. Ergo ordinariam missionem nullo pacto habuerunt.

2°. Nec habuere missionem extraordinariam, scilicet *immediate* a Deo. Missio enim extraordinaria miraculis, et prophetiis probanda est, ut in primo Libro ostendimus. Hinc *Tertullianus* : *Nemo*, inquit, *veniens ex alterius auctoritate, ipse eam sibi ex sua affirmatione defendit. Lib. III. cont. Marcion. cap.* 2. et in libro *de Praescript.* hoc argumento omnium haereticorum ora obstruit : *Volo igitur*, inquit, *eorum virtutes* (*a*) *proferri. Sic enim Deus solet Apostolos facere, dare illis virtutem eadem signa edendi, quae et ipse. De praescript. cap.* 30. Atqui Protestantes, aliique Novatores nulla adhuc patrare potuerunt miracula. Ergo nec ordinariam, nec extraordinariam missionem habuerunt, ac proinde manifesti schismatis rei sunt; et tantum abest, ut habeant unitatem, quae est nota verae Ecclesiae, quin potius ipsi ab unitate verae Ecclesiae discesserunt (*b*).

Objic. Lutherus legitimam praedicandi missionem ab Romana Ecclesia habuerat. Cum enim Regulares jamdiu a S. Pontificibus privilegium haberent praedicandi, etiam inconsultis Episcopis, ipse vero a *Joanne Staupitio* Superiore suo ad praedicandum fuisset incitatus, nihil ei ad legitimam missionem videtur defuisse. Idem de *Zwinglio* dicas, qui Pastoris munere fungebatur, ideoque ei praedicandi officium negari non poterat. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Habuerunt isti ab Ecclesia munus praedicandi doctrinam Ecclesiae Romanae, *conc.* Praedicandi secessionem ab Ecclesia, novamque instituendi societatem, nova dogmata, quae jam olim ab Ecclesia damnata erant, mores novos, novum Sacerdotium, idque etiam postquam Ecclesia omnem iis, si quam habebant, praedicandi potestatem et praeceptis, et excommunicatione ademit, *neg.*

PRO-

(a) h. e. miracula.

(b) Vide aureum opus D. Nicole *Prejuges legitimes* et *Les pretendus Reformés convaincus de schisme* : item D. Perron *De la Mission.*

PROPOSITIO IV.

Ecclesia Romana habet unitatem, quae est verae Ecclesiae nota.

Prob. Unitas haec duo complectitur, doctrinam, et regimen. At Ecclesia Romana utramque unitatem habet. 1°. Habet doctrinae unitatem. Cum enim Ecclesiae doctrina non ex privatorum scriptis, sed ex publicis ipsius Ecclesiae definitionibus sit petenda; manifestum est, omnia Romanae Ecclesiae membra eandem doctrinam tenere; si quis enim talibus definitionibus contradicit, jam ab Ecclesia Romana est excommunicatus, et expulsus.

2°. Habet etiam unitatem regiminis. Omnes enim fideles subjecti sunt parochis (vel Episcopis, ubi parochia nulla esse potest) parochi Episcopis; hi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, Patriarchae Romano Pontifici. Itaque totum Romanae Ecclesiae corpus, licet longe, lateque per universum orbem dispersum, tamen compactum, et connexum est *per omnem juncturam subministrationis.* Ergo cum Ecclesia Romana habeat unitatem fidei, et regiminis, habet utique unitatem illam, quae verae Ecclesiae nota est.

Objic. In ipsa Romana Ecclesia mira est, pro Scholarum varietate, Theologorum dissensio. *Thomistae*, *Scotistae*, *Augustiniani*, *Molinistae*, *Congruistae*, *Eclectici*, varia docent, imo aliquando unius scholae Theologi alterius scholae adversarios violatae integritatis fidei accusant ut *ex. gr.* Thomistae in *Congregationibus de Auxiliis* Molinistas tanquam Pelagianos accusabant; hi vero, ut Thomistis vicem rependerent, eos *Calvinismi* insimularunt. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Est dissensio in rebus fidei, sive ab Ecclesia definitis, *neg.* In rebus nondum definitis, et quae, salva fide, qua Christiani sumus, disputari possunt, *subdist.* Est dissensio, sed cum debita animi praeparatione obediendi judicio Ecclesiae, quam omnes agnoscunt ut supremum judicem controversiarum,

rum; *conc.* secus *neg.* Itaque doctrina Ecclesiae non ex privatorum opinionibus, sed ex publicis Ecclesiae judiciis, ut paulo ante diximus, petenda est, quae judicia in tantam conspirant unitatem, ut nullum reperiatur alteri contrarium. Sed ante Ecclesiae definitionem licet Doctoribus varie opinari, modo tamen adversariis nullam censuram impingant, nisi forte arguendi gratia, ut faciebant Thomistae in *Congregationibus de Auxiliis* antequam *Paulus V.* id in ea causa vetaret.

At in Protestantium aliorumque Novatorum societatibus contra accidit, cum enim ibi quisque privatus sit supremus controversiarum judex, merito iis etiam privatorum dissidia, quae ex eo principio ortum habent, objicerentur. Sed nos id non facimus, cum habeamus publicas eorum fidei professiones maxime discordes, et secum contrarias.

PROPOSITIO V.

Orientalium societates, a Romana Ecclesia sejunctae, unitatem non habent: imo schismaticae sunt.

Prob. Eae societates vel sunt haereticorum, a Constantinopolitano Patriarcha sejunctorum, puta *Nestorianorum*, *Jacobitarum. etc.* vel sunt Graecorum, Patriarchae Constantinopolitano adhaerentium. At neutrae unitatem habent. Non priores; sectae enim illae jam olim ab unitate Ecclesiastica excommunicatae, et resectae sunt a Conciliis Oecumenicis ejus Ecclesiae, quam ipsi haeretici ante suum schisma ut veram Ecclesiam agnoscebant.

Sed nec posteriores. Illi enim aperti schismatis revincuntur, qui discesserunt, et quidem sine causa; ab unitate ejus Ecclesiae, quam ipsi, omnibus saeculis ante schisma, ut centrum unitatis agnoverant, imo ut talem agnoscebant eo ipso tempore, quo ab ea recedebant. Atqui tales sunt illae Graecorum societates. Constat enim 1°. Graecos ante *Photium* per octo saecula agnovisse Romanam Ecclesiam ut centrum unitatis: 2°. *Photium*, qui primus fuit auctor di-

discessionis, viventem *Ignatium* Episcopum Constantinopolitanum e sede sua expulisse, ejusque locum occupasse; 3°. Eundem *Photium*, cum non potuisset a *Nicolao* I. Romano Pontifice, quem ut centrum unitatis agnoscebat, impetrare suam in Episcopatu confirmationem, indicto conciliabulo, ab ejus communione recessisse.

Illud etiam constat, Graecos sine ulla causa secessionem fecisse a Romana Ecclesia; tum quia Patres semper schisma ut maximum malum habuerunt; unde *Augustinus Lib. II. cont. Epist. Parmen. Cap.* 11. *praescindendae*, inquit, *unitatis nulla est justa necessitas*; tum quia caussae, quas Graeci obtendebant, erant vel res ad disciplinam pertinentes, ut *ex. gr.* quod Latini Sabato jejunarent, quod Eucharistiam in azymo conficerent etc. vel merae calumniae, ut *ex. gr.* quod aqua pro chrismate uterentur; vel res laudabiles, quas Graeci imitari potius, quam reprehendere debuissent, ut *ex. gr.* quod continentiam Sacerdotibus imponerent, quod Spiritum S. a Patre, Filioque procedere profiterentur.

Accedit, quod in tribus Oecumenicis Conciliis, nempe Constantinopolitano IV. Lugdunensi II. et Florentino, ipsimet Graeci Episcopi professi sunt, Romanam Ecclesiam esse unitatis centrum, a qua discesserant; et cum ea ter in gratiam restituti, conjunctique sunt, sed ter iterum aperte rebellarunt. Ergo tantum abest, ut Orientalium societates, a Rom. Ecclesia disjunctae, unitatem habeant, quin potius manifesti schismatis revincantur (a).

Corollarium.

Ergo cum nulla alia societas, praeter Romanam Ecclesiam, habeat unitatem, quae est verae Ecclesiae nota, sequitur, nullam aliam esse posse veram Ec-

(a) Vide Le Quien *Panoplia adversus Graecos.*

Ecclesiam. Nam, ut supra diximus, nulla societas, cui deest vel una ex quatuor recensitis Ecclesiae notis, vera Ecclesia esse potest.

§. IV.

De Sanctitate Ecclesiae.

Adv. In hoc etiam articulo tria quaerimus 1°. utrum sanctitas sit nota verae Ecclesiae: 2°. in quo sita sit; 3°. qui societati conveniat.

PROPOSITIO I.

Ecclesiam Christi esse sanctam, est dogma fidei, ideoque sanctitas est nota verae Eccclesiae

Prob. *Ephes V.* 25. ait Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut eam sanctificaret.* Et alibi *Hebr. XIII.* 12. *Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Et Petrus *I. Epist. II.* 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Imo ipse Christus *Joan. XVII.* 19. *Pro eis*, inquit, *sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* Ergo societas, cui sanctitas non convenit, vera Christi Ecclesia esse non potest, aliunde vera sanctitas non potest esse, nisi in vera Ecclesia. Ergo.

PROPOSITIO II.

Sanctitas, quae est nota Ecclesiae, non in eo sita est, ut nullam habeat maculam, nec ut omnia membra habeat sancta, sed in sanctitate professionis, et praecipuorum ejus membrorum.

Prob. 1. *pars.* Quamdiu hanc mortalem vitam vivimus ad omnes homines, quamvis sanctos, pertinet illud Joannis *I. Epist. cap. I.* 8. *Si dixerimus, quia pec-*

peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est; ut fuse docebimus *Lib. VII.* ubi dicemus de Gratia. Ergo.

Prob. 2. *pars.* Ecclesia militans complectitur bonos, et malos, sicut area frumentum, et paleas, ut supra contra Donatistas, et Protestantes, aliosque Novatores ostendimus. Ergo.

Prob. 3. *pars.* Illa sanctitas requiritur, et sufficit, quae est notior ipsa Ecclesia, et cuique visibilis, nec potest alteri, nisi verae Ecclesiae convenire, si quidem cum aliis conjuncta sit. Atqui sanctitas professionis, et praecipuorum membrorum talis est; 1°. sanctitas professionis facile ab omnibus cognosci potest: quisquis enim attendit ad societatis alicujus finem, praecepta dogmatica, et moralia, statim cognoscet, utrum professio ejus sanctitati adversetur; 2°. sanctitas plurium membrorum, licet ipsa per se conspici non possit, cum sit interior, tamen per opera ipsa in nonnullis saltem Ecclesiae membris extrinsecus se prodit; unde Christus *Matth. VII.* 20 *Ex fructibus*, inquit, *eorum cognoscetis eos.* Aliunde si vera sanctitas extra veram Ecclesiam esse posset, frustra Deus veram Ecclesiam Christi sanguine fundasset. Ergo sanctitas professionis, et praecipuorum membrorum requiritur, et sufficit ad constituendam Ecclesiae notam.

Scholion.

Licet Ecclesia sancta sit non solum ob sanctitatem professionis, et plurium ejus membrorum, verum etiam, imo et praecipue ob sanctitatem capitis Christi, et Spiritus, qui ab ipso capite in omnia membra diffunditur secundum *operationem in mensuram uniuscujusque membri*, aliis tribuens gratiam sanctificantem, aliis perseverantiae donum, omnibus fidem; tamen cum haec sanctitas, et spiritus diffusio non sit visibilis, nisi in effectibus, scilicet operibus membrorum, qui ab hoc Spiritu aguntur; ideo ad notam Ecclesiae sufficere diximus sanctitatem professionis, et plurium membrorum.

PRO-

PROPOSITIO III.

Neque Protestantium, aliorumque Novatorum, neque Orientalium societates a Romana Ecclesia sejunctae eam habent sanctitatem, quae est verae Ecclesiae nota.

Prob. I. Illae societates manifestum schisma profitentur, ut supra docuimus. Atqui schisma maximum malum est, ut passim Patres docent. Vide *Cyprianum de Unit. Ecclesiae*, et *Augustinum* in libris contra Donatistas. Ergo eorum professio sancta non est.

Prob. II. de sectis Protestantium, aliorumque Novatorum speciatim. Illae societates non habent sanctitatem, quae profitentur dogmata impia, et praecepta bonis moribus adversa. At tales sunt Novatorum societates. Docent enim, Deum praedestinare homines ad malum, esse causam peccati, non minus esse opus Dei proditionem Judae, quam conversionem Pauli, divina praecepta esse impossibilia, singula opera; etiam bona, justorum esse peccata, justitiam semel acceptam amitti non posse, non esse invocandos Sanctos, non jejunandum, non observanda vota; et quis omnia enumeret errorum portenta partim in veteribus haereticis jam damnata, partim recens ab ipsis inventa?

Ergo cum Novatorum, et Orientalium societates professionem sanctam non habeant, et ab unitate Ecclesiae discesserint; merito quidem ipsis objicimus vitia, scelera, et probra plurium membrorum suorum, praesertim fundatorum, ut *Lutheri*, *Zvvinglii*, *Calvini*, quos constat, non fuisse sanctos, sed impios, et scelestos, in reprobum sensum traditos; ea enim vitia a professione ipsa mala oriuntur. Quae cum dolore commemoramus, non ut ipsis insultemus, sed ut tandem oculos aperiant. E contrario, si quae in nonnullis apparent bona opera, ea non possunt esse verae sanctitatis signa, sicut nec quaedam opera infidelium *ex objecto* bona. Hinc Augustinus, *Epist. CXLI. al. CLII. Quisquis*, inquit, *a catholica Ecclesia fue-*

fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habet vitam, sed ira Dei manet super eum.

PROPOSITIO IV.

Ecclesia Romana eam Sanctitatem habet, quae est verae Ecclesiae nota.

Prob. I. Ecclesia Romana habet sanctitatem tum professionis, tum praecipuorum ejus membrorum 1.° Habet sanctitatem professionis, finis enim ejus est, ut abjectis diaboli nequitiis, et saecularibus desideriis, Deo ex toto corde serviamus, et placeamus, eique perpetua charitate conjungamur. Adjumenta vero ad hunc finem habet sanctissima, praecepta scilicet dogmatica, et moralia: dogmatica quidem, quia nihil proponit credendum, nisi quod in Scriptura, et perpetua Sanctorum Patrum traditione continetur: moralia vero, quia quidquid praecipit eo spectat, ut vitia vel minima caveamus, et virtutes omnes excolamus. Sanctum habet sacrificium, sacramenta sancta, sanctas solemnitates.

2.° Habet etiam membra sanctitate illustria: primo ejus fundatores, Apostolos scilicet, Apostolicos viros, aliosque sanctitate, miraculis, martyrio celeberrimos; ejus enim hodierni Pastores, ut infra docebimus, perpetua serie talibus viris succedunt. Post hos innumerabilem multitudinem sanctissimorum hominum in sua communione defunctorum, *Athanasios*, *Basilios*, *Gregorios*, *Ambrosios*, *Augustinos*, aliosque innumeros martyres, virgines, confessores, quos ipsi Protestantes vel inviti admirantur, nec ulla vitii alicujus calumnia labefactare queunt. Neque hi fuere tantum antiquitus, sed eorum perpetua series ad nostra usque tempora, etiam post schisma Protestantium, decurrit, ut legendo vitas, et acta sanctorum quilibet saltem ex parte potest cognoscere.

Fuerunt etiam in Ecclesia Romana novissimis temporibus viri Apostolici, qui religionem Christianam prae-

praedicatione, et sanguine in India, America, et remotissimis regionibus propagarunt. Fuerunt, innumeri in sanctorum numerum relati, post rigidissimum examen virtutum, et miraculorum, quae in confirmationem falsae sanctitatis fieri non possunt. Adde societates, sodalitia, congregationes tum virorum, tum mulierum, ad omnia virtutum genera excolenda, a viris sanctissimis institutas, in quibus semper homines Evangelica perfectione illustres floruerunt, et florent.

Prob. II. Est aliqua hodie in terris vera Ecclesia, quae habeat spiritum sanctitatis, qui nascenti Ecclesiae datus est, ut in ea maneret in aeternum. Atqui talis non est ulla societas sejuncta a Romana Ecclesia, ut in *Prop. II.* demonstravimus, sed talis est Ecclesia Romana, quae perpetua serie, ut infra docebimus, est eadem illa, cui Spiritus S. datus est. Ergo, etc.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. In Ecclesia Romana plures sunt mali, quam boni. Inter ipsos R. Pontifices multi numerantur pessimi, quorum longam seriem Protestantes ediderunt. Ergo potius dici deberet mala, quam sancta.

℟. *Transeat ant. neg. cons..* Dixi *transeat* antecedens, quia cum ad Ecclesiam pertineant omnes infantes in omnibus etiam haereticorum sectis baptizati, qui utique sancti sunt; profecto si iis adjungantur etiam sancti, qui in adulta aetate sunt in Ecclesia Romana, fortasse major numerus exurget sanctorum, quam malorum. Sed licet concedatur, majorem esse malorum numerum, non sequitur, Ecclesiam dici posse malam. Denominatio enim a nobiliori parte deducitur, sicut civitas dicitur dives a multis, qui in ea locupletes sunt, licet major sit numerus egenorum, praesertim cum professio ipsa sancta sit. A qua professione si qui Pontifices recesserunt (quod de nonnullis fatemur, de aliis haereticorum calumniam esse dicimus) ipsi quidem sibi nocuerunt, aliisque pri-

privatis, at Ecclesiae sanctitatem adimere non poterant.

Objic. II. Ipsa Ecclesia in Conciliis Oecumenicis ingenue professa est, se indigere reformatione, ut in Concilio Lateranensi IV. Constantiensi, Basileensi. Ergo ejus professio sancta non est.

℟. *Dist. ant.* Professa est, se indigere reformatione in iis, quae pertinent ad dogmata fidei, et morum, *neg.* In iis, quae pertinent ad disciplinam, *subdist.* quia ipsa Ecclesia approbaverat antea disciplinam intrinsecus malam, *neg.* quia a privatis introducti fuerant abusus, quos Ecclesia corrigi exoptat, pro temporum tamen opportunitate, *conc.* Responsio patet ex ipsa distinctione.

Objic. III. In Ecclesia Romana multi *Casuistae* impune docent *Probabilismum*, et innumera errorum portenta contra bonos mores. *Contensonus* enim excurrens per omnia praecepta Decalogi demonstrat, nullum esse, quod non fuerit perversis nonnullorum Casuistarum doctrinis labefactatum. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Doctrina enim Ecclesiae non a privatorum scriptis, sed a publicis ipsius Ecclesiae judiciis petenda est. Falsas autem Casuistarum doctrinas Ecclesia non probat, sed vel jam damnavit, vel pro temporum opportunitate damnatura est.

§. V.

De Ecclesiae Catholicitate.

Adv. I. Tria quoque in hoc articulo disputabimus. 1.° utrum *catholicitas*, ut ajunt, sit Ecclesiae nota. 2°. in quo sita sit. 3.° Cui societati conveniat.

II. *Catholicum* καθολικον Graeci dicunt quod est *universale*. Catholica igitur Ecclesia idem est, ac Ecclesia universalis. In quo autem sita sit haec Ecclesiae universitas, dissentiunt a Catholicis novatores. Volunt enim isti, Ecclesiam ideo dumtaxat dici universalem, quia non est ad unius gentis salutem instituta, ut olim Synagoga, sed ad salutem omnium hominum, ita ut omnes sanctos sinu suo com-

ple-

plectatur, et nemo extra illam salvus esse possit. Cumq. haec Ecclesiae proprietas non sit diversa ab Ecclesiae unitate, nec sit visibilis, nec notior ipsa Ecclesia, sequitur, apud illos *catholicitatem* non esse Ecclesiae notam.

III. Contra Catholici, licet concedant, Ecclesiam esse etiam eo sensu universalem, quia ad omnes gentes, ad omnia tempora, ad omnia dogmata se extendat; contendunt tamen, eo praecipue sensu Ecclesiam esse catholicam, quod cum una sit, tamen *moraliter* per universum orbem sit diffusa, unde Pacianus *Epist. I. ad Simpronian.* catholicum interpretatur *ubique unum*: atque hanc diffusionem, moraliter universalem, dicunt esse verae Ecclesiae notam.

PROPOSITIO I.

Veram Christi Ecclesiam esse catholicam, est dogma fidei; ideoque Catholicitas est verae Ecclesiae nota.

Prob. I. In veteris Testamenti prophetiis Ecclesia Christi praedicitur eo sensu universalis. Promisit enim Deus Abrahae *Genes. XXII.* 18. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, quae promissio rursus Isaac, et Jacob facta est *Genes. XXVI. et XXVIII.* Hoc autem *semen* esse Christum docet Apostolus *Galat. III.* 16. Et Isaias *Cap. XLIX.* 8. de Christo haec clare vaticinatur: *Et dixit Dominus: parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et faeces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* Et clarius etiam Malachias *Cap. I.* 11. *Ab ortu solis usque ad occasum sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus.* Idem saepe repetitur in Psalmis, ut *Ps. II. Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* Ipse Christus idem praedicit *Luc. XXIV.* 46. et *Act. I.* 8. Ergo illa societas, quae hanc universitatem, quae praedicta est a Prophetis, per totum orbem non habet, non potest esse Ecclesia Christi. Et vicissim illa societas,

quae eam habet universitatem, si quidem alias etiam tres notas habeat; non potest non esse vera Christi Ecclesia; ac proinde *Catholicitas* eo sensu explicata est nota verae Ecclesiae. Legendus est *Augustinus*, qui fuse ex Scripturis de hac re pertractat in Libro *de Unit. Eccl.* contra Donatistas.

Prob. II. Patres ita constanter docent, catholicitatem, nostro sensu acceptam, esse Ecclesiae notam, ut inde probent contra haereticos, et schismaticos, eorum societates veram Christi Ecclesiam non esse. Duos commemorasse sufficiat. Optatus Milevitanus *Lib. II. cont. Parmenian. Si apud vos*, inquit, *tantummodo Ecclesiam esse vultis; apud nos non erit, nec in Hispania, in Italia, in Gallia, in Graecia, nec per tot innumerabiles insulas, et ceteras provincias, ubi vos non estis. Ubi ergo proprietas catholici nominis? cum inde Ecclesia dicta sit catholica, quod sit ubique diffusa.* Et Augustinus *Tract. III. in Epist. Joan. Tenemus haereditatem Christi*: *illi* haeretici *eam non tenent; non enim communicant orbi terrarum; non communicant universitati redemtae sanguine Christi.* Idem alibi repetit; et ex professo tractat *Lib. de Unit. Eccl. cap. 6. et seqq.* Ergo etc.

Objectiones solvuntur.

Objic. I. Ecclesia in sui exordio catholica non fuit in sensu exposito; quia angustis Jerosolymorum limitibus continebatur, cum Apostoli praedicare coeperunt, et tamen erat vera Christi Ecclesia. Ergo *catholicitas* non est verae Ecclesiae nota in sensu superius explicato.

℟. *Neg. cons.* Cum enim ex Prophetiis lumen Evangelii ab Jerusalem in omnes gentes diffundendum esset, *quia de Sion*, ait Isaias, *exibit Lex, et verbum Domini de Jerusalem*; sequitur, eam non potuisse uno ictu oculi universitatem illam obtinere, sed sufficit, ut brevissimo tempore obtinuerit. Nam Paulus adhuc vivens scribit ad Colossenses I. 7. *Pervenit ad vos ver-*

verbum veritatis Evangelii, *sicut in universo orbe*, *et fructificat*, *et crescit*, *sicut in vobis*.

Inst. Nota non potest a re notata divelli. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Si oriatur ab ipsa rei natura, *conc.* ita est unitas, Sanctitas, *Apostolicitas* Ecclesiae. Si oriatur a libera Dei voluntate, *neg.* Porro Deus ita voluit, Ecclesiam esse catholicam, ut a parvis initiis inciperet. Accedit, quod nota *catholicitatis* Ecclesiae divinitus data est, ut eam non tam a paganis, qui, nascente Ecclesia, per orbem universum diffusi erant, quam a sectis haereticorum distinguat. Porro cum Apostoli Hierosolymis praedicare coeperunt, haeretici erant nulli. Cum autem haeretici in aliquibus terrarum angulis prodire inceperunt, jam Ecclesia totum orbem, teste Apostolo, pervagata erat.

PROPOSITIO II.

Nulla Societas a Romana Ecclesia divisa est catholica.

Prob. Eae societates vel sunt Protestantium, aliorumque Novatorum, vel Graecorum, aliorumque Orientalium. Atqui neutrae dici possunt catholicae. Non Protestantium aliorumque Novatorum. Si enim singulas eorum sectas accipias, *Anglicanos*, *Calvinistas*, *Zvvinglianos*, *Lutheranos*, constat, eas exiguam Europae partem occupare. Sin omnes simul velis accipere, licet tunc non efficiant corpus unum, ac proinde ridicule dicerentur catholicae, cum una secta alteram excludat; tamen neq.. sic sumtae catholicae dici possunt. Etenim in Occidente quidem notae sunt; in Oriente toto non cognoscuntur, nisi forte ut sectae haereticorum occidentalium.

Neque Orientalium societates catholicae dici possunt. Si enim singulas seorsim haereticorum sectas, puta *Nestorianorum*, *Eutychianorum etc.* accipias, manifestum est, eas angustissimis quarumdam provinciarum Asianarum limitibus coërceri. Si vero sumere velis Graecos omnes schismaticos, Patriarchae Constantinopolitano subjectos; nonnisi impudenter ea-

catholicae Ecclesiae vocabulum iis attribues. Non solum enim in Oriente ipso a Mahumetanis Tyrannis in angustos redacti sunt terminos, sed etiam nullam habent in Africa, nullam in America Ecclesiam, paucas in Europa. Ergo cum neque Protestantes, neque Graeci *catholicitatem* habeant, sequitur, nullam societatem a Romana Ecclesia sejunctam esse catholicam.

Prob. II. Argumento, quo utitur *Augustinus*, aliique Patres contra haereticos sui temporis. Si peregrinus aliquis ingressus urbem, ubi haeretici cum catholicis libertate religionis utuntur, interroget haereticum, ubinam sit Ecclesia catholicorum, nemo haereticus ei Ecclesiam suam demonstrabit, nisi velit fallere. Ergo ex ipsa eorum confessione patet, Ecclesiam suam non esse catholicam.

PROPOSITIO III.

Ecclesia Romana catholica est.

Nomine Romanae Ecclesiae intelligimus Ecclesias omnes, quae cum Romana communicant, quae est centrum unitatis (*a*).

Prob. prop. Illa Ecclesia est catholica, quae *moraliter* per totum orbem est diffusa, licet non omnes homines ejus veritatem velint agnoscere. Atqui talis semper fuit, et est modo Ecclesia Romana. Fuit quidem semper talis. Nam Patres priorum saeculorum, ut *Irenaeus*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Optatus*, *Augustinus* constanter objecerunt haereticis, Ecclesiam Romanam per universum orbem esse diffusam, quod non ob-

(a) Quod ideo notamus, ut dissolvamus putidissimam *Buddei* Lutherani cavillationem; qui asserit contradictionem involvere Ecclesiam Romano-catholicam; quia, inquit, Ecclesia Romana significat Ecclesiam particularem Romae fundatam, catholica vero universalem. Quo quid miserabilius excogitare poterat?

objecissent contentiosissimis, et pervicacissimis haereticis, si falsum fuisset.

Est vero etiam modo haec Ecclesia universalis. Nam 1°. hodierna Romana Ecclesia est eadem illa, quam Patres catholicam praedicarunt, nec unquam ab ea per haeresim, aut schisma defecit; 2°. viget etiam modo in quatuor mundi plagis, in Asia, in Africa, in America, in Europa. In Asia reperiuntur in omnibus provinciis *Sultano* subjectis Romanae communionis fideles (licet schismatici numero excedant) nec non apud Indos, Persas, Sinenses, Siamenses, et in omnibus ferme insulis Oceani orientalis. In Africa fuit quidem Romana Ecclesia olim florentissima, nunc autem a barbaris occupata illa regione, habet etiam ibi sua membra, suos fideles. In America longe, lateque diffusa est per omnes regiones Hispanis, Lusitanis, Gallis subjectas, imo etiam in regionibus a Protestantibus occupatis non desunt catholici. Denique in Europa maximam partem occupat, et diffusa est per omnia omnino regna, etiam ea, in quibus praevaluere Protestantes. Est enim catholica Ecclesia in Italia, Hispania, Gallia, Germania, Hollandia, Anglia, Hibernia, Dania, Svecia, Russia. Ergo Ecclesia Romana fuit semper, et est modo catholica.

Confutantur Objecta.

Objic. I. In multis terrae regionibus non floret Romana Ecclesia, ut in Anglia, Hollandia, Svecia, Dania, apud Graecos, Ægyptios, Abyssinos, aliasque Africae, et Asiae regiones. Ergo non est catholica.

℟. *Neg. cons.* Nam, ut sit catholica, non requiritur, ut omnes homines ejus veritatem agnoscant, et amplectantur, sed sufficit, ut *moraliter* sit ubique diffusa, licet ubique patiatur persecutionem adversariorum, in majori numero eam insectantium, ut accidit sub Imperatoribus Idololatris.

Inst. Sunt etiam nonnullae regiones, in quibus nulli omnino sunt catholici. Ergo.

℟. *Trans-*

℟. *Transeat ant. Neg. cons.* Etenim ut Ecclesia sit catholica non requiritur, ut in omnibus omnino vel minimis terrae angulis reperiatur. Sic *Augustinus* haereticis constanter objicit Romanae Ecclesiae *catholicitatem*, licet ipse saepe fateatur, esse aliquas terrae regiones, in quibus Evangelium nondum erat praedicatum. Sufficit ergo, ut moraliter per omnes orbis cogniti partes diffusa sit, sive ut maximam orbis terrae partem occupet.

Objic. II. Certum est „Romanam Ecclesiam integra regna, et gentes amisisse. Ubi sunt enim modo tot Ecclesiae Africanae, Asianae etc.? In ipsa Europa nonne plures provinciae, immo et integra regna a communione Romana recesserunt, Svecia, Dania, Anglia, magna Germaniae, et Helvetiorum pars? Ergo si Patribus licuit Romanam Ecclesiam appellare catholicam, id hodie non licet; cum videamus pauca regna Romanae sedi esse conjuncta.

℟. *Dist. ant.* Certum est amisisse integra regna omnino, ut nulli in eis remanserint catholici, *nego*. Amisisse ex parte, hoc est desiisse in eis florere, ut prius, *Subdist.* Et tamen eodem tempore nova regna acquisivit, *conc.* Secus, *neg.* Itaque licet in multis Orientis, et Occidentis regionibus non sit ita florens, et quodammodo dominans Romana Ecclesia, ut prius erat; non tamen omnino in iis defecit. Immo cum aliqua gens a Romana communione defecit, accessit nova. Sic deficientibus Arianis conversi sunt Saraceni, Æthyopes, Iberi: deficientibus Graecis Schismaticis, Hungaria, Svecia, Dania, Norvegia Romanae Ecclesiae adjecta est: Lutheranis, et Calvinistis rebellantibus, ad Indos, Japonenses, Sinenses, Brasilianos, Peruvianos, aliosque Americae populos Romana Ecclesia invecta est. *Aufertur* enim a nonnullis *regnum Dei, et datur genti facienti fructus ejus. Matth. XXI. 43.* cum praesertim in sola Romana Ecclesia, tamquam in corpore vivo, sit ardens illud studium seipsam semper augendi, et propagandi per Apostolicos *Missionarios*, quod non est in sectis haereticorum, quae, tamquam membra mortua, ibi putrescunt, ubi a corpore resecta sunt.

§. VI.

§. VI.

De Apostolicitate Ecclesiae.

Adv. I. Veram Christi Ecclesiam debere esse Apostolicam, diffitetur nemo. Per Apostolos enim Christus Ecclesiam suam fundavit. Sed quid requiratur, ut societas aliqua dicatur Apostolica, controversia est inter haereticos, et catholicos.

II. Haeretici enim omnes contendunt, requiri solam doctrinam Apostolicam, ut inde inferant, Ecclesiam suam esse Apostolicam, quia falso jactant, se docere quod docuerunt Apostoli.

III. Catholici fatentur, veram Christi Ecclesiam doctrinam Apostolicam tenere; sed docent *Apostolicitatem*, (ut ita dicam) quae nota est verae Ecclesiae, non in doctrina; sed in successione non interrupta Pastorum ponendam esse; ita ut non ex doctrina Apostolica cognoscatur, quaenam sit Ecclesia Apostolica; sed potius ex Ecclesia, quae serie perpetua Pastorum succedit Apostolis, cognoscendum sit, quaenam doctrina sit Apostolica.

IV. Igitur in hoc articulo quaeremus, ut in superioribus fecimus, 1°. utrum Apostolicitas sit Ecclesiae nota; 2°. in quo sita sit; 3°. cui societati conveniat.

PROPOSITIO I.

Apostolicitas est verae Ecclesiae nota.

Prob. I. Patres ex eo probant, haereticorum societates non esse veram Christi Ecclesiam, quod non sunt Apostolicae. Ita *Tertullianus* in Libro *de Praescriptionibus*, *Optatus Milevitanus*, *Augustinus*, aliique, quorum textus infra recitabimus. Ergo.

Prob. II. Cum Christus nonnisi per Apostolos Ecclesiam suam fundaverit, non potest esse vera Christi Ecclesia, quae non est Apostolica; et vicissim Ecclesia Apostolica, si habeat etiam alias notas, unita-

tatem, sanctitatem, catholicitatem, non potest non esse vera Christi Ecclesia. Ergo Apostolicitas est nota verae Ecclesiae.

PROPOSITIO II.

Apostolicitas, quae est Ecclesiae nota, non est sita in doctrina Apostolica.

Prob. I. Schismaticae societates initio schismatis saepe retinent doctrinam Apostolicam, et tamen dici non possunt Ecclesiae Apostolicae. Ergo.

Prob. II. Nota debet esse notior re, quam quaerimus; atqui doctrina Apostolica non est aliquid notius ipsa Ecclesia; omnes enim haereticorum sectae contendunt, se doctrinam profiteri Apostolicam. Ergo.

Prob. III. Patres docent, non ex doctrina cognoscendam esse Ecclesiam Apostolicam, sed ab Ecclesia Apostolica accipiendam esse doctrinam Apostolorum. Imo docent, haereticos, proferentes pro se Scripturas, non esse audiendos; quia cum Scriptura sit Ecclesiae patrimonium, quod ipsa accepit ab Apostolis, quicumque Scripturam pro se profert, repellendus est tamquam fur, nisi prius ostendat, Ecclesiam suam esse Apostolicam: quemadmodum in jure non est audiendus, qui ex chirographo alteri surrepto aliquid sibi deberi contendat, nisi prius ostendat, chirographum esse suum. Sic *Tertullianus Lib. de praescript. Cap.* 37. postquam fuse hoc tractavit argumentum concludit: *Constat ratio propositi nostri definientis, non esse admittendos haereticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere.* Similia docent *Pacianus Epist. III. ad Simpron.* Chrysostomus *Homil. IX. in Epist. ad Ephes.* aliique. Ergo.

PRO-

PROPOSITIO III.

Apostolicitas Ecclesiae sita est in successione legitima, et non interrupta Pastorum, perveniente usque ad Apostolos.

Prob. I. Patres in hac legitima, et perpetua successione *Apostolicitatem* Ecclesiae positam esse docent. Sic 1.° Tertullianus *de Praescript. Cap.* 32. *Si quae* (*haereses*) *audent se interserere aetati Apostolicae, ut ideo videantur ab Apostolis traditae . . . . possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones, ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habeat auctorem, et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt. Sicut Smyrnaeorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert: sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit etc.*

2. Idem docet Irenaeus *Lib. IV. Cap.* 26., *al.* 43. *Eis, qui sunt in Ecclesia, Presbyteris obaudire oportet iis, qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt: reliquos vero, qui absistunt a principali successione, et quocumque loco se colligunt, suspectos habere, vel quasi haereticos, et malae sententiae, vel quasi scindentes, et elatos, et sibi placentes.*

3.° Hinc etiam Optatus Milevitanus *Lib. II. cont. Parmenian.* sic provocat haereticos: *Vestrae cathedrae originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare.* Quod et facit *Augustinus* tum in libro *de Unitate Ecclesiae*, tum alibi saepissime contra Donatistas. In *Psalmo contra partem Donati* sic ait: *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo Patrum quis cui successit, videte.* Et in Libro *contra Epist. fundam. cap.* 4. *Tenet me* (in catholica Ecclesia) *ab ipsa Sede Petri, cui pascendas oves Christus*

Do-

Dominus tradidit, *usque ad praesentem Episcopatum successio Sacerdotum*; Ergo.

Prob. II. *ratione*. Omne *ens successivum*, ut Scholae ajunt, unitatem suam amittit, si paulisper successio abrumpatur. Sic si corpus motum parumper quiescat, et iterum deinde moveatur, posterior hic motus non est unus et idem cum primo, sed novus, atque diversus, quo iterum cieri incipit. Atqui Ecclesia est corpus *successivum*, quia primis Pastoribus, aliisque Ecclesiae membris defunctis alii succedunt. Ergo si vel minimum abrumpatur haec successio, licet denuo corpus componi videatur; non erit hoc illud idem corpus, illa eadem Ecclesia, quam Christus per Apostolos fundavit, sicut si omne genus humanum diluvio periisset, profecto homines, qui nunc sunt, non essent ex stirpe Adami, licet eamdem habeant humanam naturam.

PROPOSITIO IV.

Protestantium, et Orientalium societates, a Romana Ecclesia sejunctae, non sunt Apostolicae.

Prob. 1. *pars*. Protestantium aliorumque Novatorum societates non habent successionem Pastorum, continua serie pervenientem usque ad Apostolos. Nam *Lutherus*, *Calvinus*, *Zvvinglius*, primi societatum illarum fundatores, nulli Apostolico Episcopo successerunt, sed ipsi semetipsos Pastores societatum suarum fecerunt; immo *Calvinus* laicus Ecclesiasticum ministerium usurpavit. Ergo etc. Idem dicas de quacumque societate haereticorum sive Orientalium, sive Occidentalium; si enim numerent Pastorum suorum successionem, ubi ad primum sectae auctorem pervenerint, ex. gr. *Nestorium*, *Euthychen*, *Socinum etc.* ulterius progredi non possunt. Ubi ergo erat Ecclesia Calviniana, Lutherana, Nestoriana, Eutychiana etc. ante *Lutherum*, *Calvinum*, *Nestorium etc.*? Nusquam profecto; nam si alicubi fuisset, illi Ecclesiae se adjunxissent. Sed ipsi nulli se Ecclesiae adjun-

junxerunt, sed instituerunt novam. Ergo eorum societas Apostolica non est.

Prob. 2. *pars.* speciatim de Graecis Patriarchae Constantinopolitano adhaerentibus. Illorum societates non sunt Apostolicae, quae manifesti schismatis convincuntur. Atqui tales sunt societates Graecorum, Patriarchae Constantinopolitano adhaerentium, ut supra demonstravimus §. II. Quod argumentum rursus contra Protestantium etiam societates urgeri potest. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Pro societatibus Protestantium aliorumque Novatorum. In veteri lege Deus identidem suscitavit Prophetas, qui extirparent abusus in Ecclesiam irrepentes; nemo autem dixerit, Prophetas, et qui iis adhaerebant, recessisse ab Ecclesia Mosaica. Atqui vetus haec erat quaerela virorum doctrina, et pietate illustrium, irrepsisse scilicet graves in Ecclesiam abusus. *Quis mihi det*; inquit *Bernardus Epist. CCXXVIII. ad Eugen. antequam moriar videre Ecclesiam Dei sicut in diebus antiquis?* quod desiderium reformandae Ecclesiae testata sunt etiam tria Concilia OEcumenica Lateranense IV. Constantiense, et Basileense, et tamen nemo tot malis radicitus extirpandis manus umquam admovebat. Ergo Deus ipse in nova lege suscitavit Protestantium duces ad renovandam Eccclesiae faciem, et reformandos abusus, nec proinde eorum societates dicendae sunt ab Ecclesia Apostolica recessisse.

℟ *Dist. maj.* Suscitavit Prophetas ad mutandum sacerdotium vetus, novumque instituendum, *nego*. Ad corrigendos abusus, salvo semper ordine, et successione sacerdotum, quos elegerat Dominus, *Subdist.* Et simul dedit Prophetis illis signa manifesta suae divinae missionis extraordinariae, *conc.* Nulla dedit extraordinaria signa, *nego*. Itaque Prophetae numquam ausi sunt attrectare sacra, expellere ministros Aaronicos, novumque ordinem sacerdotum instituere: quod si fecissent, profecto nova societas, ab

ipsis

ipsis collecta, non fuisset amplius Mosaica; *translato enim Sacerdotio, necesse est, ut et legis translatio fiat*, inquit Apostolus *Heb. VII.* 12. Praedicabant igitur tantum, et insectabantur peccata populi, in primis idololatriam; immo hanc ipsam praedicandi missionem divinam esse probabant non solum vitae sanctitate, verum etiam signis extraordinariis prophetiae, et miraculorum. Deus enim ipse *Deuteron. XVIII.* 22. signa statuerat, quibus veri a falsis prophetis discernerentur.

At contra Novatores in Ecclesiae sacerdotium tanto furore insurrexerunt, et debacchati sunt, ut, quos potuerunt, Sacerdotes necaverint, reliquos in fugam egerint, novumque sacerdotium a seipsis incipiens instituerint; sine ullo Episcopali charactere novos ministros ordinaverint; doctrinam Ecclesiae rejecerint; antiquas haereses, jam olim damnatas, ab inferis revocaverint; sanctissimas Ecclesiae leges, et instituta, quasi essent abusus, conculcaverint. Ad haec autem facienda quaenam signa suae extraordinariae missionis praetulerunt? imo vero omnes characteres, quibus Pseudoprophetae depinguntur a Petro *Epist. II. Cap.* 2. ipsis optime quadrant.

N. 2. *Dist. etiam min.* Erat vetus querela abusuum, in Ecclesiam irrepentium, circa dogmata fidei, et morum, *neg.* Circa disciplinam, *subdist.* Et tamen certum fixumque erat dogma, non recedendum ab unitate Ecclesiae Apostolicae propter abusus, sed potius Deum orandum, ut daret Ecclesiae opportunitatem eos corrigendi, *conc.* Secus, *neg.* Itaque sancti illi viri, qui de abusibus conquerebantur, sanam esse fatebantur Ecclesiae Romanae doctrinam circa fidem, et mores. Abusus a privatis invectos, non ab Ecclesia probatos, circa disciplinam, deplorabant; sed tamen docebant post *Cyprianum*, et *Augustinum*, non recedendum ab agro Domini propter paleas etc. Nomine autem abusuum non intelligebant, nisi malas bonae disciplinae corruptelas. At contra Protestantes totam Ecclesiae doctrinam, tamquam falsam re-

rejecerunt, ipsam Ecclesiam Satanae synagogam vocarunt, atque ab ea aperto schismate discesserunt, et nomine abusuum intellexerunt res bonas, et laudabiles, ut cultum Sanctorum, jejunia, vota, coelibatum, et cet. Propter haec autem scelera non injuste, sed merito ab Ecclesia Apostolica, adhibitis prius frustra omnibus patientiae, et lenitatis argumentis, paternisque admonitionibus, excommunicati, et resecti sunt.

Inst. Romana Ecclesia veros illos abusus, de quibus tot erant querimoniae, numquam extirpare voluit nec in Concilio Constantiensi, nec in Basileensi etc. Ergo non sunt reprehendendi Protestantes, qui illos correxerunt, cum publicis malis, ex quibus multorum sequitur ruina, ut incendio, unusquisque possit, ac debeat adhibere remedium.

℟. *Dist. ant.* Numquam voluit, quia non potuit, nec erat opportunum ob multitudinem hominum malorum, atque potentium, qui eos abusus fovebant, *conc.* Quia eos probabat, *neg.* Itaque saepe Ecclesia tolerare debet zizania in medio tritici, ne, eradicans zizania, eradicet simul et triticum. Quare *neg. cons.* Si enim liceret privatis praetextu abusuum expellere magistratus, occupare ministerium, longe majora orirentur mala, quam ipsi abusus, qui extirpandi dicuntur. Quod profecto accidit Protestantibus. *Nego* etiam *suppositum*, quia, ut supra diximus, Novatores non abusus extirparunt, sed laudabiles, ac sanctas Ecclesiae leges praetextu abusuum abrogarunt.

PROPOSITIO V.

Sola Ecclesia Romana Apostolica est.

Prob. Sola Ecclesia Romana successionem habet non interruptam Pastorum, usque ad Apostolos pervenientem, ut patet numeratione Pastorum cujusque Ecclesiae, quae cum Romana communicat. Ipsa enim particularis Ecclesia, quae Romae est, habet perpetuam Pontificum seriem, sibi legitime succedentium usque ad Petrum. Reliquae Ecclesiae, quae cum illa communicant, habent singulae Episcoporum suorum

se-

series, pervenientes ad aliquem Romanum Pontificem, qui Ecclesiae illi primum dedit Episcopum: et per hunc R. Pontificem ascendit usque ad Petrum. Atqui in nulla societate, quae ab Romana Ecclesia sit divisa, talis est pastorum successio. Ergo sola Romana Ecclesia Apostolica est.

Objic. In magno Schismate Occidentis, cum tres simul veluti Pontifices Romani de Papatu contendebant, interrupta est series summorum Pontificum. Immo vero saeculo IX. R. Pontificum series, atque successio interrupta est, cum *Leone IV.* mortuo, impudica quaedam mulier virili habitu ad R. Pontificatum evecta est, dictaque *Joanna Papissa*, quae sedit annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor, ut referunt *Martinus Polonus*, *Sigebertus*, *Marianus Scotus*, Platina, aliique. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Licet enim tres simul se gererent tamquam Pontifices, unus tamen erat verus, et legitimus; licet non omnes fideles clare cognoscerent, quis esset ex tribus, atque ideo in tres veluti communiones Ecclesia scissa videretur. Sed etsi daremus, quod falsum est; nullum ex iis verum fuisse Pontificem, non ideo successio abrupta esset, sicut non abrumpitur, cum mortuo legitimo Pastore, tempus aliquod excurrit, ut novus, et legitimus eligatur.

Quod vero ad putidissimam *Joannae Papissae* fabulam attinet, sciendum est, eam contra omnium coaevorum historicorum fidem post annos fere ducentos fuisse confictam, nec solum a Catholicis *Allatio*, *Bellarmino*, *Baronio*, *Panoinio*, *Mabillonio*, sed ab ipsis heterodoxis *Blondello*, *Curcellaeo* aliisque evidenter explosam, nec nisi impudenter, ac stulte adhuc a quibusdam Protestantibus narrari, ut in *Dictionario Hist.* observat *Baelius*. Sed etsi eam concederemus adversariis, nihil aliud inde sequeretur, nisi vacasse tunc Sedem Apostolicam donec legitimus *Leonis IV.* successor electus est *Benedictus III.*

Corollarium.

Ergo sola Romana Ecclesia est vera Ecclesia Christi, quia sola habet simul quatuor notas verae Ecclesiae.

Scho-

Scholion.

Demonstrari etiam potest, Romanam Ecclesiam esse Apostolicam ratione Apostolicae doctrinae, haereticorum vero societates, etiam ratione doctrinae, non esse Apostolicas. Nam Ecclesiae Romanae doctrina antiquior est doctrinis omnium haereticorum, nec ullum notari potest tempus, quo Romana Ecclesia doctrinam Apostolorum mutaverit, atque corruperit; imo si quae novitas invecta esset, non potuisset omnes simul Ecclesias sine contradictione pervadere. Cum e contrario notari facile possit tempus quo haereticorum dogmata disseminari coeperint; imo statim ac spargi coeperunt, vox antiquae fidei iis contradixerit. Quod de Protestantibus praesertim in singulis Theologiae Tractatibus demonstrabimus. Sed hoc argumentum, a doctrina petitum, contra haereticos non adhibemus, quia brevius, et facilius iis ora obstruimus, demonstrantes, eorum Ecclesias Apostolicas non esse, quia successionem non habent ab Apostolis.

CAP VI.

De Ecclesiae Proprietatibus.

Ecclesiae proprietates, sive dotes praecipuae, tres sunt, *visibilitas*, *perpetuitas*, sive *indefectibilitas*, et *infallibilitas*, ut ajunt.

§. I.

De Ecclesiae visibilitate.

Adv. Protestantes, aliique Novatores, ut supra diximus, duplicem distinguunt Ecclesiam; alteram vere, et proprie dictam, eamque ex solis justis, sive (ut addit *Calvinus*) praedestinatis compositam, et invisibilem; alteram vero improprie ita dictam, eamque fatentur ex bonis, malisque hominibus coalescere, et esse visibilem. Id eo consilio faciunt, ut omnes Christi promissiones, Ecclesiae factas, ad solam invisibilem Ecclesiam coarctent; atque ita asserere possint, Ecclesiam Protestantium extitisse ante Lutherum, et Calvinum, sed fuisse invisibilem. Hoc igitur haereticorum effugium praecludendum est.

PRO-

PROPOSITIO.

Ecclesia Christi vere, et proprie dicta, semper visibilis est, hoc est videri, et discerni potest a falsis sectis. Est dogma fidei.

Prob. I. Scriptura cum de Ecclesia absolute loquitur, nec ulla subest ratio eam intelligendi in sensu improprio, semper eam describit ut coetum visibilem. Sic *Isaiae II.* 2. praedicit Dominus: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes* Hic primo describitur Ecclesia, adeo conspicua, ut mons supra verticem montium erectus; deinde praedicitur talis, ut omnes gentes ad eam confluere possint, quod fieri non posset, si esset invisibilis. Et Christus *Matth. XVIII.* 17. fratrem frustra correptum ad Ecclesiam deferri jubet: *Dic Ecclesiae: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus*; quomodo autem id fieri posset, si non esset Ecclesia sole clarior, et conspicua etiam idiotis, ad quos etiam pertinet Christi praeceptum?

Praeterea Apostolus congregans Episcopos Ecclesiae Ephesinae, sive Asianae; monet ut sibi et universo dominico gregi attendant: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; *Act. XX.* 28. cui autem gregi attenderent, quam Ecclesiam pascerent, si haec visibilis non esset? Sic etiam *Act. XVIII.* 22. dicitur Paulus *salutasse Ecclesiam.* Ergo etc.

Prob. II. ex Patribus. 1°. Origenes *Homil. XXX. in Matth. Ecclesia*, inquit, *plena est fulgore ab Oriente usque in Occidentem.* 2°. Cyprianus *De unit. Eccl. Ecclesia Domini luce perfusa est; per totum orbem radios suos porrigit.* 3°. *Augustinus* id saepe inculcat contra Donatistas, ex visibilibus characteribus probans, Catholicorum Ecclesiam esse veram (a). Et *in Tract. I. in*

(a) *Lib. II. cont. Petil. Cap. 32. Lib. de Unit. Eccl. Cap. 25. Lib. III. cont. Epist. Parmenian. Cap. 5. Epist. XLVIII. Psal. XLIV, et XLVII. et al.*

in Epist. Joan. n. 231, post recitata Scripturarum testimonia, quae Ecclesiam ostendunt, esse visibilem; *Numquid*, inquit, *non sic digito ostendimus Ecclesiam, fratres mei? Nonne aperta est? nonne tenuit omnes gentes? nonne impletur quod ante tot annos praedictum est Abrahae, in semine ejus benedici omnes gentes? Ecce mons implens universam faciem terrae. Ecce civitas, de qua dictum est: non potest civitas abscondi supra montem posita.* Ergo etc.

Prob. III. *ratione.* Deus ita Ecclesiam fundavit ad omnium salutem, ut nemo extra illam salvus esse possit, quod supra ostendimus. Ergo sapientiae, et bonitatis ejus erat, ut eam redderet semper omnibus visibilem, atque conspicuam.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Ecclesia redditur invisibilis 1.° in persecutionibus infidelium, et haereticorum; tunc enim fideles omni studio latitant. 2.° cum haereses longe, lateque diffunduntur, ut olim Ariana. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Nam etiam in crudelissimis Imperatorum persecutionibus Ecclesia visibilis erat, non solum in regionibus, quae Romano imperio non erant subjectae, sed etiam in tot martyribus partim trucidatis, partim in carcerem, aut in exilium actis. Multo minus latere potest in persecutionibus haereticorum, aut in quacunque haeresis diffusione; tum quia haeresis numquam universum orbem occupare potest; tum quia in illis ipsis provinciis, quas occupat, veri fideles latere non possunt; eo ipso enim, quod se a conventiculis haereticorum separant, jam conspicui fiunt.

Objic. II. Ecclesia est objectum fidei: *Credo sanctam Ecclesiam*, est articulus Symboli. Hinc Ecclesia dicitur *domus spiritalis* I. Pet. II, 5. *mons non tractabilis* Heb. XII. 18. *Regnum Dei*, quod *non venit cum observatione*, sed est *intra nos* Luc. XVII. 20. *populus Dei* legem habens scriptam in cordibus *Hierem. XXXI.* 33. Ergo non videtur.

℟. *Dist. ant.* Est objectum fidei quoad ejus veri-

 tatem

tatem, et interiores dotes, *conc.* quoad ejus existentiam, *neg.* Itaque quod haec sit Ecclesia a Christo instituta, conspicitur. Quod autem haec Ecclesia, a Christo instituta, vera doceat, Spiritu Sancto regatur, et vivificetur etc. id creditur, ideoque dicitur *domus spiritalis*, *populus Dei legem habens scriptam in cordibus*, et *regnum Dei intra se*. Ceterum Regnum Dei *Luc. XVII.* intelligi potest de primo adventu Messiae, quod non venit cum observatione sive gloria, quam Pharisaei expectabant: Et mons non tractabilis *Heb. XII.* non est Ecclesia militans, sed triunphans, ut legenti patet.

Corollarium.

Ergo hinc rursus probatur, societates Protestantium, aliorumque Novatorum non esse veram Christi Ecclesiam, quia, ipsis fatentibus, ante *Lutherum*, et *Calvinum* erant invisibiles.

§. II.

De Ecclesiae perpetuitate, seu indefectibilitate.

Adv. Nullus fortasse haereticorum asseruit, veram Christi Ecclesiam posse omnino deficere. *Donatistae* enim, qui Ecclesiam toto orbe periisse affirmabant, docebant tamen, remansisse eam in Africa in parte Donati. *Berengarius* etiam, qui teste Ratramno Corbejensi *Opusc. de Eucharist.* asserebat, Ecclesiam totam errasse, et periisse; contendebat tamen, eam remansisse saltem in Berengarianis.

II. Novatores etiam fatentur, Ecclesiam deficere non posse, sed id intelligunt de Ecclesia invisibili. Nam visibilem Ecclesiam deficere posse, docent, et aliquando defecisse. Novissime vero *Claudius* Calvinista novum excogitavit systema. Docet enim, Ecclesiam etiam visibilem nunquam posse deficere, sed aliquando corrumpi posse erroribus fidei contrariis; ita tamen, ut semper in ea remaneant aliqui fideles occulti.

PRO-

PROPOSITIO

Visibilis Christi Ecclesia deficere non potest. Fidei dogma est.

Prob. I. ex Scriptura. Prophetae praedixerunt, visibilem Christi Ecclesiam perpetuam fore, et Christus ipse, et Apostoli id aperte promiserunt. 1.° Prophetae id praenuntiarunt. Isaias enim *Cap. LXI.* 8. *Foedus*, inquit, *perpetuum feriam cum eis. Et scient in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum. omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia ipsi sunt semen, cui benedixit Dominus*: quod Isaiae vaticinium sine dubio de Ecclesia est intelligendum. Hic autem clare praedicit *Isaias*; Ecclesiam, quae a cunctis gentibus videbitur, et cognoscetur, perpetuam fore, quippe quae juncta sit Deo *foedere perpetuo.*

Et Michaeas *Cap. IV.* 1. *et* 5. *In novissimo dierum erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium, et sublimis super colles, et fluent ad eum populi.* En Ecclesiam cunctis visibilem. *Nos autem*, subdit, *ambulabimus in nomine Domini nostri in aeternum*; en perpetuitatem. Et in *Psalm. XLVII.* qui totus est de Ecclesia, et quidem visibili, ut legenti patet: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri*: En visibilem Ecclesiam: *Deus fundavit eam in aeternum*; en perpetuitatem. Mitto alia Prophetarum vaticinia.

2.° Ipse *Christus* Ecclesiae visibili durationem perpetuam promisit. *Matth. XXVII.* 20. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Et *Matth. XVI.* 18. *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Nulla autem ratio subest coarctandi haec loca ad Ecclesiam invisibilem. Praeterea Christus in omnibus parabolis, in quibus Ecclesiam designavit, eam dicit duraturam usque ad finem saeculi. Sic docet, in agro futura zizania cum tritico usque ad messem: in sagena futuros bonos cum malis piscibus, usque dum

trahatur ad terram; in area futuras paleas cum frumento, donec triticum congregetur in horreum, paleae autem comburantur igni inextinguibili. Messis autem, tractio retis ad terram, divisio frumenti a paleis, ipso Christo explicante, diem judicii designant. Atqui hae parabolae fatentibus Protestantibus, pertinent ad Ecclesiam visibilem, quia invisibilis Ecclesia non continet, ut ipsi dicunt, bonos et malos. Ergo visibilis Ecclesia usque ad finem mundi duratura est.

3.° Idipsum praedicunt Apostoli. Paulus enim *Ephes. IV.* 11. *Ipse dedit*, inquit, *quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, et doctores . . . . donec occurramus omnes in unitatem fidei etc.* Quibus verbis testatur, ministerium Pastorum, quod utique non potest esse in Ecclesia invisibili, duraturum usque in diem judicii. Ergo.

Prob. II. ex Patribus. 1.° Hieronymus *in Cap. VIII. Amos*: *Ex quo*, inquit, *intelligimus, Ecclesiam usque in finem mundi concuti quidem persecutionibus* (quae nonnisi contra Ecclesiam visibilem excitantur) *sed nequaquam posse subverti: tentari, non superari. Et hoc fiet; quia Dominus Deus . . . . . se facturum esse pollicitus est, cujus promissio Lex naturae est.* 2.° Augustinus *in Ps. CI. conc.* 2. *Sed illa Ecclesia, quae fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt qui in ea non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es? Vide, ne tu in ea non sis; nam illa erit, etsi tu non sis* (a) 3.° Ambrosius loquens de persecutionibus; quae utique contra visibilem Ecclesiam excitantur; postquam Ecclesiam navi comparavit, subdit. *Lib. de Salomone Cap.* 4. *Quae etsi undarum fluctibus, et procellis saepe vexatur, numquam potest sustinere naufragium, quia in arbore ejus, idest in Cruce Christus erigitur, in puppi Pater residet gubernator, proram Paracletus servat Spiritus. Hanc per angusta hujus mundi freta duodecim in portum* re-

(a) V. etiam *Lib.* 1. *De Symbolo ad Catech. cap.* 6. *Epist. XLVIII.*, *et al.*

remiges ducunt, *idest duodecim Apostoli.* 4.° Chrysostomus *in Cap. VI.* Isaiae: *facilius est*, *solem extingui*, *quam Ecclesiam deleri.* Mitto ceteros (b). Ergo.

Systema autem *Claudii* Calvinistae contradictionem involvit. Statuit enim iste „ Ecclesiam visibilem non posse deficere , et tamen posse corrumpi erroribus fidei contrariis , quod aperte est ασυςατον , sive repugnans. Eo ipso enim , quod societas aliqua in fide labitur , non est amplius Christi Ecclesia , sed Antichristi synagoga; Vide *Bossuet Hist. Variat. Lib. XIX.*

Objectiones solvuntur.

Objic. I. Vetus Ecclesia defecit aliquando ; et 1.° quidem in Adam, et Heva, cum uterque peccavit. 2.° in egressu filiorum Israel ex Ægypto , cum, praeeunte ipso *Aarone* , vitulum aureum omnes adoraverunt. *Exod. XXXII.* 3.° tempore Judicum , quando *filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini*, *et servierunt Baalim* , *ac dimiserunt Deum patrum suorum. Judic.II.* 11. 4.° tempore impiorum Regum *Achaz*, et *Manasse* , qui , abolito publico ministerio religionis , idololatriam usque in Templum Domini intulerunt. 5.° aetate Jeremiae , qui *Cap. II.* 26. sic Dei nomine loquitur : *Confusi sunt domus Israel* , *ipsi et Reges eorum*, *Principes*, *et Sacerdotes*, *et Prophetae eorum*, *dicentes ligno* : *Pater meus es tu .... Quid vultis mecum judicio contendere? Omnes dereliquistis me*, *dicit Dominus.* 6.° Denique cum summi Pontifices , et omne Concilium Sacerdotum , Scribarum , Pharisaeorum , et ipsa plebs Judaeorum Christum morti dedit. Ergo.

℟. *Transeat ant. Neg. cons.* Dixi *transeat ant.* quia etsi concederetur , defecisse veterem Ecclesiam , sive potius Synagogam , non inde tamen sequeretur , deficere etiam posse Ecclesiam Christi , cum divinae pro-

(b) Origenem *Hom. XXV. in Matth.* Leo M. *Serm. XIV. de Passione* , *et Serm. II. in Annivers. suae assumt.* Bernardus *Serm. LXXIX. in Cant.* et alii.

promissiones isti, non illi factae sint; tamen falsum est, ipsam veterem Ecclesiam unquam defecisse.

1.° Etenim non defecit cum Adam, et Heva peccaverunt. Sive enim peccatum illud fuerit vera infidelitas, ut docent nonnulli Patres, sive fuerit simplex inobedientia, certum est, Ecclesiam post Adae lapsum coepisse: tunc enim revelatus est futurus Christi adventus, in cujus fide fundata est Ecclesia. Utrum autem inceperit Ecclesia a poenitentia *Adae*, an ab *Abel*, quaestio est. Ceterum hoc argumentum *nimis probat*; si quid enim valeret, probaret etiam, in Adamo, atque Heva Ecclesiam invisibilem defecisse, quod fieri posse adversarii negant.

2.° Nec defecit vetus Ecclesia tempore *Aaronis*, Judicum, aut Regum impiorum, aut Jeremiae; quia nec tunc defuerunt veri Dei cultores, qui et ipsi erant visibiles, cum non communicarent coetibus idololatrarum. Utitur autem Scriptura in objurgandis impiis generali quadam reprehensione totius populi, ut ostendat, peccantium magnum esse numerum; quod sexcentis confirmari potest exemplis.

3.° Denique in morte Christi defecit Synagoga, quia tunc deficere debebat; *finis enim legis Christus*, sed non defecit Ecclesia, tum quia tot erant per universum orbem dispersi Judaei fideles, qui de praedicatione, et nece Christi nihil audierunt, tum quia in ipsa Judaea, imo in ipsis Jerosolymis multi non consenserunt neci Christi, inter quos etiam viri principes, quales fuere *Joseph ab Arimathea, et Nicodemus.*

Inst. In Apostolis omnibus defecit fides in morte Christi, quod significari dicitur per lumina omnia, quae extinguuntur in Officio majoris Hebdomadae, excepta una B. Virgine. Imo ipse Christus *exprobravit* Apostolis *incredulitatem eorum: Marc. XVI.* 14. Ergo a fortiori defecit fides in ceteris omnibus, ac proinde tunc defecit Ecclesia, quia sola B. Virgo non constituebat Ecclesiam, quae utique multorum coetum requirit.

R. 1.° *Neg. ant.* Defecit enim in Apostolis constantia, et fortitudo in rebus adversis, sed non fides. Petrus enim, qui contra externam fidei confessio-

tionem peccaverat, statim conversus flevit amare, quod non fecisset, si amisisset fidem; Christus ipse moriens matrem virginem Joanni commendavit, quod ostendit, etiam Joannem permansisse fidelem. A fortiori ceteri discipuli, qui fugerunt, nec tantis tentationibus objecti sunt, quantae *Petrum*, et *Joannem* impetiverunt. De extinctione autem luminum in majori Hebdomada varia est explicatio, ut videre potest apud *Ben. XIV. de Festis*, sed licet explicemus de Apostolis; non sequitur, in eis extinctum fidei lumen, sed constantiam, quam Christo spoponderant. *Infidelitas* vero, quam Christus redivivus Apostolis exprobravit, non fuit *positiva*, sed *negativa*, hoc est tarditas quaedam, et mora credendi *explicite* resurrectionem, quam putabant nondum idoneis testimoniis confirmatam, quia nondum ipsi viderant; quod quidem esse potuit veniale peccatum. Adde his, quod verba Christi non de omnibus accipienda esse Apostolis, docet Maldonatus *in Comment.* sed de uno *Thoma*, licet per syllepsin omnibus dicta sint.

℟. 2.° *Neg. cons.* Nam praeter Apostolos erant innumeri fideles tum in Judaea, tum in longinquis regionibus, ut supra dictum est.

Objic. II. Christus *Luc. XVIII.* 8. praedicit, ante adventum suum defecturam Ecclesiam: *Veniens filius hominis, putasne, inveniet fidem in terra?* Quod et confirmat Apostolus *II. Thessal. II.* 3. ubi ait, ante diem judicii venturam *discessionem*, h.e. generalem apostasiam. Ergo.

℟. 1.° Argumentum *nimis probare.* Si enim nulla tunc erit fides, sed generalis apostasia, peribit etiam Ecclesia invisibilis; quod negant Protestantes.

℟. 2.° *Neg. ant.* Christus enim non ait: *filius hominis non inveniet fidem*, sed *putas-ne inveniet*? quo significat raritatem fidei, non qualiscumque, sed praecellentis, et firmissimae, de qua ibi loquitur. Et revera idem Christus *Matth. XIV.* 22. clare docet, futuros tunc electos: *propter electos breviabuntur dies illi.* Apostolus vero per *discessionem* non intelligit generalem defectionem a fide, cum ipse Apostolus *I. Thessal. IV.* 16. doceat, in ipso adventu Christi fu-

futuros fideles, et alibi doceat, ipsos Judaeos convertendos esse ad fidem ante adventum Christi. Quomodo ergo adversarii per discessionem intelligere possunt *generalem* apostasiam, cum commode possit, et debeat intelligi *particularis*, sed magna defectio multorum ab Ecclesia, quam Scriptura toties inculcat fore perpetuam? Vide *Estium*, et *D. Thomam Comment. in h. l.*

Objic. III. *Hieronymus* loquens de Conciliis Ariminensi, et Seleuciensi, in quibus Episcopi subscripserunt formulae fidei ab Arianis compositae, sic ait *Dialog. cont. Luciferian. Tunc Usiae nomen abolitum est, tunc Nicaenae fidei damnatio conclamata est: ingemuit totus orbis, et se Arianum esse miratus est.* Ergo tempore Arianorum defecit Ecclesia.

℟. *Neg. cons.* 1.° enim non omnes orbis Episcopi ad Concilia illa venerunt: imprimis abfuit Romanus Pontifex caput Ecclesiae, et centrum unitatis: 2.° non omnes Episcopi formulae illi subscripserunt: 3.° illi, qui subscripserunt, eam in sensu catholico intellexerunt: formula enim ita subdole erat concepta, ut fidem Nicaenam videretur exprimere; mutata tantum voce ὁμοούσιον, seu *consubstantiale*. Sed quia etiam sensum haereticum pati poterat, ideoque Ariani Episcopi gloriabantur, et *conclamabant damnationem fidei Nicaenae*; idcirco totus orbis ingemuit, et miratus est, se, eo ipso tempore, quo Arianam perfidiam detestabatur, subscripsisse formulae, quae sensum Arianum habere poterat. Episcopi ergo illi nec *formaliter* fuerunt haeretici, nec etiam *materialiter*, quia verba formulae etiam in sensu obvio catholica videbantur.

Objic. IV. Singuli fideles deficere possunt. Ergo et omnes.

℟. *Neg. cons.* Cum enim promissio non ad singulos fideles, sed ad totum Ecclesiae corpus pertineat, *a distributivo ad collectivum*, ut Scholae ajunt, non valet conclusio.

Inst. Quod singulis convenit partibus, etiam toti convenire debet. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Si sermo sit de proprietatibus *essentia-*

tialibus, *conc.* Si de *accidentalibus neg.* Sic singuli senatores jus non habent condendi leges, quod tamen totus Senatus habet. Cujus rei varia congeri possunt exempla.

Inst. Omnes simul fideles libere credunt, et manent in Ecclesia. Possunt ergo deficere omnes simul.

℟. *Neg. cons.* Etsi enim omnes libere credunt; tamen, cum fidelis Deus in promissis semper retineat multos per efficacem gratiam, qua *actu* credunt; non possunt simul non credere: cum credere simul, et non credere rationi repugnet; sicut repugnat hominem eodem temporis momento sedere, et ambulare, quamvis libere sedeat, aut ambulet. Cum igitur *impossibile* sit mentiri Deum; erit etiam impossibile, ut Ecclesia deficiat, licet omnes fideles libere credant. Quapropter si consideretur Ecclesiae *indefectibilitas* ratione divinarum promissionum, cum *phisice* impossible sit, Deum mentiri; erit etiam physice impossibile, ut Ecclesia deficiat: si vero consideretur ratione humanae libertatis, erit tantum impossibile *moraliter*.

Objic V. et simul Inst. Etiam Leviticum Sacerdotium, ideoque, et Synagogam, promiserat Deus in aeternum duraturam: *Exod. XXIX.* 9. *Erunt sacerdotes mihi* Aaron, et filii ejus *religione perpetua.* Quibus similia in aliis leguntur vet. Testamenti locis. Et tamen Synagoga defecit. Ergo divina promissa sunt sub tacita conditione intelligenda, modo, scilicet homines non se reddant indignos.

℟. *Dist. ant.* Promisit Deus, Leviticum Sacerdotium duraturum in perpetuum quoad rem significatam, scilicet Christum, ejusque Sacerdotium, et sacrificium, *conc.* Quoad ipsas figuras, *neg.* Cum enim quidquid in veteri illo populo Dei gestum est, figura esset novi, ut saepe monet Apostolus *I. Cor. X. Heb. X. etc.* imo in ipso veteri Testamento promittatur novum foedus, novumque sacrificium, quod vetera aboleret *Jerem. XXXI.* 31. *Malach. I.* 10. patet, non figuras ipsas, sed res inde significatas, futuras fuisse perpetuas. Conditio autem, quae temere in objectione fingitur, non solum in Scripturis fun-

da-

damentum nullum habet, verum etiam absurda est. Quomodo enim peccata hominum divinas abolerent promissiones; quae ad ipsa peccata remittenda, atque abolenda institutae sunt?

§. III.

De Ecclesiae veritate, sive infallibilitate in rebus fidei, et morum.

Adv. I. Cum quaeritur, an Ecclesia *infallibilis* sit, de rebus dumtaxat ad fidem, et mores pertinentibus sermo est.

II. Ex dictis in superiori articulo certum est, non posse Ecclesiam universam falli in credendis fidei, et morum dogmatibus; si enim totum Ecclesiae corpus in fide errare posset, deficere etiam posse manifestum est.

III. Quaeritur ergo, an non solum in credendis, sed etiam in docendis rebus fidei, et morum Ecclesia falli possit, hoc est, an totum corpus Pastorum Ecclesiae (ad hos enim pertinet docendi officium) possit falli in tradendis fidei, et morum dogmatibus.

IV Et Novatores quidem communiter id affirmant. Cum enim totam visibilem Ecclesiam deficere doceant, a fortiori coetum Pastorum, qui pars est ipsius Ecclesiae, in docendo falli posse statuunt.

PROPOSITIO

Ecclesia in docendo, hoc est tota collectio Pastorum Ecclesiae, ad quos officium docendi pertinet, sive sit per totum orbem dispersa, sive in unum congregata, falli non potest in rebus fidei, et morum docendis. Est dogma fidei.

Prob. Ex articulo superiori Ecclesia visibilis deficere non potest, nec in fide errare. Atqui *fides est ex auditu*, ut ait Apostolus *Rom. X.* 17. Ergo si nunquam potest Ecclesia deficere a vera fide, nunquam potest deficere vera praedicatio, et doctri-

na fidei, ac proinde non possunt pastores omnes, ad quos praedicare, et docere spectat, in docendo falli, aut fallere; alioquin oves Christi, fidem non amplius *ex auditu* concipientes, deberent credere contraria iis, quae a Pastoribus edocentur, atque ideo Ecclesia non esset amplius corpus compactum, et per omnem juncturam subministrationis connexum, ut eam describit Apostolus *Ephes. IV.* 16. Frustraque Christus Pastoribus dixisset: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit, Luc. X.* 16. Tractat hoc argumentum egregie Canus *Lib. IV. Cap.* 5.

Prob. II. ex Scriptura 1°. Isaias *LIX.* 21. praedicit, Spiritum S. nunquam ab Ecclesia discessurum, sed semper in ea servaturum verba Domini. *Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui amodo, et usque in sempiternum.*

2°. Hunc Spiritum *Christus* ipse promisit Ecclesiae, *Joan. XIV.* 16. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclytum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis: et v.* 26. *ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis.* Quae verba non solis Apostolis dicta sunt, cum ipsi non deberent manere in terris in *aeternum*, sed per Apostolos omnibus in ministerio successoribus. Et *Matth. XXVIII.* 18. *docete omnes gentes:... Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*; quibus verbis spondet Christus, se adfuturum Doctoribus Ecclesiae usque ad saeculorum finem.

3°. Hanc promissionem Christum implevisse, docet Apostolus *I. Tim. III.* 15. *Haec*, inquit, *scribo tibi, ut scias, quomodo oporteat, te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis.* Haec Apostoli verba mirum est quantum haereticos torqueant. Dicunt enim, Ecclesiam esse columnam, et firmamentum veritatis, vel quia conservat Scripturas, vel quia ejus officium est tueri veritatem, licet huic officio aliquando desit, Quibus nihil ineptius fingi potest; nam etiam Judaei, et haeretici Scripturas conservant, et quique privati te-

tenentur tueri veritatem, licet eam aliquando deserant. Quare Judaei, haeretici, et quique privati dici deberent columna, et firmamentum veritatis: quod falsum est. Igitur illa societas in docendo falli non potest, cui promissus est, et datus Spiritus veritatis, qui eam ita regit, ut reddat columnam, et firmamentum veritatis. Atqui talis est Ecclesia Christi. Ergo.

Prob. III. ex Patribus. 1°. Irenaeus *Lib. III. cap.* 4. *Non oportet*, inquit, *apud alios quaerere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quae sunt veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitae.* 2°. Augustinus *Lib. I. cont. Crescon. Cap.* 33. *Scripturarum a nobis tenetur veritas, cum id agimus, quod universae jam placuit Ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas, ut quoniam ipsa Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit alicujus obscuritate quaestionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.* Celebre est ejusdem effatum *Lib. cont. Epist. Fundam: cap.* 5. *Evangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae moveret auctoritas.* Item illud *Lib. de haeres cap. ult. Cur contra ista sentiat Ecclesia catholica, superflue quaeritur, cum propter hoc scire sufficiat, eam contra ista sentire.* Accedit, quod Patres omnium saeculorum judicarunt haereticos, qui doctrinam universae Ecclesiae impugnarunt: imo ipsi Protestantes excommunicarunt Arminianos, qui decretis Ecclesiae Protestantium in synodo Dordracena conditis obsistebant. Vide Bossuet *Collation. cum Claudio*, *et Hist. Variat.* Ergo etc.

Diximus autem in propositione, Pastorum omnium collectionem *sive per orbem dispersam*, *sive in unum congregatam falli non posse*; quia eadem est Ecclesia, sive dispersa, sive collecta in unum, et Christi promissiones absolutae sunt, nulla apposita conditione sive dispersionis, sive adunationis: nisi quod in collectione Pastorum promtius, et facilius, quae sit omnium sententia, conspicitur. Et revera Augustinus *Lib. IV. ad Bonifac. cap. ult.* contra Pelagianos docet, omne

omnes ferme haereses sine generali Pastorum Concilio fuisse ab Ecclesia damnatas: ut omnes haereses ante Concilium Nicaenum exortae, et plurimae etiam post ipsum.

Si autem quaeras, quanta Pastorum consensio requiratur, ut aliquid dici possit totius Ecclesiae doctrina, facilis responsio est, non requiri omnium consensum, ne uno quidem excepto; hoc enim vix fieri potest in tanta hominum infirmitate; sed sufficere consensum *moraliter* unanimem, hoc est tot Pastorum consensionem, ut *moraliter* dici possit, omnes ita sentire. Hinc *Vincentius Lirinensis Commonitor.* 1. doctrinam Ecclesiae eam esse, ait, *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est.*

Objectiones contra hanc propositionem fieri solitas dissolvemus, ubi agemus de Conciliis Oecumenicis.

Scholion.

Franciscus Veronius in *Regula fidei* §. 16. docet, abstinendum esse a voce *infallibilitatis*, cum loquimur de Ecclesiae auctoritate in docendo, eo quod, inquit, Concilium Tridentinum illud solum ut dogma fidei, proponit, quod *Ecclesiae sit judicare de vero sensu Scripturarum*, nec usquam utitur voce *infallibilitatis*, ideoque saltem ab haereticis, Ecclesiam redeuntibus, non esse exigendum, ut fateantur, Ecclesiam esse *infallibilem.* Sed ejus auctoris pace dixerim, idem esse judicare de sensu vero, hoc est non aberrare a veritate in judicando, ac esse infallibilem: licet Concilium ab hac Scholastica voce abstinuerit. Cum ergo haeretici contrarium doceant, non video cur ab eis exigi non debeat, ut credant, Ecclesiam esse infallibilem. Ceterum modo ipsi rem eamdem aliis vocabulis exprimant, ut facit ipse Veronius, de nomine non esse litigandum, concedimus.

CAP.

CAP. VII.

De Supremo Interprete Scripturae, et Traditionis, et Judice controversiarum fidei, et morum.

Adv. Ostendimus *Cap.* I. non omnia ad salutem necessaria contineri in Scripturis; *Cap.* II. Scripturam aliquibus in locis esse obscuram, nec per loca clariora posse explicari: in aliis, licet claram, obscurari falsis haereticorum interpretationibus: praeterea in ipsa Traditione contingere posse obscuritatem, atque ideo requirendum esse interpretem aliquem, qui sit ab ipsa Scriptura, et Traditione distinctus, quique explicare possit quidquid in Scriptura, et traditione obscurum est, ac proinde de omnibus fidei, et morum controversiis judicare. Hunc interpretem ostendimus eodem capite, non esse privatum cujusque spiritum. Nunc ergo, cum *Cap.* superiori explicaverimus Ecclesiae naturam, notas, proprietates; quis sit legitimus, et falli nescius Scripturae, et Traditionis interpres, et omnium controversiarum fidei judex, facile inveniemus.

II. Sed hac occasione quaeri etiam solet, utrum Ecclesia sit etiam *infallibilis* judex quaestionum *facti.*

III. *Facta* autem alia sunt *dogmatica*, scilicet quae negari non possunt, quin simul negetur et dogma: alia simplicia, nihil cum dogmate connexa: alia quodammodo media; quae scilicet si negentur, non quidem aperte oppugnatur dogma, sed via sternitur erroribus fidei, et moribus oppositis: ut si quis *ex. gr.* damnans omnes Lutheri haereses contendat, eas non contineri in libris Lutheri; hic asserit factum, quod licet dogmata catholica aperte non impugnet, tamen viam sternit erroribus.

PRO-

PROPOSITIO I.

Ecclesia est legitimus, et infallibilis interpres Scripturae, et traditionis, et Judex controversiarum fidei, et morum. Est dogma fidei.

Prob. I. In interprete, ac judice controversiarum quinque conditiones requiruntur; 1°. ut sit vivens; alioquin disceptantium rationes audire, ponderare, et judicare non poterit; 2°. ut sit visibilis; alioquin ad eum non erit accessus; 3°. ut sit semper manens, et indeficiens; alioquin in ejus defectu nulla erit ratio finiendi lites; 4°. ut sit *infallibilis*, alioquin semper ejus judicium nutabit, nec causa dici poterit finita, 5°. ut auctoritatem habeat coërcendi eos, qui judicio sunt rebelles. Atqui omnes hae conditiones sunt in Ecclesia 1°. enim est vivens, ut patet: 2°. est visibilis: 3°. indefectibilis: 4°. infallibilis, ut *Cap.* superiori ostensum est: 5°. auctoritatem habet coërcendi rebelles, ut habetur *Matth. XVII.* 18. *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelis*; et constat ex clarissima Traditione, Ecclesiam omnibus saeculis a tempore Apostolorum hac potestate usam esse. Ergo.

Prob. II. Ex Scriptura 1°. *Matth. XVIII.* 17. ait Christus: *Dic Ecclesiae, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. Amen dico vobis, quaecumqe alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelis, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelis.* Igitur Christus Ecclesiae auctoritatem dedit de omnibus judicandi, quae bonis moribus sunt adversa. Atqui non haberet eam potestatem, si non posset judicare de haeresi, quae capitale peccatum est. Ergo.

2°. Praeterea, qui est veritatis, tamquam depositi custos, et doctor, imo columna, et firmamentum veritatis, ille est judex supremus de falsitate, quae veritati adversa est. Atqui Ecclesia, cui Deus mandavit, *docere omnes gentes*, in qua Deus constituit *Pastores, et doctores*, ne homines *omni vento doctrinae* ci-

circumferantur, cui Apostoli depositum fidei commendarunt; est veritatis ipsius tamquam depositi custos, columna, et firmamentum veritatis, ut supra diximus. Ergo etc.

3°. Non minus Deus Ecclesiae Christi consuluit, quam Synagogae, olim providerat, et consuluerat. Atqui in Synagoga constituit Ecclesiasticos Pastores, ut supremos controversiarum judices, et interpretes Legis. Ergo. *Prob. min. Deut. XVII.* 8. *Si difficile, et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, et sanguinem, causam, et causam, lepram, et lepram, et judicum intra portas tuas videris verba variari, surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui praesunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum; non declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel.* Quod confirmavit Christus *Matth. XXIII.* 2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei. Omnia ergo, quaecumque dixerint vobis, servate, et facite.* Nihil clarius dici poterat. Vana autem effugia Protestantium refutata reperies apud *Bellarminum Lib. III. de Verbo Dei Cap.* 4. Ergo etc.

Prob. III. ex apertissima, et constantissima traditione. A tempore enim Apostolorum per XVIII. Saecula quaecumque ortae sunt de fide, et moribus controversiae, eae, ab Episcopis in Synodos collectis decisae sunt, et rebelles anathemate perculsi. Quem morem ipsi Apostoli servarunt, qui controversiam de legalibus in Concilio Jerosolymitano finierunt; suamque definitionem pronunciarunt, tamquam sententiam Spiritus S. *Visum est Spiritui S., et nobis. Act.* XV. 28. Ergo.

Prob. IV. Accedit, quod si Ecclesia non esset supremus judex, et interpres fidei, et morum, nutaret etiam Scriptura, et Traditio. Pulchre *Augustinus Lib.*

Lib. cont. Epist. fundam. cap. 5. *Quibus ego obtemperavi dicentibus, credite Evangelio; cur eis non obtemperem dicentibus mihi: noli credere Manichaeo,* Socino, Luthero, Calvino etc.? *Infirmabis forte mihi catholicorum auctoritatem, qua infirmata, jam nec Evangelio credere potero, qui per eos illi credideram?*

Prob. V. Denique idem probari potest ex refutatione aliarum sententiarum. Si enim neque Scriptura, neque privatus Spiritus est controversiarum judex; nullus alius remanet, nisi Ecclesia, alioquin finiri nullo modo possent controversiae fidei, et inutilis foret divina revelatio.

Objic. Nemo judex est in caussa propria; atqui aliquando ab haereticis movetur controversia contra ipsam Ecclesiam, utrum scilicet illa sit vera Ecclesia Christi, sicut fiebat a Protestantibus contra Ecclesiam Romanam. Ergo in his controversiis Ecclesia judex non est.

℟. *Dist. maj.* Si sit judex supremus, *neg.* in unaquaque enim societate summi imperantes etiam in caussa propria judicant. Si sit judex inferior, *subdist.* Si ex proprio ingenio, et affectu judicare debet. *conc.* Si a Spiritu S. regatur *in judicando*, sicut regitur Ecclesia ex Christi promissionibus, *neg.* Si vero haeretici litem moveant, quaenam sit vera Ecclesia Christi, facile ex notis Ecclesiae convinci possunt, eam esse solam Ecclesiam Romanam; caeci autem sunt, qui eam non vident.

Scholion.

Ex iis, quae supra posita sunt, manifestum est, Ecclesiam non novam accipere, et proponere revelationem, cum aliquid definit, sed explicare clarius, quod antea obscurius credebatur. Tota enim revelatio Apostolis, et Ecclesiae primitus facta est: sed quia ob humanam infirmitatem aliquando multi fideles dubitant, quid de aliqua controversia revelaverit Deus; hanc dubitationem Ecclesiae definitio, seu potius declaratio e medio tollit, ut fuse Vincentius Lirinensis *Commonit.* I. *Cap.* 32. exponit.

PROPOSITIO II.

Ecclesia est judex infallibilis in factis mere dogmaticis.

Prob. Facta dogmatica diximus esse ea, quae negari non possunt, quin simul negetur et dogma, *ex gr.* quod Scriptura, et Traditio praedicent, Verbum esse Patri consubstantiale, est factum dogmaticum, quod si quis neget, etiam neget necesse est ipsum dogma. Ergo non potest Ecclesia esse infallibilis in dogmatibus proponendis, quin simul in hujusmodi factis infallibilis sit; unde haec propositio a priore non differt, atque aeque ad fidem pertinet.

PROPOSITIO III.

In factis simplicibus, quae asseri, et negari possunt, salvis fidei, et morum dogmatis, Ecclesia infallibilis non est.

Prob. I. In hujusmodi factis decidendis Ecclesia utitur adminiculis errori obnoxiis, hominum scilicet testimoniis. Ergo ejus definitio non potest esse ab omni erroris periculo immunis.

Prob. II. Ex consensu omnium Theologorum, quorum longam seriem texuit *Carolus Witasse*, et *Opstraet*. Unum sufficiat citare *Bellarminum*, qui *Lib. IV. de Sum. Pont. Cap.* 2. sic ait: *Conveniunt omnes Catholici, et haeretici, posse Pontificem, etiam ut Pontificem, et cum suo coetu Consiliariorum, vel cum Concilio generali errare in controversiis facti particularibus, quae ex informatione, testimonioque hominum praecipue pendent.*

PRO-

PROPOSITIO IV.

Putandum non est, Ecclesiam unquam falli in definiendis factis mixtis, in quibus falsitas viam sterneret erroribus, qualis est praecipue censura librorum in rebus ad fidem, et bonos mores pertinentibus.

Prob. Ecclesia in suis Pastoribus potestatem a Christo accepit pascendi ejus oves. *Pasce oves meas*: *Joan. XXI.* 17. Ergo putandum non est, Pastores unquam falli in judicando, ubinam sint pascua ovibus noxia. Hujus enim judicii falsitas ovibus ipsis non mediocriter noceret.

Prob. II. Ecclesia omnibus saeculis hujusmodi facta definivit, imo aliquando poenis coercuit eos, qui ejusmodi definitionibus, parere nollent. Sic in Concilio Nicaeno non solum haeresim, sed et personam, et scripta *Arii* damnavit. In Concilio Chalcedonensi non prius admisit *Theodoretum*, quam damnaret non solum haeresim, sed et personam *Nestorii*, quem antea ab errore excusaverat. In Concilio generali V. declaravit, haeresim Nestorii contineri in libris *Theodori Mopsuesteni*, et *Theodoreti* contra *Cyrillum*, et in Epistola *Ibae Edesseni ad Marim Persam*, eaque scripta anathemate damnavit. Haec sunt tria Capitula Concilii V. Ex quibus, aliisque longa serie relatis a *Tournely*, sic conficitur argumentum. Id fideles debent de Ecclesia sentire, quod ab ipsis Ecclesia exigit, alioquin dicendum esset, injuriam fidelibus irrogare Ecclesiam universam, cum id exigit, quod illi facere non tenentur. Atqui Ecclesia hujusmodi facta definiens, exigit a fidelibus; ut hujusmodi definitiones uti veras recipiant. Ergo ipsam unquam falli putandum non est.

Prob. III. Si Ecclesia falleretur in hujusmodi factis *ex. gr.* declarando librum aliquem haeresi infectum; falli posset etiam in damnandis propositionibus a libro avulsis Quid enim aliud est liber, nisi

 mul-

multarum propositionum collectio? Atqui ex demonstratis in *I. Prop.*, et fatentibus catholicis, Ecclesia, in damnandis propositionibus a libro avulsis, falli non potest. Ergo etc. Hinc doctissimus *Norisius Apolog. Monac. Scyth.* loquens de damnatione trium Capitulorum in Concilio V. ait. *Quo judicio demonstratur, in damnandis propositionibus in sensu ab auctoribus intento, non errare Ecclesiam, neque latum ab ea semel judicium posse retractari.*

Dices. Omnes Theologi, qui ante *Jansenium* floruerunt, ingenue professi sunt, falli posse Ecclesiam non solum in factis simplicibus, verum etiam in mixtis. Instar omnium sit *Bellarminus*, qui *Lib. IV. De Rom. Pont. Cap.* 11. loquens de VI. Synodo, quae damnavit Honorium: *Tuto*, inquit, *dicere possumus, hos Patres deceptos ex falsis rumoribus, et non intellectis Honorii Epistolis, immerito cum haereticis connumerasse Honorium.* Ergo.

℞. *Transeat ant.* quod negari posset, cum nemo conceptis verbis asseruisse videatur, Ecclesiam falli posse in expendendo Librorum sensu, sed tantum in factis singularibus, quae ex hominum testimonio judicari debent, ut sunt ea, quae pertinent ad personas vel damnandas, vel absolvendas. Ipse *Bellarminus*, in objectione laudatus, ait, deceptos Patres VI. Synodi in damnanda *Honorii* persona ex falsis rumoribus, atque ex ejus Epistolis, quas putarunt, cum scripsisse mente, atque animo haeretico. Dixi autem *transeat*, quia etsi daremus, scripsisse Theologos, Ecclesiam in hujusmodi factis absolute falli posse, staret adhuc quod in propositione affirmavimus, scilicet non esse putandum, id unquam accidere.

PRO-

PROPOSITIO V.

Nemini privato licet Ecclesiae judicio in factis mixtis reluctari eo pretextu, quod Ecclesia, absolute loquendo, in hujusmodi factis judicandis falli possit.

Prob. I. Si reluctari liceret judicio Superiorum eo praetextu, quod absolute falli possent, universa hominum societas pessum iret. Non audiendi essent parentes, non magistri, non amicorum exposcenda consilia, non magistratibus obtemperandum: imo nullum fieri posset judicium ex testimonio hominum: omnes enim absolute falli possunt. Atqui Ecclesiae judicium longe majoris est ponderis, quam omnia judicia hominum. Ecclesiae enim Pastoribus dictum est: *Qui vos audit, me audit*; et, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus*: Ergo a fortiori non licet Ecclesiae judicio reluctari. Hinc *Petrus Aurelius*: *Consensus*, inquit, *Ecclesiae, etiamsi verbo Dei non contineatur, certitudinem habet omni humana majorem, adeo ut illi obstrepere sit erroneum.* Tum notat, plures haereticos, licet in Conciliis particularibus (quae utique falli possunt) damnatos, ab omnibus fidelibus fuisse rejectos.

Hinc etiam Gregorius M. *Lib. I. Ep.* 24. *Quintum Concilium*, inquit, *pariter veneror, in quo Epistola, quae Ibae dicitur, erroris plena damnatur . . . cunctas, quas praefata veneranda concilia personas respuunt, respuo . . . quia dum universi sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis praesumit aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt.*

Prob. II. In rebus dubiis legitimo Pastori obtemperandum est; inquit enim Bernardus *Lib. de Praecept. et dispens. Cap.* 9. *Ipsum, quem pro Deo habemus, in iis, quae non sunt contra Deum, audire debemus.* Atqui quando Ecclesia de aliquo facto judicavit, quaecumque rationes in contrarium adducantur, ad summum rem efficere possunt dubiam, nisi quis forte adeo insolenter superbus sit, ut putet, se melius rem per-

perspexisse, quam totam Ecclesiam. Ergo in ea dubitatione Ecclesiae obtemperandum est.

Objic. Quando judicium est evidenter falsum, et injustum, obedire non licet. Atqui aliquis, legens *ex. gr.* librum proscriptum, potest evidenter cognoscere, Ecclesiam in ejus Libri damnatione deceptam esse. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Quando judicium est evidenter falsum evidentia vera, *conc.* Falsa, *neg. Dist.* etiam *min.* potest id evidenter cognoscere evidentia falsa, et apparenti, *conc.* Vera, *neg.* Cum enim saepe nos falli contingat in iis, quae evidenter vera videbantur, prudentia exigit, ut judicium nostrum non praeferamus judicio Ecclesiae, cui datum est oves Christi pascere, cui promissus est Spiritus veritatis, quam qui spernit, Deum ipsum spernit. Unde enim oriri potest nostra persuasio, et evidentia, nisi ex insolentissima superbia, qua putamus, nos plus intelligere, quam Ecclesia?

Corollaria.

I. Hinc inferes, multo minus Ecclesiam errare posse in approbanda disciplina, quae ubique terrarum servatur. *Quod enim tota facit Ecclesia, id an sit faciendum, disputare, insolentissimae insaniae est*, inquit Augustinus *Epist. LIV. al. CXVIII.*

II. Ex quo sequitur, etiam putandum non esse, Ecclesiam unquam falli in *canonizatione* Sanctorum. Maximi enim momenti est res haec, in qua credendum non est, Ecclesiam ita a Spiritu Sancto deseri, ut hominem damnatum cultui fidelium exponat.

III. Denique eadem de causa Ecclesia falli non potest in probandis, confirmandisque regulis, ac institutis Ordinum Religiosorum, declarando scilicet, nihil in iis esse institutis Evangelio, bonisque moribus adversum. Utrum autem novum Religiosorum ordinem fundari expediat, non e scientia id solum, sed etiam ex prudentia pendet, variisque temporum, et locorum circumstantiis, factique potius, quam dogmatis quaestio est, ut observat *Melchior Canus Lib. V. Cap. 5.* CA-

CAPUT VIII.

De regimine Ecclesiae.

Adv. DIximus *Cap.* superiori, Ecclesiam in definiendo falli non posse. Sed quoniam intelligi non potest, quandonam definitio aliqua pro legitima Ecclesiae definitione habenda sit, nisi cognoscatur etiam, quale sit ipsius Ecclesiae regimen; ad illud explicandum veniamus, fusis tamen prius ad Patrem luminum enixis precibus, ne nos in re tot controversiis agitata, tantique momenti, a veritate aberrare patiatur.

II. Lutherani, ut Buddeus *Inst. Lib. IV. Cap.* 3. §. 17. Pufendorfius *De habitu relig. Christ. ad vit. Civ.* aliique rident catholicos, eo quod disputent, utrum Ecclesiae regimen sit *monarchicum*, an *aristocraticum*, an denique *democraticum*, cum haec vocabula ad terrenos principatus pertineant; at contra Ecclesiae pastoribus dixerit Christus *Luc. XXII.* 25. *Reges gentium dominantur eorum . . . vos autem non sic*, et alibi *Joan. XVIII.* 36. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Sed fallit eos ratio: cum enim quaerimus, an Ecclesiae regimen sit *ex. gr.* monarchicum, non quaerimus, utrum Ecclesia civilem potestatem habeat, qua potiuntur monarchae, sed utrum potestas illa spiritalis, quam Christus Ecclesiae dedit, resideat in uno, sicut potestas civilis in uno principe residet in regimine monarchico.

III. Calvinistae scinduntur in partes duas, nempe Presbyterianos, et Anglicanos Episcopales. Primi post *Aërium*, et *Wiclefum* docent, presbyteros omnes paris esse inter se potestatis, nec Episcopis jure divino esse minores: quod systema *Dallaeus*, *Blondellus*, *Basnagius*, *Salmasius* toto conatu adstruere moliti sunt. Posteriores vero agnoscunt Episcoporum supra presbyteros jure divino statutam potestatem. Ceterum Protestantes omnes regendae Ecclesiae potestatem aliquo pacto a populo pendere volunt, et

a mo-

a monarchico Ecclesiae regimine valde abhorrent (*a*).

IV. Edmundus Richerius *Lib. de Ecclesiastica et politica potestate*, formam Ecclesiastici regiminis esse docuit quodammodo democraticam, licet, ad declinandam catholicorum offensionem, vocaverit etiam monarchicam, aristocratia temperatam. Statuit enim, Christum potestatem clavium ipsi Ecclesiae dedisse, sed eam potestatem exerceri ab Episcopis, tamquam Ecclesiae ministris; sicut in democratia suprema potestas est penes populum, quae tamen a Magistratibus, tamquam populi ministris, exercetur. Hoc systema statuerat antea *Tostatus* Abulensis *in Cap. XV. Num. Quaest.* 49. illudq. post Richerium avide arripuerunt *Febronius*, *Dupinus* (*b*), aliique. Sed Richerius, agente Cardinali Richelaeo, sententiam retractavit, licet ejus sectatores hanc retractationem vi, metuque extortam fuisse, dictitent. Marc. Antonius de Dominis *De Repub. Eccles. Lib. I.* docet, regimen Ecclesiae esse Aristocraticum, sed democratia quadam temperatum. Quidam *Joan. Sarazin* absolute monarchicum statuit, ita ut *omnes potestates Ecclesiae sint a Papa quantum ad institutionem, et collationem*; quam sententiam olim *Turrecramata*, *Cajetanus*, mox P. *Laynez* cum nonnullis aliis Theologis in Concilio Tridentino, cum Episcoporum indignatione, propugna-

(a) Mirum est *Laurentii Moshemii* systema, seu potius fabula. Ait enim, principio Ecclesiae regimen fuisse democraticum; mox Presbyteros, seu seniores paulatim omnia ad se traxisse, atque imminuisse privilegia populi, ita ut regimen evaserit Aristocraticum. Tandem inter ipsos Presbyteros unum Episcopum usurpasse principatum. Hoc systema ipsimet haeretici solide confutarunt. *Beveregius* in *Observationibus in Canones Ecclesiae primitivae Lib. II. Cap.* 1. Pearson in *Vindiciis Ignatianis Part. II. Cap.* 13. Cotelerius *in Epist. Ignat.* e nostris vero Petavius *De Ecclesiast. Hierarchia*, *Natalis Alexand. Dissert XLIV. in Hist. Eccl. Saec. IV.* Carolus Witasse *De Sacram. Ord.*

(b) *Febronius* Lib. de Statu Ecclesiae, *Tom. I. Cap I.* §. 2. *n.* 6. *Dupin Dissert. VI. De Antiqua Eccles. Discipl.* §. 1. *n.* 24.

gnavit. Vide *Pallavicinum in Hist. Conc. Trid.* Bellarminus *Lib. I. de Rom. Pont. Cap.* 1. statuit, esse monarchicum, aristocratia temperatum; quae communior sententia Catholicorum est.

PROPOSITIO I.

Potestas regendi, et pascendi non est a Christo data immediate ipsi Ecclesiae communitati, sed Pastoribus.

Prob. I. *ex Scriptura.* 1.° Christus *Matth. XXVIII.* 18. solis Apostolis dixit: *Data est mihi omnis potestas in Caelo et in terra: Euntes ergo docete omnes gentes, etc.* Ergo non immediate ipsi Ecclesiae communitati, sed Apostolis, eorumque successoribus potestas a Christo data est.

2.° *Confirmatur.* Christus citato loco Apostolos, eorumque successores constituit Magistros, et Doctores Ecclesiae, per eos colligendae. At absurdum est, Magistrum accipere potestatem docendi a discipulis, qui nondum existunt, sed adhuc colligendi sunt, et non potius immediate ab eo, a quo constituitur Magister. Ergo.

3.° Praeterea ipse Christus *Joan. XXI. et seq.* Petro dixit: *Pasce agnos meos; pasce oves meas*: Petrus autem *Epist. I. Cap. V.* 2. omnibus Ecclesiae Pastoribus scribit: *Pascite, qui in vobis est gregem Dei*: et Apostolus. *Act. XX.* 28. *Attendite vobis, et universo gregi*: imo saepissime in Evangelio Communitas Ecclesiae vocatur *grex Christi, ovile Christi*; Atqui absurdum est, potestatem pascendi non a domino gregis Pastoribus immediate dari, sed ipsis ovibus, quorum natura est, ut pascantur, non ut pascant. Ergo etc.

4.° Accedit, quod Apostolus *I. Cor. XII. et Ephes. V.* Ecclesiam describit ut corpus, in quo varia membra ab ipso Deo per electionem, et vocationem suam posita sunt, quorum alia praesunt, alia subsunt. Ergo potestas praesidendi, et regendi data est divinitus immediate iis membris, quibus datum est praesse, et regere, non iis, qui subesse, et regi concessum est.

5. De-

5.° Denique quid clarius iis Christi verbis *Matth. XVI.* 18. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, et *Tibi dabo claves Regni caelorum*? Igitur si Christus potestatem αμεσως dedisset Ecclesiae communitati, non dixisset Petro, *tibi dabo claves*, sed *Ecclesiae dabo claves*. Atqui etc. Ergo etc.

Prob. II. ex Traditione, scilicet ex testimonio Patrum, qui dicunt Episcopos *immediate* a Christo potestatem suam habere, quos infra citabimus.

Solvuntur Objecta.

Objic. Augustinus *Serm. XVI. de divers.* ait: *Petrus multis in locis Scripturae personam gestat Ecclesiae, maxime illo in loco, ubi dictum est: tibi dabo claves Regni caelorum.* Ideo saepe repetit Augustinus, claves datas esse Ecclesiae, ut *Serm. I. de Verb. Dom. Tract. L. in Joan. et alibi.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Claves enim datas esse Ecclesiae, *Augustinus*, aliique Patres ideo docent, quia potestas non data est a Christo Apostolis, ut singularibus personis, ita ut cum ipsis peritura esset: sed ut semper in Ecclesia duraret, scilicet transmissa successoribus Apostolorum in commodum Ecclesiae, sicut cum dicimus, Ecclesiam habere potestatem dimittendi peccata, non intelligimus, potestatem hanc esse in Ecclesiae communitate, sed in sacerdotibus ad utilitatem Ecclesiae. Uno verbo; sicut dicimus, corpus humanum habere cerebrum, quia cerebrum est in capite, sic dicimus Ecclesiam habuisse a Christo potestatem, quam ejus Pastores habuerunt.

Inst. Defuncto Petro, potestas clavium in Ecclesia remansit. Ergo Ecclesiae primario loco αμεσως data erat.

℟. *Dist. ant.* Remansit in Ecclesia, hoc est in Ecclesiae communitate, *neg.* in Ecclesia, h. e. in pastoribus Ecclesiae, Petro inferioribus, *Subdist.* remansit potestas, nulli superiori obnoxia, *neg.* Pendens a successore eligendo, cui ipse Christus sua promissione, primaque institutione potestatem Petri communicat, *conc.*

PRO-

PROPOSITIO II.

Singuli Apostoli, eorumque successores Episcopi immediate a Christo potestatem regendae Ecclesiae habuerunt.

Prob. I. Christus *Matth. XXVIII.* 19. omnibus Apostolis dixit: *Euntes docete omnes gentes etc.* et *Matth. XVI.* 15. *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae*, et *Joan. XX.* 21. *sicut misit me Pater, et ego mitto vos*: Paulus etiam docet, se esse Apostolum *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem. Galat. I.* 1. Sed Episcopos Apostolorum successores esse, omnes Patres docent. Cyprianus *Epist. LXIX. Christus*, inquit, *dicit ad Apostolos, ac per hos ad omnes Praepositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt.* Hieronymus *Epist. LIV. Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent.* Idem docet Augustinus *in Ps. XLIV. Gregorius M.* aliique; imo et ipsum Conc. Tridentinum *Sess. XXIII. Cap.* 4. *et can.* 6. Ergo. Vide *Thomassinum P. I. Lib. I. Cap.* 60.

Merito igitur Parisiensis facultas ad palinodiam compulit *Joannem Sarrasinum, Nicolaum Quadrigarium, Joannem Munerium*, qui contrariam doctrinam expositis thesibus propugnaverant.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Optatus Milevitanus *Lib. VII. cont. Parmenian.* ait: *Bono unitatis B. Petrus, cui satis erat, si, postquam negavit, solum veniam consequeretur, et praeferri omnibus Apostolis meruit, et claves Regni caelorum communicandas ceteris solus accepit.* Ergo omnes Apostoli non acceperunt αμεσως potestatem a Christo, sed a Petro.

℞° *Neg. cons.* Non enim ait *Optatus*, claves communicandas ceteris *a Petro*; possumus ergo eum ita commode interpretari, ut non adversetur claris Scripturae, et aliorum Patrum testimoniis: scilicet *B. Pe-*

PROPOSITIO III

Romanus Pontifex jure divino habet super omnes Episcopos primatum non solum honoris, sed etiam jurisdictionis. Est dogma fidei.

In hanc thesim haeretici omnes, et schismatici, licet in ceteris inter se discordes, vesano furore debacchantur. Ut ceteros praetermittam, *Waldenses* sedem Romanam *purpuratam meretricem* appellabant. *Lutherani*, et *Calvinistae* post *Wiclefum* solium Antichristi vocant, ipsumque Pontificem docent esse Antichristum. Graeci Schismatici Constantinopolitanum Episcopum, quem paulatim ab ann. CCCLXXXI. in Concilio Constant. contra canones extollere coeperant, et in Calcedonensi parem quodammodo fecerant Romano Pontifici; volunt esse primum, et universalem Episcopum. Rom. vero Pontificem esse schismaticum, imo et haereticum propter additam Symbolo particulam *Filioque*.

Prob. prop. unico syllogismo. Petrus a Christo super omnes Apostolos accepit primatum non solum honoris, sed etiam jurisdictionis. Atqui Romanus Pontifex Petro succedit non solum in Episcopatu, verum etiam in primatu. Ergo etc. Utraque ex *praemissis* negatur ab haereticis.

Prob. itaque *major*. I. ex Scriptura. *Matth. XVI.* 18. cum Petrus, tacentibus ceteris Apostolis, Christo interroganti respondisset: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, respondit Christus: *Et ego dico tibi, quia Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni caelorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* Atqui ridiculum est asserere, per verba tam gravia, tantamque emphasim nihil Petro datum prae ceteris Apostolis. Ergo.

2.° Christus *Joann. XXI.* 15. cum Petrum interrogasset, utrum eum plusquam ceteri diligeret, subdit, *pa-*

pasce agnos meos, *pasce oves meas.* Atqui frustra majorem dilectionem exegisset, si non donasset altiorem principatum, qui satis exprimitur per verba illa *pasce agnos*, *h. e.* fideles, *pasce oves*, *h. e.* ipsos Episcopos, qui sunt respectu fidelium, sicut oves respectu agnorum. Ergo.

3.° Quoties Evangelistae Apostolos enumerant, semper Petrum nominant *primum*, vel primo loco. *Matth. X.* 2. *Apostolorum nomina haec sunt: primus Simon, qui dicitur Petrus.* Similia habes *Marc. III.* 16. *Luc. VI.* 14. *Act. I.* 13. Atqui hoc non accidit, quia Petrus esset senior, vel prior ad Apostolatum vocatus, vel plus ceteris dilectus a Christo. Nam ex Evangelio constat, Andraeam vocatum fuisse primum: ex *Epiphanio* habemus, ipsum Andraeam fuisse ceteris seniorem, *Haeresi* LI. ex Evangelio Joannis constat, ipsum Joannem propter virginitatis praerogativam fuisse plus ceteris dilectum, ita ut per antonomasiam diceretur *discipulus, quem diligebat Jesus, Joan. XXI.* 7. Ergo primus inter Apostolos recensetur Petrus propter primatum, quem a Christo accepit.

4.° Ille primatum honoris, et jurisdictionis habuit a Christo, qui ejus primatus actus exercuit. Atqui Petrus id fecit. Nam ipse prior proponit in concilio discipulorum electionem alterius Apostoli loco *Judae*: ipse prior die Pentecostes Evangelium praedicat, ipse prior Gentiles in Ecclesiam admittit, ipse prior in Concilio Jerosolymitano de observatione legalium sententiam dicit. Ergo.

Prob. II. ex Traditione. 1.° Ex PP. Graecis. Basilius *Serm. de Judicio Dei*, de Petro ait: *Ille beatus, qui ceteris praelatus discipulis fuit.* Epiphanius *Haeresi LI. Petrum elegit Christus, ut dux esset discipulorum.* Chrysostomus *Hom. XIV. in Joan. Deus solus concedere potest, ut futura Ecclesia ..... immobilis maneat, cujus Pastor, et caput est homo piscator.* Idem saepissime repetit, et inculcat aliis in locis, ut *Homil. LV. in Matth.* et *alibi* (a).

3.° Ex

(a) Adde Originem *Hom. V. in Exod.* et in *Epist. ad Rom.*

2.° Ex Latinis. 1.° Ambrosius *in Cap. XII. Ep. 2. Cor. Primatum*, inquit, *non accepit Andraeas, sed Petrus*. 2.° Hieronymus *Lib. I. cont. Jovin. Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio*. 3.° Leo M. *Serm*. 3. *de Assumtione sua ad Pontif. De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus*. 4.° Augustinus *Serm. XV. De Sanctis. Petrum itaque fundamentum Ecclesiae Dominus nominavit, et ideo digne fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici aedificii altitudo consurgit* (*a*). Innumera alia PP. loca vide apud Nat. Alexandrum *Dissert. IV. in Hist. Eccl. Saec.* I.. Bellarminum *toto lib. I. de Rom. Pont.* et alios (*b*).

Prob. min. ex perpetua Traditione. 1.° Patres uno ore docent, Romanos Pontifices esse Petri successores. Cyprianus *Epist. LII. ad Antonian. Factus est*, inquit, *Cornelius Episcopus, cum Fabiani locus, idest cum locus Petri, et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret.*. Optatus *Lib. II. cont. Parmen. Sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens* . . . . . et post enumeratam seriem Pontificum; *Liberio Damasus, Damaso Syricius, qui noster est socius*. Idem fecit Augustinus *Epist. LIII. al. CLXV. ad Generosum*, deducens Pontificum seriem a Petro usque ad Anastasium: *Petro successit Linus, Lino Clemens etc.* . . . *Syricio Anastasius .... qui nunc super eandem Cathedram sedet*. Hieronymus *Ep. XIV. ad Damas. Cum successore piscatoris loquor* . . . . . *Beatitudini tuae, idest*

Rom. Nazianzenum *Orat. De Moderat. serv.* Cyrillum *Lib. II. Cap. 2. in Joan.* Theophilactum *in Cap. XXII. Luc.* Euthymium *in Cap. XVI. Matth.*

(a) Adde Tertullianum *Lib. de Praescript.* Cyprianum, *Epist. ad Quintum, et alibi saepe.* Hilarius *in Cap. XVI. Matth.* Augustinum *Serm. XV. De Sanctis, et Psalm. cont. pars. Donat.* Paulinum *Epist. IV. ad Severum.* Gregorium M. *Lib. VI. Epist. 37. ad Eulog.* et alios.

(b) In Bibliotecha Roccaberti.

idest cathedrae Petri communione consocior. Unde patet impudentia *Ulrici Veleni* Lutherani, qui integro libro contra omnium veterum fidem asseruit, Petrum nunquam Romae fuisse; nec non Calvini *Lib. IV. Instit. Cap.* 6. §. 15. qui docet, Petrum fuisse quidem Romae, sed non ut Episcopum. Quae somnia qui fusius confutare vellet, frustra tempore abuteretur. Vide, si lubet, Bellarminum *Lib. II. De Rom. Pont. a Cap.* 1. *ad* 12. *et Nicolaum Pallavicinum* singulari opere de hoc argumento.

2.° Patres, Romanam sedem primatum habere, semper docuerunt. Irenaeus *Lib. III Cap.* 3. *Ad hanc*, inquit, *Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles.* Cyprianus *Epist. LV. Navigare audent ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem.* Augustinus *Epist. XLIII. In Romana Ecclesia se per Apostolicae cathedrae viguit principatus.* Prosper *Carm. de Ingrat. Cap.* 2. *Sedes Roma Petri, quae Pastoralis honoris Facta caput mundi, quidquid non possidet armis, Religione tenet.*

3.° Iidem Patres affirmant, ad Rom. Pontificem appellari posse a judicio synodorum, ad eumque pertinere etiam causas Ecclesiae majores: quae duo in Jure Canonico tractantur uberius. Ergo ex constanti traditione Romanus Pontifex habet in Ecclesia universa primatum non solum honoris, sed etiam jurisdictionis (*a*). Unde merito Concilium Florentinum, praesentibus etiam, et suffragantibus Graecis, *Sess. VI.* definivit, *Sanctam Apostolicam sedem, et Rom. Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Rom. Pontificem successorem esse B. Petri prin-*

(a) Vide aliorum Patrum testimonia apud Bellarminum, et alios supra laudatos, quae omnia recitare non patitur instituti brevitas. Loca sunt Athanasii *Apolog. II. et Epist. ad Felicem P.* Basilii *Epist. LII. ad Athanas* Cyrilli Alex. *Epist. X XI et XVIII.* Sozomeni *Lib. III. Cap.* 9. Optati *Lib III. Con. Parm.* Ambrosii *in Cap.* 3. 1. *ad Tim.* Lirinensis *in Commonit.* Bedae *Lib. II. Hist.* Cassiodori *Lib. XI. Epist.* 2. Anselmi *Lib. II. de Incarn. Cap.* Bernardi *Lib. II. de Consid. et aliorum.*

principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem, et Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse: quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum, et in Sacris canonibus continetur, ut constat ex Concilio Nicaeno, Constantinopolitano I., Ephesino, Chalcedonensi, Lateranensi IV. Instar omnium sit Chalcedonense Concilium, in quo *Act.* I. Leo M. dicitur *Apostolicum thronum gubernare*, sedesque Romana *Caput omnium Ecclesiarum*. Et *Act. II.* cum Epistola *Leonis* lecta esset, Patres omnes adclamarunt: *Anathema, qui ita non credit: Petrus per Leonem locutus est.* Item *Act. III. de Dioscoro* Alexandrino Patriarcha, quem *Leo* damnaverat, inquiunt: *Sanctissimus Archiepiscopus magnae Romae una cum ter beatissimo Petro, qui est petra, et crepido catholicae Ecclesiae, et ille qui est rectae fidei fundamentum, nudavit eum episcopatus dignitate.* Quid poterat dici luculentius, et gravius? Ergo etc.

Solvuntur Objectiones.

Novatores, saltem numero objectionum, quamvis ineptarum vincere se posse, existimantes, tam multa congerunt contra primatum Papae, ut ea hic complecti omnia, nec vacet, nec juvet. Post ea, quae *Nilus Thessalonicensis*, *Lutherus*, *Melancton*, *Calvinus*, *Brentius*, *Illyricus*, aliique scripserant; *Claudius Salmasius* octo integros Libros contra Papae primatum evomuit. Praecipua argumenta dissolvemus.

Objic. I. Petrus non habuit a Christo primatum jurisdictionis. Nam verba illa *Matth. XVI. Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, non intelliguntur a Patribus de Petro, sed de Christo, qui est *Petra I. Cor. X.* 4. *et fundamentum*, praeter quod nemo potest aliud ponere I. *Cor. III.* 11. vel de professione divinitatis Christi. Hinc Hilarius *Lib. VI. de Trin.* verba illa *super hanc petram aedificabo etc.* sic explicat: *super hanc confessionis petram.* Et Cyrillus Alex. *Lib. IV. de*

 Trin.

Trin. Petram, inquit, *opinor nihil aliud*, *quam inconcussam discipuli fidem.* Similia docent Augustinus *Lib. I. Retract. Cap.* 21. Chrysostomus *Homil. LV. in Matth.* aliique. Ergo.

R. Neg. ant. Ad confirm. Dist. ant. Intelliguntur de Christo, non excluso Petro, *conc.* Excluso Petro, *subdist.* si nomine *petrae* intelligatur *primarium* Ecclesiae fundamentum, *conc.* si intelligatur utrumque *primarium*, et *secundarium*, *neg.* Solutionem suppeditat nobis ipse Apostolus *Paulus*, qui *I. Cor. III.* 11. ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere*, *praeter id quod positum est*, *quod est Christus Jesus*: et tamen idem Apostolus scribens ad Ephesios *Cap. II.* v. 20. ait: *Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* Quod utique intelligendum est de fundamento *secundario*, cum *primarium* sit ipse Christus, praeter quod nemo potest aliud fundamentum ponere.

Simili ergo ratione Patres ajunt, petram seu fundamentum primarium esse ipsum Christum, sed non negant, imo asserunt, etiam Petrum esse fundamentum secundarium; jam enim a tempore *Augustini* cantabatur in Ecclesia illud Ambrosii; *hoc*, *ipsa petra Ecclesiae*, *canente*, *culpam diluit.* Ita Leo M. *cit. Serm. III.* explicans verba Christi ait: *Ego fundamentum praeter quod aliud nemo potest ponere*; *tamen tu quoque petra es*, *quia mea virtute solidaris*, *ut quae mihi potestate sunt propria*, *sint tibi mecum participatione communia.* Et quia hanc praerogativam meruit Petrus admirabili confessione; et fide divinitatis Christi, ideo docent Patres, Ecclesiam aedificatam esse super fidei confessionem, super quam fundatus erat ipse Petrus. *Super me aedificabo te*, *non me super te*, inquit Augustinus *Serm. LXXVI. al. XIII. De Verb. Dom.*

Inst. Augustinus *Lib. I. Retract. Cap.* 21. retractat quod alibi scripserat, nempe verba illa *super hanc petram* intelligi de ipso Petro, et docet, intelligenda de Christo. Ergo Petrum excludit.

R. Dist. ant. Retractat, absolute rejiciendo priorem interpretationem, quae est ad litteram, *neg.* Retractat, novam iterpretationem adjiciendo, non reje-

jecta priori; *conc.* Non omnia enim, quae Augustinus retractat, rejicit; sed multa iterum tractat ad meliorem rei explicationem, quod proprie Latini *retractare* dicunt. Genuinus ergo sensus ejus loci *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, hic est: Tu es Petra (hoc enim significat Syriacum nomen *Cephas*, licet Latinus, et Graecus interpres masculino genere dixerit Petrum) et super hanc petram, *h. e* super te aedificabo Ecclesiam meam. Non enim recto sensu, atque ad litteram dicere poterat: *dico tibi, quia tu es Petra, et super me aedificabo Ecclesiam meam.* Patres tamen laudata verba extenderunt ad Christum, qui Petra est sine ulla dubitatione principalis. En verba Augustini *loc. cit. Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo, tamquam in petra, fundata esset Ecclesia, qui sensus cantatur in ore multorum ex versibus B. Ambrosii: hoc, ipsa petra Ecclesiae, canente, culpam diluit* (Ecce non reprobat hanc interpretationem, quam agnoscit esse Ambrosii, et cantari in Ecclesia). *Sed scio, me postea saepissime sic exposuisse, ut super hanc petram intelligeretur, quem Petrus confessus est.*

Objic. II. Omnibus Apostolis pariter dictum est a Chriso: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelis*: *Matth. XVIII.* 18. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Joan. XX.* 21. Unde Paulus ait, fideles superaedificatos esse super *fundamentum Apostolorum*; et Cyprianus *Lib. De Unit. Eccl*: *Hoc erant utique ceteri Apostoli, quod fuit et Petrus.* Imo ipse *Leo M. cit. Ser. III.* in ea verba: *tibi dabo claves*, inquit: *Transivit quidem etiam in alios Apostolos jus potestatis istius, et ad omnes Ecclesiae principes decreti hujus constitutio commeavit.* Ergo Petrus non habuit super Apostolos primatum jurisdictionis.

R. *Dist. ant.* Omnibus Apostolis dictum est a Christo *quaecumque alligaveritis etc.* omnibus, inquam, sub Petro eorum capite, sive, ut Scholae ajunt, *salva subordinatione* ad Petrum omnium caput, *conc.* Secus, *neg.* Hac distinctione explicantur omnes textus in objectione recitati. Unde Cyprianus *loc. cit.* ait: *Super illum unum aedificavit Christus Ecclesiam*

suam, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus, post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat . . . . tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem, ab uno incipientem, sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique ceteri Apostoli, quod fuit et Petrus, pari consortio praediti honoris, et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur . . . . Primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur . . , Ecclesia Domini ramos suos in universam terram copia suae ubertatis extendit: unum tamen caput est, et origo una. Similia loquitur. *Leo M.*

Inst. Saltem negari non potest, *Paulum* omnino aequalem fuisse *Petro*. Nam 1°. ipse Paulus *Galat. II. 7.* ait: *Creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut Petro circumcisionis*, et *ibid. v.* 11. *cum venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Et *II. Cor. XI.* 28. *instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.* 2°. *Petrus de Marca Exercit. de singulari Primatu Petri* docet, Petrum simul, et Paulum fuisse Romae Episcopos, tum quia R. Pontifices aliquando successores se Petri, et Pauli esse dicunt, tum quia in eorum Bullis plumbeis apparet imago Petri simul, et Pauli, et quidem Pauli imago ad dexteram Petri. Idem docuerat Arualdus in *Lib. de frequ. commun.*; ubi Petrum, et Paulum dicit, fuisse duo Ecclesiae capita, quae unum caput morale efficerent. Ergo.

℞. *Neg. ant.* et *ad* 1. *resp.* omnes Apostolos habuisse *sollicitudinem omnium Ecclesiarum*, quia in omnem terram missi sunt, sed instinctu Spiritus S. divisae provinciae; sicut *Petro* praecipue Iudaei, *Paulo* praecipue gentiles, obtigerunt. Hoc tamen non obstabat, quin et *Paulus* Judaeis, et *Petrus* gentilibus praedicaret. Verum licet *Paulus*, aliique Apostoli omnium Ecclesiarum sollicitudinem haberent; omnes tamen Petro ut capiti subjecti erant. Correptio autem, qua Paulus Petrum redarguit, non ex auctoritate, sed ex fraterna charitate profecta est, qualis adhiberi etiam potest, salvo tamen obsequio, ac reverentia, ab inferiore erga superiorem; nec aliud ostendit, nisi exemplum sanctae libertatis in Paulo,

et magnae humilitatis in Petro. Adposite *Augustinus Epist. LXXXII. al. XIX.* *Rarius*, inquit, *et sanctius exemplum Petrus praebuit posteris; quo non dedignarentur a posterioribus corrigi; quam Paulus, quo confidenter auderent minores majoribus pro defendenda veritate, salva charitate; obsistere.*

Ad 2. Sententia *Petri de Marca* stare non potest. Veteres enim, quoties de Romano Episcopatu proprie loquuntur, uni Petro illum adjudicant. Sed quia Paulus comes ejus in fundanda Romana Ecclesia fuit, ideo aliquando veteres utrumque Romae Episcopum sive Apostolum fuisse scribunt, et Romani Pontifices successores se appellant etiam Pauli non in Romano Episcopatu; sed in munere Apostolico. Imago autem Pauli ad dexteram Petri, si quid probaret, nimis probaret, scilicet Paulum fuisse Petro majorem. Itaque imago Pauli aliquando ad dexteram, aliquando ad laevam Petri cernitur, ad designandam aequalitatem Apostolatus. Fortasse aliquando collocata est ad dexteram, vel quia apud veteres, qui amicitia arctiori juncti erant, sinistrum locum tamquam honoratiorem dabant digniori, vel quia, ut advertit ipse *P. de Marca*, imago, quae respectu videntis est ad dexteram, respectu ipsius imaginis ad sinistram est.

Ad 3. Absurdum est, et monstrosum, imo Scripturis, et traditioni contrarium asserere duo Ecclesiae capita. Ceterum etiam in sententia *Petri de Marca*, et *Arnaldi*, staret primatus R. Pontificis. Nam licet *Petrus de Marca* Paulum cum Petro Episcopum Romanum faciat; fatetur tamen, primatum fuisse in uno Petro. *Arnaldus* vero licet duo capita constituat *physica*, fatetur tamen, ea constituisse caput unum morale, cui R. Pontifex succedit.

Objic. III. Incertum est, utrum *Petrus* Romae fuerit, ibique Episcopus sederit, et martyr obierit. Nam 1.° Quo tempore Petrus Romam venerit, valde obscurum est, variantque ea in re veteres. 2.° Paulus scribens ad Romanos, licet multos fratres salutandos jubeat, de Petro silet, et in Epistola, quam Roma scribit ad *Timotheum II. Tim. IV.* ait,

se ab omnibus fuisse derelictum; ac proinde non erat ibi Petrus. Ita *Velenus*, *Illyricus*, *Salmasius*, aliique Protestantes, quos non mirum est, impiissimum, et procacissimum *Volterum* secutum esse.

℟. *Neg. ant.* Si enim negemus, Petrum Romae Episcopum, et martyrem obiisse, nutabit omnis historiae Sacrae, et profanae fides; nulla enim est historia, quae pluribus, et gravioribus nitatur testibus, quam historia Episcopatus, et martyrii *Petri Romae*, ut ipsi fatentur moderatiores haeretici.

Ad 1. *resp.* licet chronologia sit incerta, quod accidit etiam saepe in profanis historiis, non ideo tamen facti veritas nutat.

Ad 2. Petrus non ita Romae affixus esse potuit, ut non per finitimas urbes excurreret, praedicans Evangelium. Cum ergo Paulus scripsit ad Timotheum, Petrus fortasse Romae non erat, aut nihil Paulum juvare potuit. Cum autem scripsit ad Romanos, Petrus certe Roma exulabat, propter edictum *Claudii* Imperatoris, qui circa finem imperii sui Judaeos omnes Roma expulit, ut testatur Suetonius *in Claudio cap.* 25. et Lucas *Act. XVIII.* 2. eo ipso enim tempore scripta est Epistola ad Romanos, cum scilicet Paulus jam profecturus esset Jerosolymam, *Rom. XV.* 25. ubi comprehensus a Judaeis, perductus est ad tribunal *Felicis*, qui Judaeae praefuit circa finem imperii *Claudii.*

Objic. IV. Cyprianus *Epist. ad Quintum* videtur omnem primatum R. Pontifici abjudicare: Ait enim: *Neque quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, cum habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, et potestatis suae arbitrium proprium, tamquam judicari ab alio non possit, cum nec ipse possit alium judicare.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* Longe enim abest a mente Cypriani, ut nullus Episcopus alteri subsit, ac judicari possit, cum in Epist. ad *Stephanum* roget S. Pontificem, ut jubeat deponi Marcianum Episcopum Arelatensem, et alium institui, et in *Lib. de Unit. Ecclesiae* tam magnifice loquatur de primatu Petri.

Ad confirm. ℟. *dist. ant.* Nemo se constituit Episco-

scopum Episcoporum, non potest ab alio judicari etc. in rebus, quae non sunt contra fidem, et bonos mores, *conc.* in iis, quae fidei, et bonis moribus adversantur, *neg.* Putabat itaque *Cyprianus*, disciplinam, quae vigebat in Africa ab aliquot annis, repetendi scilicet baptismum datum ab haereticis, non esse fidei contrariam, sed consentaneam; ac proinde unumquemque Episcopum posse eam sequi. Ideo conqueritur *Cyprianus*, *Stephanum* Papam eam ob causam minatum esse excommunicationem Episcopis Africanis, si ab ea consuetudine non recederent. Qua in re decipiebatur *Cyprianus*: eum tamen excusat saepe *Augustinus*, eo quod haec controversia ipsi tunc obscura esset, necdum ab universa Ecclesia definita; et si quid contra *Stephanum* Papam in ipso controversiae aestu peccavit, id martyrio eluerit.

Objic. V. Hyeronimus *Epist. ad Evagr.* ait: *Ubicumque fuerit Episcopus sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriae, ejusdem meriti est, et ejusdem Sacerdotii.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Ejusdem est Sacerdotii, quoad potestatem ordinis, *conc.* quoad potestatem jurisdictionis primatui adnexam, quam *Hyeronimus* agnoscit, et mirifice extollit, praesertim in laudata Epistola *ad Damasum*, *neg.* Reprehendit ergo *Hieronymus* superbiam diaconorum Ecclesiae Romanae, qui ideo supra Episcopos ipsos extollebantur, quod proximi adstarent R. Pontifici.

Objic. VI. R. Pontificis primatus oritur ex Canonibus, et consuetudine Ecclesiastica. Ait enim Concilium Nicaenum *Can. VI. Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam, et Pentapolim ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et Urbis Romae Episcopo parilis mos est.* Et Concilium Chalcedonense *Can. XXVIII. Antiquae Romae throno, quod Urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Oritur ex lege Ecclesiastica quoad jura *Patriarchalia*, *conc.* quoad ipsum primatum in tota Ecclesia, *neg.* Concilia Nicaenum, et Chalcedo-

donense comparant Romanum Pontificem cum Patriarchis Orientis, atque ideo de solis Patriarchalibus juribus loquuntur. Igitur R. Pontifex considerari potest vel ut Episcopus urbis Romae, vel ut Metropolitanus suae provinciae, vel ut Patriarcha totius Occidentis, aut saltem Provinciarum suburbicariarum, ut explicat Ruffinus *Lib. I. Hist. cap.* 6. quae Praefecto Urbis suberant, vel ut caput totius Ecclesiae. Ejus jura, tamquam Ecclesiae Capitis, sunt ex institutione divina: jura autem Metropolitica, et Patriarchalia, ex dispositione canonum, vel antiquae consuetudinis, quae dioecesim cujusque Episcopi terminavit. Ceterum Canon XXVIII. Chalcedonensis non fuit a Concilio editus, sed, absoluto Concilio, adjectus a Graecis ambitu *Anatolii* Episcopi Constantinopolitani, absentibus legatis R. Pontificis, qui ei Canoni contradixit; quia aliorum Patriarcharum Orientis jura minuebat contra Canones Nicaenos, nec Romana sedes, nisi studio pacis, multis postannis eum canonem, apud Graecos consuetudine roboratum, servari permisit.

Quaenam ergo, inquies, sunt jura R. Pontificis *Metropolitica*, quaenam *Patriarchalia*; quaenam denique ipsi, ut Capiti Ecclesiae, conveniunt?

℟. Omissis juribus Metropoliticis, et Patriarchalibus, de quibus in jure Canonico disputatur, jura primatus ea sunt, sine quibus obtineri nequit finis, ob quem statutum est Ecclesiae Caput. Finis autem ille est, *ut Ecclesia una monstretur*, teste *Cypriano*; *ut unitas servaretur*, teste *Optato*; *ut capite constituto, schismatis tollatur occasio*, teste *Hieronymo*. Cum ergo Ecclesiae unitas sita sit in unitate fidei, et regiminis, sequitur, ad Romanum Pontificem pertinere, 1°. definire controversias fidei, ut fecerunt *Stephanus* in caussa baptismi haereticorum, *Zosimus* in caussa Pelagianorum, *Leo M.* in caussa Eutychianorum etc. 2°. Constitutiones edere ad servandam, vel reparandam Ecclesiae disciplinam. 3°. Episcopis per vim contra canones oppressis, aut depositis, et ad eum appellantibus, opem ferre. 4°. OEcumenica Concilia, quando opus fuerit, indicere, iisque praesidere, et eadem

eadem, postquam absoluta sunt, adprobare, et confirmare; et in aliquibus Canonibus aliquando pro bono Ecclesiae *dispensare*.

Objic. VII. Si Pontifex in universa Ecclesia primatum haberet., ab omnibus posset ad eum appellari in caussis Ecclesiasticis. Atqui falsum *consequens*. Ergo etc.

Prob. min. 1°. Marcion ab Episcopo suo excommunicatus Romam venit, ut Ecclesiasticae communioni restitueretur. Ei tamen responsum est, non posse R. Ecclesiam illi communionem impertiri, injussu Episcopi sui, ut scribit Epiphanius *Haeres. XLII.* 2°. Cyprianus *Epist. III ad Cornel.* queritur, Presbyteros, et Clericos Africanos ad R. sedem appellare. Imo statutum est in Concilio Milevitano II. ut qui *ad transmarina judicia putaverit appellandum, a nullo intra Africam communione suscipiatur* 3°. Africani Episcopi acriter restiterunt *Zosimo P.* qui causam *Apiarii* ad R. Sedem appellantis, retractari mandaverat per legatos suos, ut patet ex Actis Concilii Carthaginensis VI. ea autem controversia etiam post mortem *Zosimi* sub *Bonifacio*, et *Caelestino* duravit. Unde *Petrus de Marca* jus appellationum nonnisi ex Concilio Sardicensi oriri docet. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Ab omnibus posset appellari, si non obstarent Canones ab ipsis R. Pontificibus probati, *conc.* Secus, *neg.* Et distincta eodem modo *minori. Neg. cons.* Cum itaque primatus institutus sit in aedificationem, non in destructionem, cautum est ab Ecclesia, ipsis R. Pontificibus consentientibus, ut nonnullis in causis appellationi non esset locus, ne Ecclesiasticae disciplinae vigor infringeretur. Constitutum igitur est, 1°. ut excommunicatus a suo Episcopo, non posset ab altero communionem accipere, quod ab Apostolorum aetate sancitum, et consuetudine firmatum, Nicaena deinde Synodus *Can. V.* confirmavit; et ita intelligimus, cur *Marcion* Romae non est receptus, praesertim cum is Romam venerit, *Hygino* Papa mortuo, ac proinde, sede vacante, Romani Presbyteri excommunicatum a suo episcopo re-

recipere nec voluerint, nec potuerint (a) 2°. ne Presbyteri, et minores Clerici in Africa possent ad transmarina judicia, h. e. sedem Romanam appellare, sed tantum ad Africana concilia: atque hinc intelligimus, cur *Cyprianus*, et Concilium Milevitanum appellationes istas vetuerint, et Patres Concilii Carthag. VI. non cito acquieverint *Zosimo*, Apiarii presbyteri causam per legatos suos retractanti, cum praesertim *Zosimus* citaret pro appellationibus Presbyterorum Canones Concilii Nicaeni, qui nec habebantur in Codice Africano, nec in Alexandrino, nec in Antiocheno Canonum Nicaenorum, sed erant canones Concilii Sardicensis, in Codice Romano Canonibus Nicaenis subnexi. Nunquam tamen cautum est, ne Episcopi ad R. Pontificem appellarent. Unde Episcoporum appellationes frequentissimae fuerunt etiam ante Concilium Sardicense; quippe quae ortum habeant ex divino jure primatus, ut contra *Petrum de Marca* demonstrat Nat. Alexander *Dissert. XXII. in Hist. Eccl. Saec. IV.*

Ceterum ipsi Canones, qui vetabant appellationes minorum Clericorum, probant R. Pontificis primatum; Si enim R. Pontifex primatum in Ecclesia non haberet, nemo ad eum appellasset.

Inst. Cyprianus *Epist. LXVIII.* laudat Hispanos, quod *Basilidem*, et *Martialem* Episcopos in conciliis damnatos; et a *Stephano* P. restitutos, recipere noluerant. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Non enim ita scripsit *Cyprianus*, quod negaret *Stephani* primatum, sed quia judicavit, Epi-

(a) Accedit 1°. non esse inter eruditos exploratum, utrum *Marcion* revera appellaverit Romanam Ecclesiam, ut putat *Bellarminus*, an vero in ejus communionem subdole irrepere tentaverit sine vera appellatione. ut contendit *Natalis Alexander Dissert. II in Hist. Eccl. Saec. II. art.* 3. 2°. Affirmare *Tertullianum Lib. de Praescript. Cap.* 30. *Marcionem* ab *Eleutherio* communioni restitutum, iterum ad vomitum rediisse, quod non solidis rationibus negat *Tillemontius*.

Episcopos illos manifesti criminis reos, falsis narrationibus R. Pontifici obrepsisse.

Objic. VIII. *Gregorius M.* damnat nomen *Episcopi universalis*, quod assumserat Joannes Episcopus Constantinop. tamquam *nomen blasphemiae Lib. VII. Ep.* 32. imo *Epist.* 36. docet, nullum e Romanis Pontificibus hoc unquam nomen usurpasse. Ergo negat, Romanum Pontificem esse Episcopum universalem, h. e. totius Ecclesiae caput.

℟. *Dist. ant.* Damnat in sensu pravo, *conc.* in sensu Catholico, *neg.* Nomen enim Episcopi universalis duplicem potest habere sensum. Primus falsus est, scilicet unum esse in tota Ecclesia Episcopum, cujus omnes alii Episcopi sint vicarii. Alter rectus, et catholicus, scilicet quod inter omnes Episcopos unus primatum habeat. Episcopo autem Constantinopolitano in neutro sensu nomen Episcopi universalis conveniebat; at Romano Pontifici nomen hoc convenit quidem in sensu recto, et catholico; sed *Gregorius* docet, praecessores suos ab eo nomine ob modestiam abstinuisse. Ceterum Concilium Chalcedonense *Act. III.* R. Pontificem vocat *Patriarcham Oecumenicum* et *Act. IV. Universalis Ecclesiae Pastorem.*

Objic. IX. Quod R. Pontifex succedat Petro in primatu Ecclesiae, oritur ex facto ipsius Petri, qui voluit Romae potius, quam Antiochiae permanere, ubi per plures annos Ecclesiam rexerat; cujus quidem facti notitiam non ex divina revelatione, sed ex humana accepimus historia. Ergo non est ex jure divino, nec dogma fidei.

℟. *Dist. ant.* Oritur ex facto Petri primario, et absolute. *neg.* Secundario, et hypotetice, *Subdist.* ex facto Petri, humana tantum prudentia agentis, *neg.* divina, *conc.* Itaque quod Primatus Petro datus transiret in eum, qui Petro in Episcopatu successurus erat, ex jure divino est; quod autem talis successor sit Romanus Episcopus, est ex facto Petri, non humana, sed divina providentia dirigente. Cujus providentiae, et facti notitiam non ex humana solum historia accepimus, sed ex traditione divina vel ab ipso Petro, vel ab aliis Apostolis profecta, atque

omnium

omnium Patrum testimonio confirmata; ex qua concilium Florentinum supra laudatum definivit, ut dogma fidei, R. Pontificem esse Petri primatus successorem. Vide Bellarminum *Lib. II. De Rom. Pont. Cap.* 12. Sylvium *Opusc. V.* Melchiorem Canum *Lib. VI.*

Scholion.

Quod Petrus caput Ecclesiae fuerit jure divino, dogma fidei est. Quod ejus primatus ad ejus successorem jure divino transire debuerit, item est dogma fidei. Quod R. Pontifex sit constitutus Petri successor, ideoque juri divino sit Ecclesiae caput, jam diximus *in prop.* esse dogma fidei. Utrum autem jure divino sit constitutus Petri successor R. Pontifex, et non alius Episcopus, quaestio est ad fidem non pertinens, et inter Catholicos agitata, ut observat *Sylvius*. Verisimilior tamen est sententia affirmans.

Corollarium.

Ergo regimen Ecclesiae non est democraticum, nec absolute Monarchicum, sed Monarchicum Aristocratia temperatum. Vide Bellarminum *Lib. I. de R. Pont.* et alios ab eo citatos *Cap.* 5. Celebre est illud Cypriani *Lib. de unit. Eccl. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur*, h. e. licet multi divinitus constituti sint Episcopi, tamen omnes *unum* constituunt *episcopatum*, non solum quia vinculo charitatis in unum conjuncti sunt, sed etiam quia alter alteri ita connexus est, ut omnes ab uno regantur. Dicit autem, a singulis partem in solidum teneri, quia licet unicuique certi dioecesis limites assignati sint, ut jam usurpator habeatur, si in alienam dioecesim velit manum extendere; tamen haec partitio non impedit, quominus, in communi periculo, unusquisque Episcopus totius Ecclesiae sollicitudine tangatur: unde laudatur *Eusebius* Vercellensis Episcopus, qui in gravi Arianorum tempestate in alienis dioecesibus Episcopos catholicos ordinavit. (*a*) CAP-

(a) Docet tamen Baronius *ad ann. CCCLXII.* id fecisse Eusebium ex R. Pontificis auctoritate, et legatione.

CAP. IX.

De Conciliis.

Adv. I. QUoniam Ecclesiae regimen est Monarchicum Aristocratia temperatum, ut supra docuimus, patet, eam censendam esse totius Ecclesiae definitionem, quae fit consensu moraliter unanimi omnium Episcoporum, suo capiti R. Pontifici adhaerentium.

II. Hic autem consensus explicari potest vel ab Episcopis per orbem dispersis, vel in unum legitime congregatis. Legitima autem congregatio Episcoporum, aliorumque Pastorum, Concilium dicitur.

III. Concilia vel *particularia*, vel *generalia* sunt, Particularia rursus dividuntur in *dioecesana*, *provincialia*, et *nationalia*, quae ex unius dioecesis, provinciae, aut nationis Pastoribus componuntur. Et particularia quidem, si seorsim sumantur, in fide errare possunt, sicut accidit Conciliis a *Cypriano* habitis in causa baptismi haereticorum. Raro tamen erraruut; imo magnae auctoritatis sunt, cum promiserit Christus *Matt. XVIII.* 20. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum*; et accedente Ecclesiae adprobatione, auctoritatem infallibilem acquirunt, ut Concilium Arausicanum II.

IV. Generalia Concilia (quae et *Oecumenica* Graece dicuntur) sunt, quae constant ex Episcopis ab universa *οικουμενη*, sive terra habitabili, seu ab universo orbe Christiano legitime convocatis. Quaerimus ergo hic 1°. quid requiratur, ut haec Concilia sint legitima, 2°. quantae sint auctoritatis; 3°. quaenam eorum necessitas.

PRO-

PROPOSITIO I.

Ut Concilium oecumenicum sit legitimum requiritur legitimà convocatio, legitima celebratio, legitimus exitus,

Explicatur, et prob. 1a. *pars.* Per legitimam convocationem, intelligimus, 1°. ut ab illo convocetur, qui convocandi jus habet, qualis est R. Pontifex auctoritate ordinaria, et eo deficiente, R. Ecclesiae Cardinales auctoritate extraordinaria: 2°. ut ii convocentur, qui conveniendi jus habent, nemine excluso, scilicet omnes Christiani orbis Episcopi. Atqui, ut Concilium Oecumenicum sit legitimum, utrumque requiritur. Ergo.

Prob. min. 1°. Requiritur, ut convocetur a R. Pontifice auctoritate ordinaria. Ecclesiae enim regimen Monarchicum est, Aristocratia temperatum; ergo sicut in Regno, in quo regimen politicum est monarchico-aristocraticum, nulla censentur legitima comitia, nisi a monarcha cogantur, ita generalia Ecclesiae Concilia legitima non sunt, nisi a Principe omnium Pastorum convocentur. Parum autem refert, utrum convocentur a R. Pontifice *eatenus immediate*, vel *mediate*, hoc est ab aliis ex ejus consensu, sicut octo priora Concilia oecumenica ab Imperatoribus ex R. Pontificis consensu, convocata sunt. Confirmatur ex perpetuo usu, et praxi Ecclesiae. Unde Pelagius II. *Can. multis. Dist.* 17. *Multis*, inquit, *Apostolicis, Canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia R. Pontificis Concilia celebrari.*

Quod autem deficiente R. Pontifice, si necessitas Ecclesiae id exposcat, possit Concilium extraordinaria auctoritate convocari a R. Ecclesiae Cardinalibus (qui aliquam partem Pontificiae jurisdictionis habent, deficiente Papa; non secus ac Capitulum sede vacante) patet, quia aliter necessitati Ecclesiae succurri non posset. Ita si duo de Pontificatu contendant, nec, quis eorum verus sit pontifex, cognosci possit, nisi quaestio in Concilio oecumenico di-

ri-

rimatur; tunc si neuter Concilium convocare velit, a Cardinalibus convocabitur, ut Concilium Pisanum. Idem dicas, si Pontifex ut privata persona labatur in haeresim, nec monitus velit resipiscere, nec Concilium indicere.

2°. Requiritur, ut omnes convocentur, nemine excluso, qui conveniendi jus habeat, quales sunt de jure omnes Episcopi; omnes enim pascendi, et regendi Ecclesiam jus habent. Ex consuetudine quidem obtinuit, ut vocentur ad Concilium etiam Cardinales, Generales Ordinum ministri, et aliqui Abbates cum suffragio definitivo, ex privilegio Pontificio. Imo et Theologi, ut consultores; et principes saeculares, ut defensores. Sed Episcopi de jure praetermitti, et excludi sine culpa non possunt. Unde Ægyptii in Concilio Chalcedonensi dixerunt: *Synodus Episcoporum est, non clericorum; superfluos foras mittite.* Ergo. Haec 1a. pars est contra Lutheranos, qui docent Concilium indicendum esse a principe saeculari, et omnes etiam Laicos convenire debere. Quae duo longe absurdissima sunt etc.

Explic. et Prob. 2a. *pars.* Per legitimam celebrationem duo intelligimus, 1°. ut R. Pontifex per se, vel per legatos suos Concilio praesideat; 2°. ut Episcopi ex majori saltem provinciarum parte reipsa conveniant vel per se, vel per legatos suos, sufficienti numero, qui licet non sit a jure definitus, debet tamen esse non exiguus. Atqui utrumque requiritur ad legitimum concilium generale. Ergo.

Prob. min. 1°. requiritur, ut praesideat R. Pontifex vel per se, vel per legatos; nam alioquin Concilium non repraesentaret Ecclesiae corpus, si caput ipsum abesset. Hinc omnibus oecumenicis Conciliis R. Pontifex vel per legatos suos, vel per se ipse praefuit.

2°. Requiritur, ut Episcopi reipsa conveniant, et quidem numero sufficienti. Ridiculum enim esset, si quinque, aut decem Episcopi Concilii generalis nomen sibi tribuerent. Licet autem hic numerus certus non sit, ut patet ex historia omnium Conciliorum; quibus modo plures, modo pauciores Episcopi adfue-

adfuerunt; necesse tamen est, ut ex majori provinciarum Christianarum parte Episcopi vel per se, vel per legatos conveniant. Si autem celebretur concilium, in oriente sufficit, ut aliqui saltem adveniant ex occidente, et vicissim.

Explic. et prob. 3a. *pars.* Per legitimum exitum quatuor intelligimus; 1.° ut Episcopi libertatem habeant suffragiorum; 2.° ut nemo excludatur, qui audiri voluerit; 3.° ut adhibeatur etiam humana diligentia in inquisitione veritatis; 4.° ut acta confirmentur a R. Pontifice. Atqui haec quatuor requiruntur. Ergo.

Prob. min. 1.° Requiritur suffragiorum libertas. Si enim Episcopi coacti sententiam dicunt, non constabit utrum locuti fuerint ex sententia Ecclesiae, an ex sententia ejus, qui coegit. Hac de causa Concilium Ephesinum II. evasit irritum, ac non legitimum.

2.° Requiritur, ne quis excludatur, qui audiri voluerit. Prudentia enim exigit, ut in veritatis inquisitione perpendamus etiam momenta partis adversae.

3.° Requiritur etiam humana diligentia in rebus obscuris investigandis. Qui enim nulla adhibita diligentia ad rem definiendam prosiliret, is utique tentaret Deum. Hinc in Concilio Hierosolymitano Apostolorum ait Lucas *Act. XV.* 7. *Cum magna conquisitio fieret etc.*

4.° Requiritur adprobatio, et confirmatio R. Pontificis. Quod probatur tum ex praxi omnium Conciliorum generalium, tum ex ratione; non enim censeri potest, totum Ecclesiae corpus aliquid definire, si huic definitioni consensus, et approbatio ipsius capitis non accedat. Hinc *Leo X.* in *Concil. Later. Sess. XI.* recte ait: *consueverunt antiquorum Conciliorum Patres pro eorum, quae in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboratione, a R. Pontifice subscriptionem, et adprobationem humiliter petere, et obtinere, prout in Nicaena, et Ephesina, et Chalcedonensi, et VI. Constantinopolitana, et VII. eadem Nicaena . . . manifeste colligitur: quod etiam novissime Constantienses Patres fecisse constat.* Adde, nullum Concilium, cui R. Pontifex sub-

subscribere recusavit, habitum fuisse unquam in Ecclesia legitimum. Utrum autem satis sit ad Concilii firmitatem ea subscriptio, quae fit a legatis, nomine Pontificis Concilio praesidentibus, infra videbimus.

Dices *cont.* 1. *part.* pro Lutheranis. In Conc. Hierosolymitano Apostolorum, quod aliorum forma fuit, *Act. XV.* non solum Episcopi, sed etiam Presbyteri, et laici convenerunt. *Convenerunt Apostoli, et seniores videre de verbo hoc.* Et infra: *placuit Apostolis, et senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Non solum Episcopi, sed etiam alii convenerunt ut judices, *neg.* convenerunt ut consultores, et auditores, *conc.* Itaque per *seniores* intelliguntur *Presbyteri*, quo nomine donabantur etiam Episcopi, ut patet ex *Epist. I. Petri cap. ult. v.* 1. *Seniores* (πρεσβυτερος) *qui in vobis sunt, obsecro consenior.* Si ergo nomine Presbyterorum apud Lucam *Act. XV.* intelliguntur Episcopi, patet, solos Episcopos cum Apostolis rem definivisse: nam ipsi soli *convenerunt videre de verbo hoc*: et ipsorum nomine scripta est Epistola, cujus initium est: *Apostoli, et seniores fratres.* Si vero nomine *Presbyterorum* intelliguntur etiam simplices Sacerdotes, dicendum est, eos admissos etiam ad suffragium *consultivum*, sicut aliis Conciliis Oecumenicis adsunt Theologi, vel etiam ad suffragium definitivum ex concessione Apostolorum, sicut etiam in aliis Conciliis admittuntur Cardinales, Abbates, Generales Praepositi, ex privilegio Apostolico.

Quod autem *Lucas* ait, adfuisse *omnem Ecclesiam*, non probat, etiam laicos adfuisse ad definiendum, sed tantum ad audiendam definitionem, quae omni Ecclesiae *placuit*, hoc est gratissima accidit.

Inst. Concilium Oecumenicum totam Ecclesiam repraesentat. Ergo non soli Episcopi convenire debent.

℟. *Neg. cons.* Cum enim in corpore Ecclesiae varia membra *non eundem actum habeant*, ut ait Apostolus, illi soli repraesentant totam Ecclesiam do-

centem, qui soli sunt *Pastores*, *et doctores. Numquid* enim *omnes doctores? Cor. XII.* 29.

Dices II. *cont.* 2m. *et* 3m. *part.* Si duo de Papatu contendant, aut Pontifex, ut privata persona in haeresim lapsus, a Concilio judicandus sit; non poterit R. Pontifex ei praesidere, nec cum fuerit absolutum adprobare, et tamen potest Concilium esse legitimum. Ergo non requiritur, ut R. Pontifex Concilio praesit, illudq. confirmet.

℟. *Neg. cons.* tum quia in praedictis extraordinariis causis perinde est, ac si Romana Sedes tunc vacaret; tum quia iisdem in causis eligetur in ipso Concilio legitimus Pontifex, qui praesit reliquis Sessionibus, et Acta confirmet, ut factum est in Concilio Pisano, et Constantiensi.

PROPOSITIO II.

Legitima Concilia Oecumenica in fide, et moribus errare non possunt. Est dogma fidei contra Lutheranos, et Calvinistas.

Prob. I. Ecclesia universa in fide, et moribus errare non potest, ut supra ostendimus. Atqui Concilia oecumenica universam repraesentant Ecclesiam; licet enim soli Episcopi conveniant, non laici; tamen munus docendi non ad laicos, sed ad Pastores pertinet, ut inquit Apostolus *Ephes. IV.* 11. ac proinde illi soli totam Ecclesiam docentem repraesentant. Unde Augustinus *Lib. I. de Bapt. Cap.* 18. vocat sententiam Concilii plenarii *consensionem totius Ecclesiae*. Et Martinus V. in Conc. Constantiensi suspectos de haeresi interrogari jubet, *utrum credant, quod Concilium generale universam Ecclesiam repraesentet.* Ergo.

Prob. II. Apostoli in Concilio Hierosolymitano *Act. XV.* definitionem ipsius Concilii vocant sententiam Spiritus Sancti: *visum est Spiritui Sancto, et nobis.* Unde merito Gregorius M. *Lib. I. Epist. XXIV. ad Joan. Antioch. Sicut*, inquit, *Sancti Evangelii quatuor libros*

libros, sic quatuor Concilia suscipere, et venerari me fateor. Ergo.

Prob. III. ex perpetua Ecclesiae traditione, quae definitiones Conciliorum generalium semper ut infallibiles, nec retractationi unquam obnoxias, quique ipsis reluctati sunt, pro haereticis habuit (*a*). Ergo

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Augustinus *Lib. III. cont. Maxim. Nec ego*, inquit, *Nicaenum tibi, neque tu Ariminense mihi debes tamquam praejudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris.* Ergo Augustinus non judicavit infallibilem auctoritatem Conc. Nicaeni.

℟. *Neg. cons.* Non enim ita scripsit S. Doctor, quia parvi penderet Nicaenum Concilium, de quo sic ait in *eod. Lib. Hoc est illud homousion, quod in Conc. Nicaeno adversus Arianos a Catholicis Patribus veritatis auctoritate, et auctoritatis veritate firmatum est.* Sed quia *Maximinus* Arianus ejus Concilii auctoritatem non agnoscebat, Conciliabulum vero Ariminense praedicabat, ut legitimum, ideo, ne longiori disputatione demonstrare cogeretur Augustinus Concilium Nicaenum esse legitimum, Ariminense vero non legitimum, utitur praeteritione: et missa tunc ea controversia, Arianam impietatem confodit ex Scripturis, quas adversarius respuere non poterat.

Objic. II. Idem Augustinus *Lib. II. de Bapt. cap.* 5. ait; *ipsa plenaria Concilia priora a posterioribus emendari.* Atqui emendari non possent, si omnino falli nequirent. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Concilia plenaria priora a *posterioribus*

(a) Athanasius *Epist. ad Epictet.* Nazianzenus *Epist. ad Cledon. et Orat. in Athanas.* Basilius *Episto. LXXXVII.* Cyrillus *Lib. I. de Trin.* Augustinus *Lib.* 1. *de Bapt. Cap.* 18. *et Epist. CLXXII.* Leo M. *Epist. LXXVIII.*, *et al.* Ambrosius *Epist. XXXII.* Hilarius *Lib. De Synodis*, et alii.

bus emendantur in rebus fidei, et morum, *neg.* in rebus facti, et disciplinae, quae est pro temporum, et locorum varietate mutabilis. *conc.* Subdit enim Augustinus, tunc emendari, *cum aliquo rerum experimento aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat*: ex quibus manifestum est, Augustinum loqui de rebus *facti*, quae solae *experimento rerum* cognosci possunt.

Objic. III. Gregorius Naz. *Epist. LV. ad Procop.* ait, se omnem Episcoporum conventum fugere, *quoniam*, inquit, *nullius Concilii finem laetum et faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem, et incrementum habuerit.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et loquitur *Gregorius* de particularibus Conciliis suo tempore celebratis, Ariana factione omnia perturbante, *conc.* loquitur de Conciliis oecumenicis, ac legitimis, *neg.* Ipse enim *Orat.* XXXII. Concilium Nicaenum magnis laudibus extollit, imo Concilio Constantinopolitano interfuit.

Objic. IV. Plura Oecumenica Concilia manifesti erroris revincuntur, ut Lateranense III. quod expeditionem *Crucesignatorum* statuit contra infideles; Lugdunense II. quod eandem expeditionem statuit contra haereticos, et Fridericum Imperatorem exauctorare est ausum: Constantiense, quod *Joannem Hus*, et *Hieronymum* Pragensem contra publicam fidem ipsis datam morte damnavit; quae omnia injusta fuerunt. Ergo etc.

℟. *Negari potest. ant.* Nam bellum quidem contra infideles, et haereticos susceptum est, non ut infideles, sed ut hostes, ad propulsandam injuriam, et ad defensionem, ex causis, quae tunc justae visae sunt. *Fridericum* Imperatorem non Concilium Lugdunense, sed *Innocentius* IV. damnavit, *sacro praesente Concilio*, non vero *approbante*, ut in Actis legitur. De cujus *Innocentii* facto non est hic dicendi locus. Denique *Joannes Hus*, et *Hieronymus Pragensis* haeretici, et seditiosi pluries a Concilio Constantiensi admoniti sunt, ut haeresim ejurarent, sed in errore obstinati, damnati sunt a Concilio, poenis tantum Canonicis. Morte vero eos damnarunt magistratus civiles.

les. *Joanni Hus* fides data non fuerat a Concilio, sed ab Imperatore sub conditionibus, quas ipse non servavit. *Hironymo* vero Pragensi fides data fuerat quidem a Concilio, sed *salvâ justitia.*

Sed quamvis daremus quod in *antecedenti* positum est, nihil sequeretur contra Conciliorum infallibilitatem. Non enim defendimus gesta Conciliorum, in quibus errore facti labi potuerunt, sed definitiones fidei, et morum, cujusmodi non sunt ea quae in Objectione commemorata sunt.

Objic. V. Concilium generale V. et Concilium VII. à nonnullis Ecclesiis diu recepta non sunt, nec tamen illae Ecclesiae habitae sunt haereticae. Ergo.

℟. *Dist. ant* Quia illae Ecclesiae particulares errore facti putarunt, illa Concilia non fuisse oecumenica, et legitima, *conc.* Secus, *neg.*

Inst. 1.º Concilium Constantiense ab omnibus Catholicis habetur ut oecumenicum, et legitimum; et tamen plures catholici docent R. Pontificem esse supra Concilium, contra quod definitum est. *Sess. IV. et V.* illius Concilii. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et non constat inter omnes catholicos, utrum illa decreta *Sess. IV. et V.* fuerint a R. Pontifice adprobata, nec constat, utrum loquantur de Pontifice tempore schismatis, an etiam extra tempus schismatis, *conc.* Secus, *neg.* Itaque *Martinus* V. in Concilio electus Pontifex confirmavit omnia Concilii Acta, sed addidit in decreto confirmationis ea verba *quae conciliariter acta sunt.* Non constat autem inter omnes catholicos, utrum ea decreta *Sess. IV. et V.* sint acta *conciliariter* juxta mentem Pontificis. Sed etsi illud constaret non est inter omnes catholicos manifestum, utrum verba Concilii intelligenda sint de tempore schismatis illius, quod occasionem praebuit celebrandi concilii.

Inst. 2.º Ex concessis possunt quaedam particulares Ecclesiae errore facti, sine nota haeresis, non habere pro oecumenico Concilium aliquod, quod revera oecumenicum, et legitimum est. Ergo „quod aliquod singulare Concilium sit oecumenicum, et legitimum, „dogma fidei non est, ac proinde à fortiori non

non erit dogma fidei quod in Concilio illo definitum est.

Respondent nonnulli Theologi, *Dist. cons.* Quod aliquod singulare concilium sit oecumenicum, non est dogma fidei, nec unquam tractu temporis pervenire potest ad certitudinem fidei, *neg.* Non est dogma fidei aliquo spatio temporis, *subdist.* respectu totius Ecclesiae, *neg.* respectu aliquarum Ecclesiarum, quae propter peculiares circumstantias aliqua facti ignorantia laborare possunt, *conc.* Itaque quod aliquod singulare Concilium, *ex. gr.* Tridentinum, sit oecumenicum, et legitimum jam inquiunt, est dogma fidei ex consensu totius Ecclesiae, quae illud recipit ut oecumenicum. Sed antequam hic consensus cognosci possit, potest quidem ex humana certitudine, et consensu Scriptorum, praecipue vero ex approbatione sedis Apostolicae sciri, Concilium illud esse oecumenicum, et legitimum: sed possunt aliquandiu aliquae particulares Ecclesiae sine culpa ignorare quaedam facta, ex quibus pendet, ut Concilium legitimum, et oecumenicum censeatur, sicut accidit nonnullis Ecclesiis respectu Concilii V. et VII. Hoc autem contingere non potest Ecclesiae universae, quae a Spiritu S. edocta, falli non potest in agnoscendo aliquo Concilio ut oecumenico, vel eo rejiciendo ut irrito, ac non legitimo.

Verum quia haec responsio novis posset sternere viam objectionibus, idcirco, ea praetermissa, concedimus cum *Melch. Cano*, et *Bellarmino*, non esse dogma fidei, quod hoc singulare Concilium sit oecumenicum; id enim non est a Deo primitus Ecclesiae revelatum, sed cognoscitur certissime ex ipsa rerum serie, quae in Concilio gestae sunt. Cognoscitur, inquam, statim a tota Ecclesia, quae a Spiritu S. illustratur, ne in hoc negotio erret, tractu vero temporis ab Ecclesiis singularibus. Neque tamen inde sequitur, non esse dogma fidei, quod a Concilio definitum est; alioquin nullum esset dogma fidei; quod enim Deus locutus sit, et Ecclesiam fundaverit, ex *motivis credibilitatis* evincitur, quae naturali notitia comparantur. Fides quippe non consistit in qua-

quadam ratiocinatione, qua, ex duabus propositionibus fidei, tertia deducatur, sic enim procedendum esset in infinitum; sed in simplici assensu, quo mens, posita morali certitudine, quod Deus locutus sit Ecclesiae, et per Ecclesiam, ejusque Concilium nobis, firmiter, et sine ratiocinatione credit per gratiam Dei, quae revelata sunt, ut suo loco dicemus.

Objic. VI. Plura Concilia Oecumenica in fide errarunt, ut Ariminense, Seleuciense, Ephesinum II. Trullanum, Constantinopolitanum sub *Leone Isaurico*, etc.

℟. *Neg. ant.* Concilia enim ista nec legitima, nec Oecumenica fuerunt, nec a supremo Ecclesiae Capite probata, sed rejecta ut ex historia Ecclesiastica facile patet, excurrendo per singula.

Objic. VII. Singuli Episcopi in concilio errare possunt, praesertim cum saepe in concilium veniant Episcopi rerum Theologicarum rudes. Ergo et omnes vel saltem major pars, quae saepe in humanis coetibus meliorem vincit.

℟. *Neg. cons.* Promissiones enim Christi non singulis, sed omnibus simul factae sunt. Vide supra hanc eandem objectionem propositam, et exsufflatam *Cap. IV.* §. 2. ubi de Ecclesiae *indefectibilitate* diximus. Quod vero ajunt, Episcopos quosdam esse Theologiae rudes, id nihil est; non enim ex hominum doctrina, sed ex praesenti Spiritus S. auxilio Conciliorum repetimus infallibilitatem.

Ergo, inquies, quidquid in Concilio Oecumenico dicitur, dogma fidei est

℟. *Neg. seq.* Ea enim censenda sunt fidei dogmata, quae non ex opinione, sed firmo decreto definiuntur, cum praesertim contraria sententia declaratur contraria verbo Dei, aut anathemati subjicitur. Vide *Canum Lib. V. Cap.* 4. Hinc variae Patrum allocutiones, praefationes, incidentes propositiones, dogmata fidei non sunt, licet magnam habeant auctoritatem.

PRO-

PROPOSITIO III.

Licet Concilia Oecumenica absolute necessaria non sint; tamen aliquibus occurrentibus caussis, sunt hypothetice necessaria.

Prob. 1a. *pars.* Multas haereses proscripsit Ecclesia, praesertim tribus prioribus saeculis, sine ullo Oecumenico Concilio, ut Simonianos, Cerinthianos, Ebionitas, Marcionitas, Montanistas, Sabellianos etc. Nam Ecclesia ubique dispersa eamdem habet infallibilem auctoritatem, ac Concilium Oecumenicum. Ergo Concilium Oecumenicum non est absolute necessarium. Hinc *Augustinus* disputans contra Pelagianos, qui contendebant, errorem suum non posse, nisi in Oecumenico Concilio examinari, et damnari, sic ait *Lib. IV. ad Bonifac. Cap.* 12. *Quasi nulla haeresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit, cum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit, multoque sint, atque incomparabiliter plures, quae ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitandae innotescere potuerunt.*

Prob. 2. *pars* enumeratione earum caussarum. 1.° Si error aliquis longe, lateque sit diffusus, multosque ex ipsis Ecclesiae Pastoribus infecerit, ut olim Ariana haeresis. 2.° Si plures de Papatu contendant, nec ulla alia pateat via extinguendi Schismatis, quod Ecclesiam universam dividit, ut olim accidit in magno schismate Occidentis. 3.° Si generalis reformatio facienda sit abusuum, qui in Ecclesiam universam irrepserunt, nulla alia efficacior, et convenientior erit ratio occurrendi malis, nisi Concilium Oecumenicum, ut patet ex perpetua praxi Ecclesiae in similibus caussis. Ergo (*a*). Co-

(a) De Conciliis tractant fusius Joannes Turrecremata *Lib. III. Summae de Ecclesia.* Jo. Gerson. *De potestate Ecclesiae, et Conciliorum.* Dionysius Chartusianus *tribus libris de* Con-

Corollaria.

I. Quoniam Episcopi in generali Concilio totam Ecclesiam docentem repraesentant, sequitur, eos non esse tantum Pontificis consiliarios, ut perperam nonnulli affirmarunt, sed judices. In ipso enim Apostolorum Concilio *Act. XV.*, 19. post dictam a Petro sententiam, Jacobus, prolatis ex Scriptura testimoniis, ait: *Propter quod ego judico, non inquietari etc.* et nomine omnium Apostolorum scriptum est: *Visum est Spiritui S. et nobis.* Unde Paulus *Act. XVI.*, 4. ejus Concilii decretum vocat praecepta *Apostolorum, et seniorum.* Imo in omnibus Oecumenicis conciliis Episcopi non ut consiliarii, cui officio aptiores essent docti Theologi, sed ut judices subscripserunt.

II. Hinc illa dissolvitur quaestio, quam supra innuimus; utrum ipsa per se firma sit Concilii definitio, praesidentibus legatis Pontificiis edita, antequam ab ipso Pontifice sollemniter confirmetur. Qua in re distinguendum est. Vel enim legati, ut fieri solet, a Pontifice instructi de sententia R. Ecclesiae ad Concilium venerunt, vel non instructi. Si primum, vel juxta legatorum sententiam definivit Concilium, et tunc ipsa per se definitio firmum habet robur. Sin contra legatorum, ideoque ipsius Pontificis sententiam major Concilii pars definiat (nam omnes ad unum Episcopos contra Pontificis sententiam opinari, non est credibile) tunc vel reclamantibus legatis, ut in Ephesino latrocinio, vel timore consentientibus, infirma est definitio. Si vero legati ad Concilium sine ullis Pontificiis mandatis venerunt, tunc si major Concilii pars in unam con-

---

Conciliis. Coclaeus *Lib. De Conciliis.* Cajetanus *in Opusculis*, *Bellarminus*, *Sylvius*, *Melchior Canus*, *Jacobatius*, *Lindanus*, *Villalpandaeus.* Historiam vero vel omnium, vel singulorum Conciliorum varii auctores scripserunt. Acta Conciliorum omnium collegerunt *Harduinus* et *Labbeus.*

consentiat sententiam, adhuc definitio ante Pontificis assensum infirma est; si vero omnes omnino Episcopi, ipsique legati in unum consentiant; quia non est credibile, R. Pontificem universae Ecclesiae consensui dissensurum, videtur jam transacta res, firmaque Concilii definitio. Sed quia sunt Theologi Catholici, ut *Cajetanus*, et *Turrecremata*, qui contra sentiunt, non posset nota haereseos inuri iis, qui contra definitionem illam loquerentur ante Pontificis confirmationem. Vide Canum *Lib. V. Cap.* 5. et Suarez *De fide Disp. V. Sect.* 7.

CAP. X.

Utrum Romanus Pontifex ex cathedra definiens controversias fidei, et morum errare possit.

Adv. I. Diximus supra, ad primatum R. Pontificis pertinere, ut exortas de religione controversias definiat. Si igitur huic definitioni consensus universae Ecclesiae, vel per orbem dispersae, vel in Concilio congregatae accesserit, certissimum fidei dogma est, fatentibus omnibus catholicis; alioquin ipsa Ecclesia falli posset. Sed quaeritur, utrum sicut errare nequit in rebus fidei et morum generale Concilium, ita etiam nunquam errori obnoxia, sive *infallibilis*, censeri debeat R. Pontificis definitio, etiam antequam consensus Ecclesiae cognoscatur.

II. Apud Veteres Patres hanc controversiam non videmus agitatam; omnes tamen decreta sedis Apostolicae summa reverentia prosequebantur. Sed quia turpe est hodie, nescire Theologum saltem historiam earum rerum, quae ad hanc caussam pertinent; idcirco primum ea ponemus, quae apud omnes Catholicos certa sunt, in reliquis, more historicorum, contrarias opiniones, atque auctorum rationes proferemus in medium, ut liberum sit lectoribus ea sequi, quae, libratis utrinque rationibus, aut vera, aut vero simillima videantur.

III. S. Thomas 2. 2. *Q. I. art.* 10. Summum Pontificem in rebus fidei definiendis infallibilem esse; ac su-

supremum judicem affirmat, ita ut ad eum *pertineat, finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur*, ideoque ait, ipsam *symboli editionem* ad R. Pontificis auctoritatem pertinere. Eum sequuntur S. Bonaventura *in Exposit. Reg. S. Franc.* Joannes Turrecremata *Lib. II. Sum. Cap.* 109. *et seq.* Thomas Waldensis *Lib. II. Doc. fid. Cap.* 47. *et seq. Joannes Driedo, Cajetanus, Ekius, Hosius, Petrus Soto, Melchior Canus, Bellarminus*, aliique innumeri non solum ex Italia, ut falso affirmat *Maymburgus* (a) sed ex Gallia; Hispania, et aliis nationibus Theologi. Quippe *Petrus de Marca* Parisiensis Antistes, quem auctorem non ut Theologum, sed ut testem locupletissimum laudamus ejus doctrinae, quae in Gallia, aliisque regionibus sua aetate defendebatur, sic ait *in Observat. ad Theses Claremontanas. Haec opinio* (quae Pontifici tribuit privilegium non errandi) *est illa, quam unice Hispania, Italia, aliaeque omnes Christianitatis provinciae docent, ita ut illa, quam sententiam Parisientium vocant, ad classem earum opinionum revocanda sit, quae solum tolerantur.* Subdit, *inter omnes Universitates solam veterem Sorbonam contra sentire*, imo, addit, *hoc quoque tempore hanc de infallibilitate Pontificis sententiam in ipsa Sorbona doceri videmus.*

IV. E contrario vir sine controversia doctissimus *Joannes Gerson*, primus e Latinis Theologis (nam *Nilum Thessalonicensem*, R. Pontifici infensissimum, nihil moror) expresse docuit, S. Pontificem extra Concilium in fide, et moribus definiendis, errare posse. Eum secuti sunt Almainus *Lib. De potest. Eccl. Cap.* 18. Alphonsus de Castro *Lib.* 1. *cont. haeres. Cap.* 16. Hadrianus, aliique.

V. Haec controversia evasit celebris anno MDCLXXXII. quo anno occasione dissidiorum inter *Ludovicum XIV.*, et *Innocentium XI.* multi Galliarum Episcopi, Parisiis collecti, sollemnem ediderunt *Decla-*

(a) Maymburg. *Traité Historique de l'etabilissement, et prerogatives de l'Eglise de Rome.*

clarationem Cleri Gallicani, quatuor continentem articulos, quorum hic erat quartus: *Licet R. Pontifex praecipuam partem habeat in quaestionibus fidei, ejusque decreta respiciant Ecclesias omnes, et singulas; ejus tamen judicium non est irreformabile, nisi Ecclesiae consensus accedat.* Monet tamen Bossuetus *in Defens. Declar. Dissert. praevia* §. 6. Clerum Gallicanum non edidisse declarationem illam *ut decretum*, *sed ut opinionem* (*a*). Adversus eam Declarationem scripserunt *Antonius Charlas*, *Thyrsus Gonzalez*, *Emmanuel Schelstrate*, *Card. de Aguirre*, *Card. Sfondratus*, aliique. Speciatim vero pro R. Pontificis **ασφαλτια**, sive infallibilitate certarunt, *Duvallius*, *Peronius*, *Orsius*, etc. Praeterea *Thomas Roccaberti* XXI. ingentia Volumina edidit, quibus varios collegit auctores, qui pro R. Pontificis auctoritate scripserant. Sed vir clarissimus, et doctissimus *Jac. Benignus Bossuet* duobus voluminibus, quae tamen viginti post ejus mortem annis prodierunt, omnes illos Scriptores refutare aggressus *Defensionem declarationis Cleri Gallicani* composuit. Ceterum *Parte III. Lib. X. Cap.* 5. distinguens sedem Apostolicam a sedente Pontifice fatetur, sedem Romanam in definiendo errare non posse, singulos vero Pontifices posse; ita ut si unus labatur, corrigatur ab altero, ut ita semper in Romana sede firmitas fidei constet.

VI. Porro R. Pontifex duplici ratione spectari potest, vel ut privata persona, doctorque privatus, vel ut *loquens ex Cathedra*, hoc est universam docens Ecclesiam, adhibito consilio fratrum, auditis Theologis, fusis, ad Deum precibus; uno verbo adhibita ea diligentia, quam pro rei gravitate necessariam judicaverit. Non defuerunt quidem R. Pontificis adulatores, quibus etiam adstipulatus est Alber-

(a) Sub Innocentio XII. plures Gallicani Episcopi declarationem illam retractarunt in Epistola ad eundem Pontificem. Et quamvis contendat *Bossuetus*, Epistolam illam non fuisse retractationem, sed explicationem Declarationis, verba tamen Epistolae clariora sunt, quam ut ullo pacto obscurari queant, ut observat ipse D. Racine. *Histoire Eccles. Siecl. XVII. art. 7.*

bertus Pighius *Lib. IV. De Eccles. Hierarch. Cap.* 8. qui affirmarent, eum, etiam ut privatum doctorem, in *formalem* haeresim labi non posse. Qua quidem opinione ab omnibus explosa, restat tantum quaestio de Pontifice, docente *ex cathedra.* In qua primum, ut diximus, quae apud omnes catholicos certa sunt, explicabimus, deinde quae in controversiam veniunt, more historicorum, prolatis utrinque rationibus, proponemus..

PROPOSITIO I.

Romanus Pontifex, ut privatus doctor, in haeresim labi potest.

Prob. Non potest Pontificibus asseri privilegium, quod ipsi Pontifices negant, ac respuunt. Atqui privlegium non incidendi in haeresim, ut privata persona, Pontifices ipsi negant, ac respuunt. Sic enim *Adrianus II.* in Epistola ad Concilium generale VIII. quae legitur *Actione V.* ait, ob crimen haeresis R. Pontificem a Concilio judicari posse. Sic et in *Can. Si Papa Dist.* 40. habetur, Pontificem a nemine judicandum, *nisi deprehendatur a fide devius.* Male igitur consulunt Pontificis auctoritati, qui mendaciis eam conantur extollere, sed exponunt potius ludibro inimicorum. *Non eget Petrus mendacio nostro, adulatione nostra non eget,* ut inquit *Melchior Canus. Lib. V. Cap.* 5.

PROPOSITIO II.

Nulla hucusque proferri potuit definitio R. Pontificum ex cathedra, in qua definitione evidenter in fide erraverint.

Prob. I. *Agatho* Papa, qui sedit post *Honorium,* aliosque Pontifices, qui erroris accusantur, in Epistola, quae probatâ fuit in Concilio VI. generali, confidenter ait: *Ecclesia Romana a tramite Apostolicae traditionis numquam erravit.* Et clarius post Agathonem

uem Leo IX. *in Epist. ad Petrum Antioch.* referens ea Christi verba: *Ego rogavi pro te, Petre etc.* subdit: *Quae venerabilis, et efficax oratio obtinuit, ut hactenus fides Petro non defecerit, nec defectura credatur in throno illius.* Adde Bernardum in *Epist. ad Innoc. II. etc.*

Prob. II. Qui gravius accusati sunt Pontifices, ut *Honorius, Liberius, Joannes XXII.* passim excusantur a Theologis, nosque suo loco ostendemus, nec Honorium docuisse ex cathedra Monothelitarum haeresim, nec Liberium Arianorum impietatem, nec Joannem XXII. quidquam definivisse de praesenti piorum beatitudine. Reliquos Pontifices usque ad numerum quadraginta, de quibus levior est suspicio; erudite defendunt Card. Orsius *De R. Pontif.* Bellarminus *Lib. IV. De R. Pont.* Sylvius *Opusc. V.* ita ut hodie, qui moderatiores sunt Theologi, libenter fateantur, nullam hucusque R. Pontificis definitionem ex cathedra evidenter esse haereticam, totamque controversiam in eo versari, utrum aliquando id fieri possit. Ergo.

PROPOSITIO III.

Haec quaestio: utrum R. Pontifex ex cathedra definiens in fide et moribus errare possit, in neutram partem definita est ut dogma fidei.

Prob. Nec ii, qui R. Pontificem ex cathedra falli posse tenent, asserunt, hoc esse dogma fidei, imo fatetur Bossuetus *Dissert. praev.* §. 6. id propositum esse tantum *ut opinionem non ut decretum*; nec R. Pontifices unquam Parisienses illos Theologos ut haereticos damnarunt. Licet enim *Alexander V.* et *VIII. Pius. VI.* eam sententiam improbaverint, non tamen ut haereticam proscripserunt. Male ergo veritati consulunt qui adversarios hac in re, tamquam haereticos, traducere audent.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Licet haec quaestio definita non sit, tamen decreta S. Pontificis, ex cathedra docentis, magna a fidelibus veneratione excipienda sunt, nec ullus iis temere reluctari potest eo praetextu, quod infallibilia non sint.

Prob. prop. in qua catholici omnes consentiunt, etiam ii, qui Pontificis *infallibilitatem* negant. Patres enim semper decreta sedis Apostolicae summe venerati sunt. Sufficeret recitare verba *Petri Chrysologi*, vere aurea, *in Epist. ad Eutychet. Hortamur te, frater honorabilis, ut quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quia B. Petrus, qui in propria sede vivit, et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.* Nec minus luculenter Hieronymus *Epist. ad Damas. A pastore,* inquit, *praesidium ovis peto. Cum successore Piscatoris, et discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, idest cathedrae Petri communione consocior. Super hanc petram aedificatam Ecclesiam scio . . . . . Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est qui Christi non est, Antichristi est.* Et *Prosper* in Epigrammate adversus eos, qui post R. Pontificis definitionem Augustini doctrinam oppugnabant, haec habet:

Verte gradum, fuge perniciem, stratosque rebelles.
Oris Apostolici fulmine ubique vide.

Prob. II. Petro ejusque successoribus dictum est a Christo: *Pasce oves meas Joan. XXI.* 17. Atqui ovis summe venerari debet vocem pastoris, positi ab ipso Christo, qui dixit: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit*: quae verba praecipue de capite omnium intelligenda sunt. Ergo.

Prob. III. ex praxi Ecclesiae in rebus difficilibus consulendi sedem Apostolicam, quod frustra fieret, si possent fideles ejus responsa contemnere. Quanta autem fuerit totius Ecclesiae, et praesertim Gallicanae re-

reverentia erga sedis Apostolicae decreta, vide apud Card. de Auguirre *Defens. Cathed. S. Petr.* Sfondratum *in Gallia vindicata*, Hiacynthum Serry *De Rom. Pont.* et ipsum Bossuetum passim in *Defensione*.

PROPOSITIO V.

Proponuntur utrimque rationes Theologorum, qui sive pro infallibilitate R. Pontificis, sive contra ipsam certarunt. (a)

Theologi itaque, qui pro R. Pontificis infallibilitate pugnant, eam probant primum ex Scripturis. Nam 1.° *Luc. XXII.* 31. ait Christus: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribaret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Quibus verbis Christus Petro impetravit (oratio enim ejus erat efficacissima) tantam fidei firmitatem, ut non solum ipse nunquam deficeret, sed etiam nutantes Apostolos in fide roboraret. Atqui haec verba, ipso fatente Bossueto *Part. III. Lib. X. Cap.* 4. *et* 5. non solum respiciunt Petrum ut singularem personam, sed etiam ut Caput Ecclesiae, ejusque successores, ut docent Patres, inter quos satis est laudare Bernardum Gallicanae Ecclesiae clarissimum decus, qui in *Epist.* CXC *ad Innoc. Oportet*, inquit, *ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque, et scandala regni Dei, ea praesertim, quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Cui enim alteri sedi dictum est aliquando: Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua?*

2°. Verba illa Christi *Matth. XVI.* 18. *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversum eam*, fatentibus adversariis, ad Petrum, ejusque successores referuntur. Atqui Petri successor non esset petra, ac fundamentum Ecclesiae adeo stabile, ut contra illam

(a) Vide tamen ad calcem hujus Libri II. *Exercitationem* nostram, quam de hoc argumento edidimus non historico more, ut in prioribus hujus operis editionibus factum est, sed Theologico.

lam portae inferi praevalere non possint, si circumferri posset omni vento doctrinae, atque ex cathedra universam docens Ecclesiam, posset haeresim docere. Idque ex eo confirmant, quod Ecclesia fundatur in Petro, ejusque successore, tamquam centro unitatis. Sed Ecclesia fundatur in fide, juxta illud *Oseae II.* 20. *Sponsabo te mihi in fide*: unde laudata Christi verba multi Patres explicant non solum de Petro, verum etiam de Petri fide. Ergo non potest Petri successor Ecclesiae universae proponere haeresim, tamquam dogma fidei.

3.° *Joan. XXI.* 17. Christus Petro, ejusque successoribus praecipit: *Pasce oves meas.* Quibus verbis Petri successor constitutus est Ecclesiae doctor. Atqui Ecclesia in fide deficere non potest. Ergo nec supremus ejus doctor; alioquin Christus promisisset discipulis non errandi privilegium quod non promisit supremo magistro, ac doctori, a quo discipuli fidem debent accipere, cum *fides sit ex auditu Rom. X.* 17.

Probant II. ex Patribus 1.° *Cyprianus* licet Stephano S. Pontifici restiterit in causa baptismi haereticorum, vel quia aestu disputationis abreptus erravit, vel quia putavit, ut docet Natalis Alexander Parisiensis doctor, eam controversiam spectare ad disciplinam; tamen ante motam illam controversiam sic de Romano Pontifice loquitur *Epist. ad Cornel. Navigare audent ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est . . . nec cogitare, eos esse Romanos, quorum fides Apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.* 2.° Chrysostomus, *Hom. II. in Psal. II.* et *Homil. De Petro, et Helia* Sedem Apostolicam vocat *Basin fidei immobilem.* Et Concilium VI. generale *Prosphonet. ad Constant. Imp.* R. Pontificem appellat *Adamantem fidei, cujus solida mens adgressionibus, atque conflictionibus alienae a fide opinionis, non est vulnerabilis.* 3.° Omissis ceteris, quos congerunt *Sfondratus*, aliique, praestat, inquiunt, audire Patres, Concilia, et Theologos ipsius Ecclesiae Gallicanae; qui ante Gersonem, sive ante illud fatale

Occidentis schisma floruerunt. Irenaeus Lugdunensis *Lib.III. Cap.3.* ait, *necesse esse, omnem Ecclesiam, hoc est omnes undique fideles ad R. Ecclesiam convenire, ex qua Apostolica traditio ad omnes manat. Bernardus* Ecclesiae Gallicanae columen, nec certe Romanae sedis adulator, ut ex Libris *De consideratione* patet, quid de R. Pontificis infallibilitate senserit, jam supra vidimus, sed legenda cum primis est tota ejus Epistola *ad Innoc cont. error. Pet. Abael.* S. Thomas Parisiensis Doctor, quem semper Gallia et vivum, et post mortem summe venerata est, atque haud scio an alterum ei parem Academia Parisiensis protulerit; R. Pontificem, ait, esse suprêmum, et *finalem* judicem, ad quem pertinet definire ea, quae ab universa Ecclesia inconcussa fide teneri debent, ipsumque edere fidei Symbolum. 2a. 2ae. *Q. 1. art. 10.* Idem docet *S. Bonaventura* Parisiensis doctor loco supra laudato, ut mirum sit, *Bossuetum* asserere, se nihil in eo invenisse, quod huic sententiae, faveret. His addendi *Avitus Viennensis, Jesse Ambianensis, Yuo Carnotensis, Regino Prumiensis, Hincmarus Rhemensis, Alcuinus Lupus Servatus, Anselmus, Petrus Cellensis, Petrus Cluniacensis*, aliique quorum testimonia *Sfondratus* collegit. Praeterea Synodi Aurelianensis, Touronensis, Ratisponensis, Trecensis, Pontigonensis, Lugdunensis I. et II. aliaeque synodi, et conventus Cleri Gallicani apud eumdem *Sfondratum*.

Probat. III. idipsum ratione Theologica, eaque multiplici. 1.° inquiunt, perpetua haec fuit Ecclesiae praxis, ut in dubiis de religione R. Pontifex consuleretur, quod fecit saepissime ipsa Ecclesia Gallicana. Unde Hincmarus Rhemensis *in Opusc. de divort. Lothar. De omnibus*, inquit, *dubiis, vel obscuris, quae ad rectae fidei tenorem, vel ad pietatis dogmata pertinent, Sancta Romana Ecclesia, ut omnium Ecclesiarum mater, et magistra, nutrix. et doctrix est consulenda, et ejus salubria monita sunt tenenda.* Atqui hoc frustra factum esset, si R. Pontificis definitio falli posset; nam post ejus definitionem, iisdem res esset agitata controversiis, quibus antea agitabatur. Ergo etc. Hinc Augustinus *Serm. XI. al CXXI. De verb.*

verb. Apost. loquens de haeresi Pelagiana, quam Innocentius I. damnavit, haec habet: *Jam enim hac de re duo concilia ad sedem Apostolicam missa sunt; inde etiam rescripta venerunt; caussa ergo finita est*: quae postrema verba multum videntur habere momenti: inde enim infert *Augustinus*, non esse ad eam caussam necessarium generale Concilium, quod Pelagiani flagitabant.

2.º Multas haereses R. Pontifices sine generali concilio ex cathedra damnarunt, eorumque decreta ita venerata est Ecclesia, ut damnati a R. Pontifice ubique pro haereticis habiti sint. Sic Damasus Papa Apollinarem, Timotheum, et Vitalem: Syricius Jovinianum: Innocentius Pelagium, et Caelestium; alii alios haereticos damnarunt. Ergo etc.

3.º Cum multae saepe haereses oriantur, nec haberi possit concilium Oecumenicum, ut accidit tribus prioribus saeculis, et saepe alias; optime profecto Christus Ecclesiae providit, ne supremus ejus Pastor ex cathedra docens falli posset; alioquin nulla tunc pateret via cavendae, atque damnandae haeresis: et, ut observat S. Bonaventura, *Synagoga felicior fuisset, quam Ecclesia, quia illa habebat unum summum Pontificem, qui omnes discordias poterat terminare. Deut. XVII.* Nec dicas, posse tunc explorari consensum Ecclesiae per orbem dispersae, tum quia hoc opus longius temporis spatium exigit, quo tempore latius serpit error, tum quia saepe multae particulares Ecclesiae erroris vortice abripiuntur, ita ut non possit consensus Pastorum unanimis certo cognosci.

4.º Utuntur etiam ratione *S. Thomae*. Cum Ecclesia sit infallibilis; *supremus*, *et finalis* controversiarum Judex debet esse infallibilis. Atqui supremus, et finalis Judex est S. Pontifex. Quippe ipsa Concilia oecumenica non censentur absoluta, nec legitima, nisi Romani etiam Pontificis consensione firmentur. Quodnam enim extitit Concilium, quod a R. Pontifice improbatum, habeatur ut legitimum, ac ratum? Ergo.

5.º Ajunt, neminem ante *Gersonem* conceptis verbis

bis asseruisse, R. Pontificem ex cathedra docentem falli posse. Quamvis enim *Bossuetus* innumera congerat testimonia Patrum, et Conciliorum, ex quibus argumentando colligit, hanc fuisse antiquam, atque perpetuam Ecclesiae doctrinam; quamvis semper Parisiensium sententiam, veluti perpetuam in illa Academia traditionem, objiciat; tamen cum ventum est ad auctores citandos, qui id expresse dixerint, nullum laudat *Gersone*, aut saltem ejus magistro *Petro* Alliacensi antiquiorem, cum contra *Bernardus*, Gallicanae Ecclesiae columen, *S. Thomas*, Parisiensis Academiae maximum ornamentum, contraria ante *Gersonem* expresse docuerint. Ergo, inquiunt, verum est, quod prius traditum. Distinctionem vero sedis Apostolicae a sedente Pontifice, qua distinctione *Bossuetus* explicari putat sententias Patrum, et perpetuam doctrinam ipsius Ecclesiae Gallicanae; et Gallicanorum Patrum, et Theologorum, qui Sedem Apostolicam infallibilem esse tradunt; tamquam absurdam rejiciunt. *Bernardus* enim, cum Innocentium II. interpellabat; non sedem ejus, sed ipsum Pontificem interpellabat. Idemque dicas de aliis Patribus. Ideo autem *Romanam sedem*, *cathedram*, *Ecclesiam* appellare solent, quia Pontifex non solus, sed cum fratrum; idest ipsius Romanae Ecclesiae consilio judicare debet. Ergo etc.

Sed jam adversantium Theologorum rationes proponendae sunt. Ajunt igitur: 1.° Infallibilitas a Christo promissa est Ecclesiae, quae ab Apostolo dicitur *columna*, *et firmamentum veritatis*. Ergo non est promissa R. Pontifici.

2.° Si R. Pontifex ex cathedra definiens infallibilis esset, frustra cogeretur generale Concilium cum tanto totius catholici orbis incommodo. Atqui constat ex perpetua Ecclesiae praxi, jam inde ab Apostolis deducta, ad definiendas de fide controvorsias Concilia oecumenica congregata esse: nec aliam visam esse definiendarum rerum aptiorem viam, a Concilio Apostolorum usque ad Tridentinum.

3.° Hanc autem rationem ex eo maxime confirmant, quod si R. Pontifex ex cathedra falli non pos-

posset, profecto postquam ille rem ex cathedra definivit, non liceret iterum definitionem ejus ad examen revocare. Sed contra accidisse, ex historia novimus. Nam post ipsam S. Pontificum definitionem generalia Concilia habita sunt, in quibus definitio illa sollemni judicio examinata est, nec probata, nisi postquam inventa est Scripturae, et traditioni consona; quod et fecit ipsum Apostolorum Concilium, postquam Petrus sententiam dixit. Sic definitio *Caelestini* contra *Nestorium* subjecta est examini Concilii Ephesini: definitio *Leonis X.* Concilio Chalcedonensi; definitio *Leonis M.* Concilio Tridentino, etc. Quod autem respondent prioris sententiae Theologi, nempe ideo Concilium aliquando esse necessarium, ut definitio acquirat fidei firmitatem (cum infallibilitas S. Pontificis non sit dogma fidei) vel ut haereticorum pertinacia retundatur, cum se videant universae Ecclesiae judicio damnatos: id, inquiunt, nihil est, nec propositi argumenti robur infringit.

4.° Si veterum Patrum rationem habere volumus, certe *Cyprianus*, inquiunt, non solum Africanae, sed totius Ecclesiae lumen, licet malae causae patrocinium suscepisset, rejiciens baptismum haereticorum, tamen restitit Stephano R. Pontifici, qui rem ex traditione definiverat; quod certe non fecisset tantus Praesul, si R. Pontificem putasset infallibilem. Et tamen Augustinus *Lib. II. De bapt. cont. Donat. Cap.* 4. ideo cum ab haeresi excusat, quia licet S. Pontifex decretum emiserit, res tamen nondum erat in Concilio plenario definita.

5.° Auctoritatem objiciunt Ecclesiae Gallicanae, et praecipue Parisiensis Academiae, quae, laudantibus ipsis R. Pontificibus, toto orbe celebrata est; et celebrabitur. Magnum certe est *Gersonis* nomen, qui tantum pro extinguendo schismate, et profligandis haereticis laboravit; magnum *Bossueti*, magnum aliorum Parisiensium.

6.° Quid opus est, inquiunt, disputare utrum R. Pontifex falli possit, cum innumeros habeamus in manifesto errore deprehensos? Quis *ex. gr.* excusabit *Honorium*, quem tria Concilia Oecumenica, ut Mo-

no-

notelitarum fautorem damnarunt? Quis *Joan. XXII.*? Quis alios quadraginta Pontifices? Sudet, inquiunt, *Bellarminus*, sudet *Sylvius*, sudet *Cardinalis Orsius*, nihil certe proficiunt. Multa praeterea congerunt argumenta utriusque partis Theologi. Sed cum omnia referre brevitas instituti non patiatur, poterit lector ex iis, quae dicta sunt, veriorem partem eligere, salvo vinculo charitatis, et pacis.

Scholion.

Aliam quaestionem, inter Theologos excitatam, utrum Pontifex Concilio oecumenico praestet; an Concilium Pontifici, libenter omittimus; utpote quae ad contentionem potius, quam ad pietatem fovendam valet. Quae autem ad Ecclesiae, et fidelium utilitatem in ea controversia pertinent, et apud omnes constant, haec sunt. 1.º Tempore Schismatis Concilium oecumenicum esse Pontifice ipso praestantius; id enim ex gestis Concilii Pisani, et Constantiensis manifestum est. 2.º Pontificem in crimine haeresis Concilio oecumenico subesse; id enim fatetur Hadrianus II. in Epistola ad Concilium VIII. 3.º Concilium simul cum Pontifice, et a Pontifice ipso probatum, esse Pontifice solo praestantius. Ipsi enim R. Pontifices fatentur, se Conciliorum generalium statuta pro suo arbitratu, ac sine caussa mutare non posse. *Nullus jam veraciter Christianus ignorat, uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiae probavit assensus, nullam magis exequi sedem oportere, quam primam*, inquit Gelasius *Epist. ad Episc. Dardan.* Et Zosimus *in Epist. ad Episc. Prov. Vien. ap. Gratian. Caus. XXV. Q. I. et Labbeum Tom. II. conc. Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem sedis* (Apostolicae) *potest auctoritas.* Quod tamen non impedit, quominus pro temporum, et locorum circumstantiis in ipsis Conciliorum generalium statutis Pontifices *dispensare* possint, ubi Ecclesiae id poscit utilitas. Sed haec ad Canonistas pertinent.

CAP.

CAP. XI.

De auctoritate Scholasticorum.

Adv. Scholasticorum nomine non eos intelligimus, qui Scriptura, et traditione posthabita, inutiles controversias excitant, solvuntque philosophicis ratiocinationibus; sed Theologos graves, qui Scripturarum, et Patrum auctoritate controversias versant, moribus fidelium formandis aptas.

PROPOSITIO I.

Ubi Doctores Scholastici dissentiunt, major numerus non est certum veritatis argumentum.

Prob. Quando Scholastici dissentiunt, utraque pars rationes habet, atque adducit suas. Atqui fieri potest, ut minor Doctorum numerus pro se habeat rationes aut aeque graves, aut etiam graviores rationibus majoris numeri adversariorum. Saepe enim accidit, ut primus aliquis Doctor a veritate aberravit, qui tamen auctoritate sua alios in suam sententiam pertraxerit, atque hi alios; quia sunt nonnulli, qui, quasi avis avem, aut ovis ovem, sequuntur magistros; quorum auctoritatem suspiciunt. Ergo solus numerus non est certum veritatis argumentum.

PROPOSITIO II.

Communis Theologorum sententia tam probabile praebet argumentum, ut nisi manifesta in contrarium afferatur ratio, ei refragari temerarium sit.

Prob. Sententia communis ea est, quam communiter tenent fere omnes, licet pauci aliqui dissentiant. Atqui ab hujusmodi sententia discedere, nisi ex manifesta ratione, temerarium est; cum in qualibet arte peritis habenda sit fides: Hinc Concilium Viennense *Clem. un. de Sum. Trin.* opinionem illam,

quae

quae dicit tam pueris, quam adultis conferri in baptismo gratiam informantem, et virtutes, tamquam probabiliorem, et dictis Sanctorum, *et modernorum Thaeologiae doctorum* magis consonam, statuit eligendam. Ergo.

Diximus autem: *nisi manifesta in contrarium afferatur ratio*, quia fieri potest, ut pauci illi doctores, qui contra sentiunt, tam graves rationes adferant, quae numero adversariorum aequale pondus habeant, fortasse etiam antecellant. Hinc Augustinus *Lib. III. de Bapt. cont. Donat. cop.* 4. *Non quia*, inquit, *fieri non potuit, ut in obscurissima quaestione verius pluribus unus, paucive sentirent, sed quia non facile pro uno, vel pro paucis adversus innumerabiles ejusdem religionis, et unitatis viros, et magno ingenio, et ubere doctrina praeditos, nisi pertractatis pro viribus, atque perspectis rebus, ferenda sententia est.*

PROPOSITIO III.

Constans omnium Theologorum sententia in rebus fidei, et morum tantae auctoritatis est, ut ei contradicere, si non haeresis, saltem haeresi proximum sit.

Prob. Quia numquam omnes Theologi in aliquo dogmate consentirent, nisi ex Scriptura, aut traditione consensio illa originem certam haberet; nec ullum invenitur dogma ab omnibus Theologis constanter propugnatum, cui Ecclesia contradixerit. Ergo. Vide de hoc *Canum Lib. VIII. de Loc. cap.* 4. Atque haec de internis Theologiae locis satis dicta sint (*a*).

CAP.

(a) Antequam tamen hinc abeamus, juvat advertere, ad hos ipsos Theologiae locos internos revocari posse eum quem primus omnium observasse videtur saeculo superiori *Scipio Maffejus*, inscriptiones scilicet, quae in veterum Christianorum sepulcris sculptae leguntur, in quibus non pauca de Deo, de Trinitate, de divinitate Christi, de mortuorum resurrectione, aliisque dogmatis, non raro occurrunt: unde publica Ecclesiae fides quaenam eo tempore fuerit, luculenter ostenditur. Hinc ex ejusmodi undequeque corrogatis inscriptionibus, aliisque Ecclesiasticae anti-

qui.

CAP. XII.

De locis Theologiae externis.

Adv. Externi theologiae loci sunt, ratio naturalis, Philosophorum placita, Historia humana (nam divina historia, quae habetur in Libris Sacris, ad Scripturam pertinet). De ratione naturali, et Philosophorum placitis diximus in *Dissertatione Prodroma*, quantum sufficere putavimus. Restat ergo humana historia, quae duplex est, Ecclesiastica, et profana.

PROPOSITIO I.

Historia humana Theologo valde utilis est.

Prob. Ex historia humana discimus, quid antiquum sit; quid novum: quae dogmata in Conciliis sint statuta: quae vetus, quae nova Ecclesiae disciplina: quae praxis Sanctorum in civilibus reipublicae perturbationibus; aliisque vitae moralis officiis, quae quidem praxis quodammodo vivens quaedam divinae legis in rebus obscuris explicatio est, et virtutis incitamentum; qua occasione scripserint Patres, aut habita sint Concilia; quod valde juvat ad eorum sensum intelligendum. Atqui haec omnia adeo sunt utilia, ut nemo possit eruditus censeri Theologus, qui ea ignoret. Ergo.

Scho-

quitatis monumentis, novum quoddam lapidariae, ut ita dicam, et antiquariae Theologiae specimen edidit saeculo superiori D. Generus, quem laudat in litteraria historia *Jo. Andres Tom. VI. Lib. I. Cap.* 5. His autem addi possunt Acta S. Martyrum syncera apud *Ruinartium*. Quod enim illi Spiritu S. incitati coram tyrannis libere professi sunt, velut communis eo tempore Ecclesiae fides habenda est. Item Ecclesiarum Liturgiae, aliaque Ecclesiasticae antiquitatis monumenta.

Scholium.

Tirones igitur compendium aliquod Ecclesiasticae historiae perlegant, quale est Breviarum Ecclesiasticae Hist. *Laurentii Berti*, aut Compendium Historiae *Gravesoni*; non enim expedit, ut in ipso Theologicarum institutionum curriculo per latissimum Historiae campum evagentur. Eo tamen emenso, *Baronii* Annales cum Critica *Pagii*, *Natalem Alexandrum*, *Tillemontium*, *Fleurium*, *Orsium*, aliosque, si licebit, lectitare poterunt. *Gaspar Sagittarius* edidit *Introductionem in Historiam Ecclesiasticam*, *et singulas ejus partes*, quam supplevit, auxitq. *Joan. Andreas Schmidius*, ubi satis copiose enarrant, atque in ordinem digerunt Scriptores omnes Ecclesiasticae Historiae, quod et fecit *Joan. Albertus Fabricius Tom. XII.* Bibliothecae Graecae.

Porro quamvis una Theologo satis esset Ecclesiastica historia, tamen quia illa sine aliqua civilis historiae notitia comparari nequit, sequitur ut haec etiam non omnino negligenda sit.

PROPOSITIO II.

Res gesta, a pluribus gravibus, et fide dignis historicis relata, probabile theologo argumentum praebet.

Prob. Si namque, inquit Canus *Lib. XI. de Loc. cap.* 4. *Conc.* 2. *in ore duorum, vel trium stat omne verbum, cur adversus hanc legem pluribus testibus, rem eandem olim gestam contestantibus, fidem Theologus abrogabit?*

PRO-

PROPOSITIO III.

Res gesta, ab omnibus gravibus, et fide dignis historicis enarrata, certum suppeditat ad stabilienda Theologiae dogmata argumentum.

Prob. Quia de hujusmodi factis, quae graves historici omnes, nemine contradicente, enarrant, dubitare manifesta insania est. Quis enim *ex. gr.* serio dubitaverit, fuisse *Caesarem*? Quis negaverit, Petrum Romae fuisse? Imo si de hujusmodi rebus dubitari fas esset, nutaret etiam veritas earum rerum, quae *motiva credibilitatis* dicuntur: probari non posset, Concilium aliquod revera fuisse legitimum, et oecumenicum; atque pessum iret Theologia universa. Ergo.

Dices. Quaenam conditiones requiruntur, ut historicus aliquis fide dignus habeatur?

℟. Tres. Prima, ut sit rei, quam enarrat, coaevus. Altera, ut in aliis rebus non sit deceptus, aut manifestas venditaverit fabulas. Tertia, ut ipsius non intersit, quod res ita evenerint, ut ab eo referuntur. Vide *Honoratum a S. Maria in Animadversionibus super regulas, et usum artis Criticae.*

CAP. XIII.

De Theologicis propositionum censuris.

Solet Ecclesia propositiones a veritate aberrantes, quas Scriptor aliquis vulgavit, censoria nota inurere. Hae autem censurae praecipuae numerantur septem in Concilio Constantiensi *Sess. VIII.* in damnatione propositionum *Wiclefi*; quibus deinde aliae censurarum species additae sunt a R. Pontificibus, quarum sensum perspectum habere Theologos, necesse est. Aliae itaque propositiones dicuntur *haereticae*, aliae *erroneae*, aliae *schismaticae*, aliae *seditiosae*, aliae *blasphemae*, aliae *impiae*, aliae *scandalosae*, aliae *temerariae*, aliae *piarum aurium offensivae*; aliae

aliae *falsae*; aliae *verbo Dei contrariae*; quas hic singillatim explicabimus.

Illud tamen sedulo animadvertendum est, censuras istas notare propositiones, quales ipsae per se, et *ex objecto* sunt, non quales sunt in eo, qui eas protulit. Fieri enim potest, ut qui propositionem ex objecto haereticam pronuntiaverit, haereticus non sit, eo quod ab ea pertinacia sit immunis, quae ad haereticum constituendum, et damnandum necessaria est; atque idcirco in eo homine propositio *formaliter* haeretica non sit judicanda. Idem de aliis censuris esto judicium. Nunc singula perstringamus.

I. Propositio *haeretica* dicitur ea, quae directe opponitur propositioni revelatae; et ab Ecclesia ad credendum propositae. Propositio autem revelata, et ab Ecclesia ad credendum proposita est, quae vel expresse habetur in Scripturis, vel si non habetur in Scripturis, aut non ita clare habetur; constat tamen ex traditione, et definita est ab Ecclesia ut dogma fidei. Sic ista propositio: *gratia Dei secundum merita nostra datur*, haeretica est, quia opponitur propositioni revelatae, quae expresse habetur in Scripturis: *si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia Rom. XI. 6.* Item haec propositio, *baptismus ab haereticis forma legitima collatus, est irritus*, haeretica est, quia licet contrarium non habeatur expresse in Scripturis, habetur tamen ex traditione, et definitum ab Ecclesia est ut dogma fidei. Ante Ecclesiae definitionem propositio illa non erat haeretica, unde *Cyprianus*, qui eam asseruerat, excusatur ab *Augustino*, quia licet contrarium a Deo fuerat revelatum (revelatio enim, ut supra diximus, jam primitus plene facta est Apostolis) tamen ob humanam infirmitatem multis erat obscurum, quid ea de re revelaverat Deus, necdum Ecclesia rem declaraverat. Quod autem nonnulli recentiores Theologi affirmarunt, etiam post Ecclesiae definitionem posse aliquod dogma fidei iterum obscurari, ut jam haeretici non sint, qui contrarium tenent, id, ut mitissime dicam, valde temerarium est.

Illud autem est addubitatum, utrum propositio, quae

quae adversatur conclusioni Theologicae, quae ex duabus pendeat; quarum una ex fide, altera ex naturali ratione constet; haeretica censenda sit. Quae in re distinguendum est. Si enim conclusio ita evidenter ex dogmate fidei sequatur, ut potius ejus explicatio censenda sit, nec possit ullo pacto negari; quin simul dogma fidei negetur, unde ipsa derivatur; tunc contraria propositio haeretica censeri debet. Sic illa propositio: *non sunt in Christo duae voluntates*; item illa: *non est in Christo anima rationalis*, haereticae sunt, quia contrariae adeo evidenter sequuntur ex illa: *Christus est homo*; ut potius ejus explicationes videantur, nec negari possint, salvo principio. At si conclusio sit alterius generis, contraria propositio haereseos notam effugiet. Vide libellum *Francisci Veronii*, cui titulus est: *Regula fidei.* Vide et Canum *Lib. XII.*

Huic censurae, qua propositio haeretica dicitur, affines sunt aliae tres, quibus propositio aliqua dicitur vel *suspecta de haeresi*, vel *sapiens haeresim*, vel *haeresi proxima*. Propositio *suspecta de haeresi* est; quae probabiliter; *sapiens haeresim* est, quae probabilius; *proxima haeresi* est, quae probabilissime opponitur veritati revelatae.

II. *Erronea* propositio est, quae opponitur veritati, quam universa tenet Ecclesia, vel constans omnium Theologorum sententia docet, licet nondum sit ab Ecclesia definita. Ita propositio: *B. Virgo non est in caelum cum corpore assumta*; jam hodie erronea est.

III. *Schismatica* propositio dicitur, quae fideles a subjectione S. Pontificis, et legitimorum Pastorum retrahit. Sic qui diceret: *S. Pontifex tyrannicum gerit imperium*; schismaticam propositionem proferret.

IV. *Seditiosa* est, quae subditos ad rebellandum contra legitimos principes movet.

V. *Blasphema* est propositio, quae convicium aliquod in Deum, vel sanctos continet, tribuens illis aliquod indecens, vel negans quod illis debetur, ut est illa: *aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, et conantibus secundum praesentes; quas habent vi-*

res,

res, sunt impossibilia, deest quoque iis adjutorium, quo fiant possibilia.

VI. *Impia* dicitur propositio, quae ad cultum Deo debitum aut tollendum, aut minuendum tendit.

VII. *Scandalosa* dicitur propositio, quae per se apta est ad proximum in peccatum inducendum, vel a virtutum exercitio retrahendum; ut si quis diceret: *ex confessione auriculari gravia sequuntur incommoda.* Potest autem aliqua propositio esse vera, et tamen pro temporum, locorum, aut auditorum circumstantiis scandalosa: ita ut, mutatis circumstantiis, defendi possit.

VIII. *Temeraria* est, quae nullo aut Scripturae, aut traditionis, aut rationis theologicae fundamento; a communi Theologorum sententia recedit.

IX. *Falsa* dicitur, quae factum aliquod historicum falso asserit, quod fidei aliquo modo nocere possit. Nam si fidei non noceat, Theologica censura notari non debet.

X. *Piarum aurium offensiva* propositio est, quae licet non sit haeretica, continet tamen aliquid absonum, ex quo viri pii, non quidem ex imperita multitudine, sed graves, et prudentes offenduntur, ut esset haec propositio: *Erravit Constantinus Ecclesiam dotando.*

XI. Demum propositio *verbo Dei contraria est*, quae opponitur Scripturae, aut traditioni, sed non ita clare, et aperte. Quando scilicet Scriptura, aut traditio non adeo clara est, et Ecclesia rem nondum definivit.

Has censuras inurere ad Ecclesiam pertinet, non ad privatos. Solent tamen Theologi aliqua censura propositiones quasdam arguendo notare, hoc est rationibus Theologicis probare, aliquam propositionem censuram mereri, si ad Ecclesiae tribunal deferretur.

Movent hic nonnulli controversiam, utrum liceat, aut expediat multas simul propositiones damnare *in globo*, ut ajunt, hoc est damnare plures simul propositiones, erroneas, blasphemas, impias, piarum aurium offensivas, scandalosas, haereticas *respective.* Dicunt enim, ex hac damnatione in globo non consta-

sta-

stare, quaenam censura cuique propositioni conveniat. Nobis sat est, quod Concilium Constantiense Oecumenicum id fecerit in damnatione articulorum *Wiclefi*; quod enim universa Ecclesia facit, id utrum fieri debeat disputare, insolentissimae insaniae est, ut ait *Augustinus*. Nec refert, quod non constet, quaenam cuique propositioni censura conveniat, cum constet, nullam ex iis propositionibus defendi posse, cum singulae unam saltem ex iis censuris mereantur. Fatemur tamen, optandum esse, ut quoad ejus fieri poterit, singulae propositiones sua censura notentur.

Vide de his propositionum censuris *Canum Lib. XII. Cap.* 6. ubi multa de his propositionum censuris: de haeresi praesertim disserit erudite, ac luculenter Card. de Turrecremata *Lib. IV. Summ. De Ecclesia. Part.* 2. et alios,

Libri conclusio.

Ex iis, quae duobus jam libris disseruimus, patet, hominem sola naturali ratione non potuisse veram invenire religionem, atque ad beatam vitam pervenire. Hanc igitur necessitatem commiserans Deus, jam inde ab initio post Adae lapsum pollicitus est Christum *Gen. III.* 15. atque in fide ipsius Christi jam ab ipso mundi exordio religio Christiana fundata est, ad quam omnes justi, et electi pertinerent. Ab hac fide cum magna hominum pars ad idololatriam defecisset, vocavit Deus *Abraham*, ejusque familiam a ceteris gentibus circumcisione discrevit, ac peculiari sibi foedere devinxit, quam etiam deinde per *Moysen* novis ritibus, ac Sacramentis, quae Christum significabant, ideoque in ejus morte abolenda erant, colligavit. Haec particularis Ecclesia, Mosaicis ritibus collecta, extra quam poterant homines per Dei gratiam justi, ac salvi esse, ideoque catholica non erat, communiter a Scriptoribus Ecclesiasticis *Synagoga* dicitur: quod nomen congregationem significat, et potest etiam irrationabilibus animantibus convenire, ideoque melius carnali populo aptatur, cum contra Ecclesia coetum significet vocatorum homi-

mi-

minum ratione utentium: ideoque melius Ecclesiae Christi catholicae conveniat; licet Scriptura promiscue Synagogam, et Ecclesiam vocet tum Mosaicam, tum Christianam societatem. Christi igitur Ecclesia numquam ab exordio mundi defecit, etiam Synagoga deficiente, nec unquam ex Christi promissis defectura est, ideoque nec unquam in fide errare potest. Quapropter eam, tamquam filii obedientes, in omnibus audiamus, nec unquam ab ea ulla de causa discedamus. Illa enim semper erit, etsi nos in ea non simus.

Finis Lib. II.

EXERCITATIO THEOLOGICA

DE

ROMANI PONTIFICIS

In definiendis ex cathedra fidei, morumque controversiis auctoritate.

De Romani Pontificis auctoritate, sive, ut Scholae ajunt, *infallibilitate* in definiendis Fidei, morumque controversiis in *Lib. II.* Theologicarum Institutionum historico potius more, quam Theologico disputavimus. Et quamvis ex ipsa rerum enarratione, quid in ea caussa sentiremus, satis unicuique perspectum exploratumque esse possit; juvat tamen rem eandem explicare luculentius, ut et adolescentes in promtu habeant rationes, quibus contraria adversariorum argumenta refutent, et simul a calumnia illa vindicetur Italia nostra, quam quidam nobis impingere non cessant, quasi in sacris disciplinis adulatione potius Romanae Sedis moveamur, quam studio veritatis. Sed quid multa? Cum enim satis ibi, quantum instituti brevitas patiebatur, hujus quaestionis tradita sit historia, explicatumque perspicue, quid sit private, quid *ex cathedra* docere (a) ipsa jam propositio totam nostram ex-

(a) Ea igitur fides, seu doctrina fidei, quae in controversiis fidei ab ipsis Pontificibus ita proponitur, ut fratres, et fideles omnes confirment in fide, et unitatem ejusdem fidei exigant, atque conservent in Ecclesia catholica, illa est, cui inerrantiae privilegium ex promissis Christi est vindicandum. Solas ita.

explicabit de R. Pontificis in fidei, morumque caussis auctoritate sententiam.

PROPOSITIO

Judicium R. Pontificis universam Ecclesiam ex cathedra docentis, in rebus fidei, et morum falli non potest.

Prob. I. ex Scripturis. 1.° *Luc. XXII.* 31. sic *Petrum* affatur Christus: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret tamquam triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quae quidem verba quis sanus negaverit, non ad omnes in commune discipulos, sed ad *Petrum* singulariter dicta? Ut quid enim singulares illae voces, *Simon, rogavi pro te, fides tua; confirma fratres tuos*, quae postrema sententia manifeste *Petrum* discernit a ceteris? Cum igitur absoluta Christi oratio semper efficacissima fuerit; intelligendum est, datum fuisse Petro, ut non solum ipse numquam a fide deficeret (quo sensu ait Augustinus *lib. de corr. et grat. cap.* 8. *Quando rogavit Christus pro Petro, ne deficeret fides ejus, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem* [2]) verum etiam, ut nutantes in fide fratres, ipsosque Apostolos, atque discipulos confirmaret. Inquit enim Leo M. *Serm. III. De assumt. sua ad Pontif. Specialis cura Petri a Domino suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo mu-*

---

itaque fidei definitiones id respicit a summis Pontificibus Ecclesiae propositas contra insurgentes dissentiones et errores in materia fidei, non autem opiniones, quibus etsi aliquid statuant, nihil tamen decernunt credendum ex catholica fide, nihilque damnant tamquam alienum ab eadem; non simplicia praecepta, quae ad fidei definitionem referri non possunt; non judicia de personis tantum; non decreta disciplinae, quae ad fidem non pertinent; non tandem omissiones definitionum fidei. *Ita P. Ballerinius in singulari libro de Primatu ec. Vide quae de Conciliis oecumenicis diximus Lib. II. Cap. IX.*

munitur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis ceteris conferatur. Atqui laudata Christi verba non solum ad *Petrum*, ut singularem personam, verum etiam, ut Ecclesiae caput, ideoque ad ejus etiam successores pertinebant, ut post veteres omnes Patres docet *Bernardus* Gallicanae Ecclesiae ornamentum *in Epist. CXC. ad Innoc. II.* nec diffitetur Bossuetus *Defens. Declar. Part. III. Lib. X. Cap.* 4. Si ergo ad *Petri* successores, Romanos scilicet Pontifices ea Christi oratio pertinet, ut et ipsi a fide non deficiant, et fratres suos confirment; patet, eos in rebus fidei, morumque ex cathedra docendis falli non posse.

2.° *Matth. XVI.* 18. ait Christus Petro: *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversus eam*; ex quibus verbis primatum R. Pontificis suo loco demonstravimus. Non igitur negant adversarii, qui se catholicos profitentur, verba illa Christi Domini ad Romanum Pontificem Petri successorem pertinere, ita ut in eo Ecclesia universa tamquam in solidissima petra ita fundata sit, ut portae inferi adversus eam praevalere non possint. At si R. Pontifex posset ex cathedra aut contraria bonis moribus, aut haeresim docere, non esset adeo firmum, ac stabile fundamentum, quod universam Ecclesiae molem fulciret, ac sustineret. Sicut enim ruit aedificium, fundamento concusso, sic non posset Ecclesiae moles, Pontifice errante, consistere. Sed advertendum praeterea est, verba illa Christi Domini: *portae inferi non praevalebunt adversus eam*, non solum de Ecclesia ipsa intellecta, atque explicata esse a Patribus, verum etiam de ipsa Romana cathedra. Sic Origenes *Hom. in Cap. XVI. Matth. Neque adversus petram*, inquit, *super quam Christus aedificavit Ecclesiam, neque adversus Ecclesiam portae inferi praevalebunt.* Et Augustinus in Psalmo *cont. Part. Don. Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo Patrum quis cui successit videte. Ipsa est petra, quam*

non vincunt superbae inferorum portae. Idem docent Leo M., Gregorius M., Epiphanius, aliique.

3.° *Joan. XXI.* 21. Postquam Christus ter Petrum interrogavit, utrum eum plus ceteris Apostolis diligeret; subjecit: *pasce agnos meos*: *pasce oves meas*: quibus verbis Petrus, ejusque successor R. Pontifex Ecclesiae doctor constitutus est; cum praecipua ejus pastionis pars in doctrina consistat. Quamvis enim Apostolis omnibus pascendi gregis, ac docendi cura commissa sit; imo et Episcopis omnibus scribat Petrus 1. *Pet. v.* 2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei*: non tamen majorem prae ceteris dilectionem a *Petro* postulasset Christus, nisi supremam ei non ovium duntaxat, sed et inferiorum pastorum mandare curam voluisset, supremamque ei cathedram destinasset, ex qua non modo discipulos, sed et doctores ipsos, hoc est Episcopos, atque presbyteros edoceret. Atqui grex ipse, Ecclesia scilicet universa, errare in rebus fidei non potest, ut contra haereticos fatentur nobiscum adversarii. Non igitur errare potest supremus Ecclesiae doctor. Quale enim esset hoc absurdum, ut discipuli errare non possint; contra vero magister, qui eos docere, atque ab errore avertere debet, in docendo errare possit?

Prob. II. Ex perpetua Ecclesiae traditione. 1.° Irenaeus de R. Ecclesia scribens (*Lib. III. Cap.* 3.) quam appellat *maximam, antiquissimam, et omnibus cognitam, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro, et Paulo Romae fundatam, et constitutam Ecclesiam. Ad hanc,* inquit, *Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique, fideles, in qua semper ab iis qui sunt undique, conservata est ea, quae ab Apostolis est, Traditio. Potentiorem autem principalitatem* Romanae Ecclesiae tribuit, non propter Urbis amplitudinem, aut civitatis imperium, sed propterea quod illa principium, basis, ac veluti centrum est Ecclesiasticae unitatis; in qua velut in communi omnium gentium thesauro depositum Apostolicae traditionis conservatur. 2.° Tertullianus *Lib. de Praescr. Cap.* 36. *Habes*, inquit, *Romam*, *unde nobis quoque* (Eccle-

clesiae scilicet Africanae) *auctoritas praesto est. Ista quam felix Ecclesia; cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt!* Quid est autem ex Romana Ecclesia praesto esse omnibus auctoritatem, nisi ex illa omnibus praesto esse certam, indubiamque doctrinam? 3.° Cyprianus *Lib. de unitate Eccles. Qui cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.* Cathedram autem ille deserit, qui doctrinae refragatur. 4.° Optatus Milevitanus. *Lib. II. cont. Parmen. Negare non potes, scire te in Urbe Roma Petro primò cathedram Episcopalem esse collatam, in qua una cathedra veritas ab omnibus servaretur.* Quae verba, cum cathedra ad doctrinam maxime referatur, satis evincunt, in una R. Cathedrae doctrina unitatem Ecclesiae consistere, quod non ita esset, si cathedra illa in fide, aut moribus falli posset. 5.° Hieronymus *Epist. ad Damas. LVII. Beatitudini tuae, idest cathedrae Petri, communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in arca non fuerit, peribit, regnante diluvio. Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* 6.° Augustinus *Ep. CXC. al. CLVII. In his verbis Apostolicae sedis tam antiqua, atque fundata, certa, et clara est catholica fides; ut nefas sit dubitare Christianis.* Et *Serm. CXXXI. al. II. de verb. Apost. Jam enim hac de causa duo concilia ad Sedem Apostolicam missa sunt; inde etiam rescripta venerunt; causa ergo finita est.* Quae quidem verba maximum momentum habent, cum inde concludat Augustinus, non esse post Pontificis definitionem necessarium generale concilium; quod Pelagiani flagitabant. Inane autem Bossueti, aliorumque Gallorum effugium, qui cathedram a sedente Pontifice distinguunt, infra refutabimus. Vide apud Coccium *in Thesauro*, Card. de Aguirre *in Defens. Cath. S. Petri*, Card. Orsi, aliorum Patrum, imo et Conciliorum generalium testimonia, quibus R. Pontificem passim appellant *Basim fidei immobilem*; *Caput totius fidei*; *Adamantem fidei*, *cujus solida mens ag-*

gres-

gressionibus, *atque conflictionibus alienae a fide opinionis non est vulnerabilis*; *Custodem vitae*, *et fidei Christianae etc.*

Juvat tamen praesertim exponere, de hac re Gallicana ipsa Ecclesia quid antiquitus senserit, ut luce clarius appareat, recentiores istos Theologos, qui Gallicanam nobis objiciunt Ecclesiam a majorum suorum doctrina defecisse. Nam praeter *Irenaeum* Lugdunensem Episcopum, cujus supra testimonium recitavimus, sic *Avitus* Viennensis ad *Hormisdam* Pontificem scribit *Epist. LXXXVII. Securus*, *non dicam de Viennensi*, *sed de Totius Galliae devotione polliceor*, *omnes super statu fidei vestram captare sententiam.* Et Synodus Touronensis anno DLXX. *Quis*, inquit, *contra decreta talia*, *quae a Sede Apostolica processerunt*, *agere praesumat? Sedis Apostolicae semper fuit aut intromittere auctores*, *quorum valere possit praedicatio*, *aut apocryphos facere*; *et Patres nostri hoc semper custodierunt*, *quod eorum praecesserit auctoritas.* Hinc *Jesse* Ambianensis in encyclica Epistola: *Sequimur Romanae Ecclesiae auctoritatem*; *ut unde catholicae fidei initia accepimus*, *inde exemplaria salutis nostrae semper accipere debeamus*, *ne umbra a corpore separetur suo*; *ne Claviger regni caelestis abjiciat*, *quos a suis diversos intelliget esse doctrinis.* Praeterea sic habet *Rhegino* Prumiensis in Chronico: *Stultitiae quidem elogio denotandi*, *qui illam Petri sedem*, *aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt*, *quae nec se fefellit*, *nec ab aliqua haeresi unquam falli potuit.* Atque in eandem sententiam loquuntur *Yvo Carnotensis*, *Alcuinus*, *Anselmus*, *Petrus Cellensis*, *Petrus Cluniacensis*, quorum testimonia passim apud nostrates invenies.

Sed praetermissis aliis non paucis Gallicanae Ecclesiae Scriptoribus imo et Conciliis, videamus quid *Bernardus* ejusdem Ecclesiae lumen, et ornamentum senserit. Ait enim *Epist. CXC. ad Innoc. II. Oportet ad vestrum afferri Apostolatum pericula quaeque*, *et scandala emergentia in regno Dei*, *ea praesertim*, *quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror*, *ibi potissimum resarciri damna fidei*, *ubi non possit fides*

fides sentire defectum; haec quippe hujus praerogativa sedis; cui enim alteri aliquando dictum est: ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Egregia plane, et Bernardo digna sententia. Proferat autem, si potest *Bossuetus* vel unum ex Scriptoribus Gallis, qui ante *Gersonem*, hoc est ante Occidentis schisma, in quo sunt omnia perturbata, expresse affirmaverit, R. Pontificem ex cathedra fallere, et falli posse. Licet enim ubique Patres, et Gallicanam Ecclesiam jactet; cum tamen ad auctores laudandos, ventum est, qui R. Pontificem ex cathedra errare posse conceptis verbis asseruerit, nullum *Gersone* antiquiorem profert.

At enim, inquiunt, Parisiensis Academia contrarium semper tenuit. Quod si verum esset, Academia potius illa, quam vetus Ecclesia, praesertim Gallicana, deserenda esset. Sed non est ita. Primo enim Stephanus Parisiensis solemne decretum de unanimi *Magistrorum Theologicae facultatis consilio* edidit anno *MCCCXXIV.* in quo ita constitutum est. *Sacrosancta Romana Ecclesia omnium fidelium mater, et magistra in firmissima D. Petri Christi Vicarii petra fundata est. Ad quam velut ad universalem regulam catholicae veritatis pertinet approbatio, et reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, et confutatio errorum.* Iidemque *Theologicae facultatis magistri* Tractatum Theologicum *Clementi VII.*, quem ut legitimum tunc habebant Pontificem, Avenione obtulerunt, in quo *Prima conclusio est, quod ad Sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate judiciali suprema circa ea, quae sunt fidei, judicialiter definire. Et hoc probatur, quia ad illius tamquam supremi judicis auctoritatem pertinet in fide judicialiter definire, cujus fides numquam deficit. Sed Sanctae Sedis Apostolicae fides numquam deficit; quia de hac Sancta Sede in persona Petri in ea praesidentis dictum est: Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua Luc. 22. Propter quod dicit Cyprianus: qui cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se non esse demonstrat. Et Hieronymus dicit; Super eam fundata est Ecclesia, et qui cum Pontifice Romano non colligit, disperdit.* Deinde quanti *S. Thomam* Parisiensem Doctorem semper fecerit Academ-

demia illa, satis unicuique exploratum est; unde ex ejus Academiae Actis hoc *S. Thomae* elogium recitat Gonetus, *Tom. I. Cum D. Thomas fuerit universae Ecclesiae lumen praefulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum, Universitatis nostrae speculum clarissimum, et candelabrum insigne, ac lucens, per quod omnes, qui vias vitae, et Scholas doctrinae sanae ingrediuntur, lumen vident, claritatis vivae, famae clarae, et scientiae lucidae velut stella splendida et matutina etc.* Hic ergo tantus Doctor, cui nullum Parisiensis Academia parem tulit, sic de R. Pontifice loquitur 2. 2. *Q. I. art.* 10. ubi quaerit, utrum ad R. Pontificem pertineat ipsum edere fidei Symbolum: *Respondeo, dicendum, quod sicut supra dictum est, nova editio symboli necessaria est ad vitandos insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores, et difficiliores Ecclesiae quaestiones referuntur; ut dicitur in Decreto* (Caus. 2. q. 6. can. Oppressus) *Unde et Dominus Luc. XXII. Petro dixit, quem summum Pontificem constituit: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiae . . . . . Quod servari non potest nisi quaestio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest; ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur; et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio symboli, sicut et omnia alia, quae pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare synodum generalem, et alia hujusmodi.* Luculentiora sunt ea verba, quam ut explicatione indigeant; ita ut me suppudeat *Bossueti*, qui ad illa enervanda cavillationes tanto viro indignas comminiscitur *Part. III. Lib. X. cap.* 16. In eandem sententiam loquitur *S. Bonaventura*, et ipse egregius Parisiensis Doctor *in Exposit. Regul. S. Franc.*, nec non *Albertus M.*, *Alexander Alensis*, *Nicolaus Liranus*, aliique. Vetus igitur Ecclesiae traditio, praesertim Gallicanae,

et

et Parisiensis Academiae ante *Gersonem*, et schisma Occidentis, R. Pontificem in rebus fidei, et morum ex cathedra definiendis errare non posse constantissime tenuit.

Prob. III. ratione Theologica 1.° Si Ecclesia falli nequit, ut catholici omnes certissime profitentur; profecto supremum, ac *finalem* ut loquitur *S. Thomas*, judicem controversiarum falli non posse, necesse est. Posito enim supremo aliquo, ac finali judice, semper nutat, atque infirmum est, ante ejus assensum, judicium aliorum; ideoque si finalis judicis sententia falli posset, non esset aliorum judicium inconcussum. Atqui supremus, ac finalis controversiarum judex summus est Pontifex. Ipsa enim oecumenica concilia nondum rata, atque absoluta sunt, donec a R. Pontifice confirmentur, ut ex omnium Conciliorum historia, imo ex ipsa Ecclesiastici regiminis ratione, ac natura perspicuum est. Et quamvis *Bossueto* daremus, hanc confirmationem nihil aliud esse nisi subscriptionem, qua R. Pontifex aliorum Episcoporum sententiae accedit, et assentitur; hoc tamen certum, exploratumque est, ante Pontificis assensum Concilia nondum oecumenica, rata, ac legitima, ideoque nec infallibilia existimari. Neque enim ullum tot jam elapsis saeculis concilium est, quod a R. Pontifice improbatum habeatur ratum, atque legitimum. Si ergo Pontifex ex cathedra falli posset; posset etiam subscribere, et assentiri concilio, quod in fide erraverit, ut *ex. gr.* Ariminensi, Seleuciensi, Ephesino latrocinio; ideoque si R. Pontificis judicium infirmum esset, ipsa conciliorum generalium nutaret auctoritas.

2.° Ea semper fuit Ecclesiae consuetudo, ut in rebus dubiis, ad fidem, moresque pertinentibus R. Pontificis judicium exquireretur, ejusque sententiam velut oraculum omnes sequerentur; quod ex Hieronymi ad Damasum Epistola, aliisque veteris Ecclesiae monumentis constat. Hoc etiam saepe ipsam fecisse Gallicanam Ecclesiam, novimus. Hinc Lupus Servatus *Epist. CIII. ad Benedictum III. In quibuscumque*, inquit, *ad religionem, vel ad honestatem spectantibus ambiguitatem creat varietas; ut optima quaeque eni-*

te-

teant, illic sollicita investigatione credimus recurrendum, unde fidei ubique manavit exordium. Et Hincmarus Rhemensis *Epist. ad Nicolaum I. In omnibus dubiis, vel obscuris, quae ad rectae fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, sancta Romana Ecclesia ut omnium Ecclesiarum mater, et magistra, nutrix, ac doctrix est consulenda, et ejus salutaria monita sunt tenenda.* Et ne quis ea cum *Bossneto* non ad R. Pontificem dicta esse contendat, sed ad Romanam Ecclesiam, ait in eadem Epistola ad Nicolaum: *Neque enim fas est, ut absque Vicario Dei, absque Clavigero coeli, absque curru, et auriga spiritualis Israelis, absque universitatis Pontifice, absque singulari Pastore, absque unico Papa, absque omnium arbitro, aliquid consummetur, aut divulgetur. Tu enim tenes claves David. Tu accepisti claves scientiae. In arca quippe pectoris tui, arca Testamenti, et manna coelestis saporis requiescunt.* Et re quidem vera definire exortas de fide, ac moribus controversias ad R. Pontificem pertinere, nemo umquam negavit; imo et Sorbonici ipsi Theologi, Clerusque Gallicanus in solemni illa sua *Declaratione* profitentur. Hinc Gallicani ipsi Episcopi anno MDCLV. a S. Pontifice *Innocentio X.* judicium de quinque *Jansenii* propositionibus postulantes; *Majores*, inquiunt, *causas ad sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiae mos est, in qua fides Petri numquam deficiens perpetuo conservatur.* Atqui hoc frustra fieret, si R. Pontifex docens ex cathedra falli posset; cum post ejus definitionem iisdem res esset agitata controversiis; satiusque esset doctum aliquem, atque in Theologia versatum Episcopum consulere. Constat igitur, eam semper fuisse Ecclesiae mentem, R. Pontificis judicium ex cathedra falli non posse, ejusque definitionem ita omnes ambiguitates tollere, ut *causa finita sit*, ut loquitur Augustinus. Quapropter merito illi ipsi, quos paulo ante commemoravi, Gallicani Episcopi *Innocentio X.* post Jansenianae caussae definitionem gratias agentes; *Perspectum*, inquiunt, *habemus non solum ex Christi pollicitatione Petro facta, sed ex actis priorum Pontificum, judicia pro sancienda regula fidei a summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione divina ae-*

aeque, ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium praestare tenentur, seu suam Episcopi in consultatione sententiam ponant, seu non ponant.

3.° Multas saepe haereses vel a primis Ecclesiae saeculis R. Pontifices ex cathedra damnarunt, quique ab iis sunt damnati, etiam sine ullo concilio, ab omnibus haeretici habiti sunt. Sic *Victor* Theodotum, *Zephyrinus* Montanistas, *Damasus* Apollinarem, *Siricius* Jovinianum, *Innocentius*, et *Zosimus* Pelagianos, *Leo IX* Berengarium, *Innocentius II.* Petrum Abaelardum, *Eugenius III.* Gilbertum Porretanum; alii alios damnarunt haereticos, ut omittamus interim *Stephanum, Caelestinum I. Leonem M. Martinum I. Gregorium II.* aliosque, quorum definitiones oecumenica concilia secuta sunt. Illud constat, damnatos a R. Pontifice ab omnibus pro haereticis habitos, causamque post Pontificis decretum esse finitam. Hinc Augustinus *Lib. II. cont. duas Epist. Pelag. cap.* 3. *Per Papae* inquit, *rescriptum causa Pelagianorum finita est; totoque Orbe post ejus damnationem damnati sunt, ac litteris Innocentii omnis de hac re dubitatio sublata est.*

4.° Cum opporteat et haereses esse, ut inquit Apostolus in Epistola 1. *ad Corinthios*, multaeque saepenumero exortae sint iis temporibus, quibus Concilia oecumenica haberi nullo modo poterant, profecto malis ingruentibus non potuisset occurri, nisi Deus supremum judicem controversiarum in Ecclesia posuisset, cujus sententia errori non esset obnoxia; et Synagoga, ut inquit S. Bonaventura, *fuisset felicior, quam Ecclesia*; in illa enim supremum judicem constituit Deus, cujus sententia in controversiis ad religionem pertinentibus retractari non poterat *Deuter. XVII.* Qui autem ad singulas haereses damnandas, singula Oecumenica concilia haberi vellent, nugantur, nesciuntque omnino quid dicant; quantaeque molis sit generale concilium celebrari. Nec regeras, posse saltem consensum Ecclesiae per orbem dispersae cognosci, cum saepe haereses late diffusae consensum hunc unanimem omnino perturbent, ut difficillimo illo tempore accidit, quo, ut ait *Hieronymus*, ingemuit totus orbis,

et

et se Arianum esse miratus est; quam sententiam suo loco explicavimus.

5.° Doctrinae novitas, praesertim si ea singularis sit, certum est in rebus Theologicis falsitatis indicium. At ejusmodi est Parisiensium doctrina. Est enim nova, cum nemo eam ante *Gersonem*, ne in Gallia quidem expresse docuerit. Est vero etiam singularis. Inquit enim *Petrus de Marca* Parisiensis Archiepiscopus *in Observat. ad Theses Claremont. Haec opinio; quae R. Pontifici ex cathedra docenti, infallibilem auctoritatem tribuit, est illa quam unice Italia, Hispania, aliaeque omnes Christianitatis provinciae docent; ita ut illa, quam sententiam Parisiensium Doctorum vocant, ad classem earum opinionum revocanda sit, quae solum tolerantur .... Auctoritas infallibilem sententiam in causis fidei pronunciandi est R. Pontificibus omnium Universitatum consensu acquisita, excepta tamen antiqua Sorbona. Imo hoc quoque tempore hanc de infallibilitate Pontificis sententiam in ipsa Sorbona doceri videmus; nam die duodecima mensis Decembris anno MDCLX. in Sorbona publice haec thesis defensa est, videlicet: Romanus Pontifex controversiarum Ecclesiasticarum est constitutus judex a Christo, qui ejus definitionibus indeficientem fidem promisit. Veterem* autem *Sorbonam* appellat non veterem universam Academiam Parisiensem; in qua sententiam nostram jamdudum valuisse demonstravimus, sed peculiare collegium illud, quod *Sorbonicum* ab ejus autore appellatur, quodque grassante schismate saeculo XIV. novam illam opinionem, velut aptam terrendis (ut ipsis quidem videbatur) in tempore Pontificibus invexit. Respondet quidem *Bossuetus* non fuisse *Petrum de Marca* Theologum. Esto: sed negare non potest, fuisse virum eruditum, ideoque satis idoneum testem ejus doctrinae, quae sua aetate tum in Galliis, tum alibi publice in Scholis invaluerat, ac tradebatur. Non diffitemur quidem, alios etiam in aliis Academiis fuisse Theologos qui Sorbonicam illam opinionem sectati sunt, neque id *Petrus de Marca* ignorabat. Sed singulares auctores extiterunt, non integrae Academiae, atque Universitates, quae eam doctrinam veluti suam ex profes-

fesso propugnaverint. Cum igitur Sorbonica illa sententia nova sit, ac singularis, non est cur ejus sectatores despiciant contraria sentientes; verumque potius est, quod prius traditum, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus.

6.° Concedit *Bossuetus* Sorbonicae sententiae clarissimus assertor, idque propterea tamquam totius Gallicanae Ecclessiae sententia, atque doctrina existimanda est, R. Sedem, sive cathedram falli non posse, idque saepe repetit, et inculcat Patrum auctoritate, atque unanimi consensione evictus. *Haec igitur*, inquit, *cathedra, haec sedes, haec Ecclesia est, quae pro sui Pontificis dignitate uniendae Ecclesiae necessaria, numquam a vera Ecclesia, numquam a vera fide abrumpatur.* Part. III. Lib. X. Cap. 5. et Cap. 6. *Quae proinde cathedra si concidere posset, fieretque jam cathedra non veritatis, sed erroris, et pestilentiae, Ecclesia ipsa Catholica non haberet societatis vinculum; jamque schismatica, et dissipata esset, quod non est possibile.* Si autem Romana cathedra falli non potest, nec Pontifex ex cathedra illa docens falli poterit; cathedra enim non docet, nec loquitur, nisi per eum, qui in illa sedet, nec nisi per metonymiam omnibus notissimam docere cathedra dicitur, cathedrae scilicet nomine pro magistro, qui in cathedra sedet, usurpato. Neque vero patres, qui a R. Pontificibus definitiones controversiarum fidei postularunt, a cathedra ipsa, sed a Pontificibus in cathedra sedentibus responsa expectabant. Quod si forte Romanae sedis, et cathedrae nomine ipsam Romanam Ecclesiam intelligunt, cui tribuunt ασφαλειας privilegium, quod Pontifici negant, pugnantia se loqui, non intelligunt. Pontifex enim ex cathedra loqui tunc dicitur, cum ex ipsius Romanae Ecclesiae sententia loquitur; audito scilicet fratrum consilio, divina ope implorata, reque mature a Romanae Ecclesiae Cardinalibus, ac Theologis explorata, atque discussa. Quapropter si R. Pontifex ex cathedra loquens falli posset, falletur et cathedra; quod si haec falli nequit, nec Pontifex docens ex cathedra errare umquam poterit.

Mi-

Mirum vero est quod ait *Bossuetus*, hoc sensu Romanam cathedram falli non posse, quod si quis Pontifex ex cathedra docendo fallatur, corrigatur ab altero, ut ita non in Pontificibus singulis, sed in ipsa serie Pontificum fides semper immota consistat. Quis enim non videt aliud esse numquam falli, aliud errorem agnoscere, atque corrigere? Quis vero judicabit, utrum prior erraverit Pontifex, an posterior, qui prioris erratum se correxisse putat? Sane ad istas declinant ineptias, qui in Romani Pontificis auctoritate oppugnanda summi Theologi videri volunt.

7.° Illud etiam *Bossuetus* non solum concedit invitus, sed constanter affirmat, magni esse facienda ipsorum testimonia Pontificum, qui suae sedis privilegia commendant. Ait enim *Part.III. Lib. X. Cap.6. Audio quid dicant; Romanis Pontificibus sedis suae dignitatem commendantibus, in propria videlicet causa non esse credendum. Sed absit; pari enim jure dixerint, ne Episcopis quidem, aut Presbyteris esse adhibendam fidem, cum Sacerdotii sui honorem praedicant; quod contra est. Nam quibus Deus singularem honoris, dignitatisque praerogativam contulit, iisdem inspirat verum de sua potestate sensum, ut ea in Domino cum res poposcerit libere, et confidenter utantur; fiatque illud*, *quod ait Paulus* II. Cor. V. 12. *Accepimus spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis. Quod quidem hic semel dicere placuit, ut temerariam, ac pessimam responsionem confutarem; confiteorque me de Sedis Apostolicae majestate Romanorum Pontificum doctrinae, et traditioni crediturum.* Atqui praeter veteres Pontifices, qui Romanam Cathedram affirmant errori obnoxiam esse non posse, quorum longam seriem *Bossuetus* ipse recenset, duo praecipue Romani Pontifices Sorbonicam illam doctrinam rejecerunt, ac damnarunt; primum quidem *Alexander VIII.* deinde vero *Pius VI.* ut cuique notum est. Ergo.

Refutantur Objecta.

Objic. I. Verba illa Christi Domini Petro dicentis: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* non aliud significant, nisi Christi praeceptum, quo jubetur Petrus, ejusque successores, nutantes in fide fratres confirmare; quod praeceptum ad ceteros etiam Apostolos, et Episcopos pertinet; unde Episcopo dicitur *Apoc. III. 2. Esto constans, et confirma cetera, quae moritura erant.* Sed non hinc efficitur, eos huic officio numquam defuturos. Si enim jubendo Christus id praestat, ut praeceptum ipsum impleatur, jam omnes sunt *impeccabiles.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Significant praeceptum cum adjuncta promissione numquam errandi, *conc.* Secus *neg.* Ait enim Christus: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; quae verba ceteris Apostolis, ac Episcopis dicta non sunt.

Objic. II. Distinctionem illam sedis a sedente, qua *Bossuetus* explicat, quo sensu veteres Romanam cathedram affirmant falli non posse, immerito Itali Theologi contemnunt, ac rident. Ait enim Leo M. *Epist. LXXX. al. LIII. Aliud sunt* sedes *aliud Praesidentes. Etsi enim*, inquit *Epist. XCII. al. LXI. diversa nonnunquam sunt merita Praesulum, tamen jura permanent sedium.* Licet ergo in Romana sede, sive cathedra immota maneat doctrina fidei, ut Patres affirmant; non hinc efficitur, errare non posse Pontifices ex cathedra docentes.

℟. *Neg. ant.* Verba enim *Leonis M.* in objectione posita nihil aliud sibi volunt, nisi peccata *Praesidentium*, prout privatam personam gerunt, suarum sedium juribus detrimentum afferre non posse; quod nos etiam de Romano Pontifice fatemur. Si enim ille, ut privatus aut erret, aut peccet, non propterea Romana cathedra mutabit. Sed cum Pontifex ex cathedra docet, hoc est ex ipsius cathedrae sententia, tunc cathedram a magistro, qui in illa docet, distinguere valde absurdum est; ut supra explicavimus.

Ob-

Objic. III. Viri sancti Romanis Pontificibus ex cathedra docentibus audacter, ac fortiter restiterunt, nec propterea haeretici, aut scelesti homines existimati sunt. Sic Asiani Episcopi *Victori* obstiterunt in quaestione de celebratione Paschatis. Sic *Cyprianus Stephano* in causa baptismi haereticorum. Sic etiam ob V. Synodum a *Vigilio*, aliisque Pontificibus probatam, non solum Gallicani, verum etiam Itali Episcopi non pauci, ipseque vir sanctissimus *Columbanus* Monasterii Bobiensis Fundator, et Abbas, Romanorum Pontificum fidem suspectam habuere. Constat etiam, Gallicanos Epicopos Nicaenam II. Synodum a Pontifice confirmatam recipere aliquandiu noluisse. Ergo.

R. *Dist. ant.* Sancti viri Romanis Pontificibus ex cathedra docentibus restiterunt errando, *conc.* Vera sectando, *neg.* Hoc igitur non modo R. Pontificum firmissimam in docendo auctoritatem minime labefactat; verum etiam firmat magis, ac roborat, quod nemo umquam Romanae cathedrae definitionibus, nisi errando potuit obsistere. Quapropter sicut *Augustinus* praedestinationem inde magis confirmat, quod nemo umquam adversus eam, nisi errando disputare potuerit; sic nos R. Pontificum inconcussum sive *infallibile* judicium vel inde magis firmare possumus, quod nemo adversus illud, nisi errando disputavit. Tunc adversariorum valeret argumentum, si Ecclesia catholica pro Asianis Episcopis, pro *Cypriano*, pro Gallis contra *Victorem*, contra *Stephanum*, contra *Vigilium*, aliosque Pontifices judicasset. Cum autem contra acciderit, ut qui R. Pontificum definitioni restiterunt, erraverint; nonne hoc magis confirmat, quam labefactet eorum Pontificum *infallibile* judicium?

Inst. 1.° Quamvis ii, qui R. Pontificum definitionibus restiterunt, erraverint; satis tamen hac ratione significarunt, non se ita firmum ac certum eorum judicium existimasse, ut falli non posset; alioqui piaculum duxissent ei contradicere. Ergo.

R. Transeat ant. Neg. cons. Sicut enim errarunt in eo dogmate, quod contra Pontificis sententiam tuebantur, sic errare potuerunt in alio. Dixi vero *transeat*

seat antecedens; propterea quod non facile concedimus, viros illos sanctos facto ipso significasse, non se Pontificis judicium ex cathedra docentis *infallibile* existimare. Potuerunt enim putare, Pontifices non ex cathedra, hoc est ex Romanae Ecclesiae sententia, atque consilio locutos, aut non omnia servata esse, quae ad definitionem ex cathedra requiruntur (a), aut definitionem non ad fidem, quae communis est totius Ecclesiae, sed ad disciplinam pertinere. Quod praesertim tum in quaestione de Pascha, tum in ea, quae de Baptismo haereticorum exarsit, accidisse perspicuum est, ut ostendit ipse *Natalis Alexander* Parisiensis Doctor in Historia Ecclesiastica.

Inst. 2.° *Augustinus* saepe *Cyprianum* excusat; non ex eo, quod putaverit definitionem *Stephani* aut non fuisse ex cathedra, aut ad disciplinam potius, quam ad fidem pertinere, sed tantum ex eo quod nondum ea quaestio *tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii concilii luculentam illustrationem confirmationemque perducta erat*, *Lib. II. de Bapt. cont. Don. cap.* 4. Ergo putavit *Cyprianus*, et ex *Augustini* sententia, innoxie putavit, ante concilii plenarii definitionem non esse ab erroris periculo immunem Pontificis definitionem. Ait enim ibidem Augustinus: *Neque nos tale aliquid auderemus asserere* (quale Stephanus jussit) *nisi Ecclesiae catholicae auctoritate concordissima firmati, cui et ipse* (Cyprianus) *sine dubio cederet, si jam illo tempore veritas eliquata, et declarata per plenarium concilium solidaretur.*

(a) Cum Pontifex aliquod ab omnibus credendum ut dogma fidei definivit, vel quod idem est, aliquid ut fidei, bonisque moribus contrarium, ab omnibus respuendum damnavit; omnia rite servasse, quae ad definitionem *ex cathedra* requiruntur, putandum est; alioquin de omnibus Pontificum, et Conciliorum definitionibus dubitari posset. Deus enim, qui dat, ut in definiendo non erret, dat etiam, ut nihil eorum, quae ad rite definiendum sunt necessaria, praetermittat.

℟. *Dist. ant.* Excusat ab haeresi; *conc.* Excusat ab omni culpa, *neg.* Disputat enim eo libro *Augustinus* contra Donatistas, qui ab Ecclesia catholica secessionem facientes, etiam post plenarii Concilii definitionem, *Cypriani* exemplo, atque auctoritate abutebantur. Merito igitur ait, *Cyprianum* Donatistis adversari potius, quam favere. Ille enim ante Concilii plenarii definitionem, cui sine dubio cessisset, quamvis contraria sentiret iis, quae *Stephanus* edixerat, numquam tamen adduci potuit, ut Ecclesiae unitatem scinderet. Non erat autem in ea causa haereticus *Cyprianus* cum Pontificis e cathedra docentis *ασφαλεια* non esset dogma fidei; non tamen ab omni culpa eum fuisse immunem ait *Augustinus*, sed si quid peccavit vel ante mortem correxisse, sententiam scilicet mutando (*quod*, inquit, *fortasse factum est, sed nescimus*) vel abluisse martyrio: *Cetera enim multa, et magna ejus merita, et animus praecipua caritate plenissimus . . . et in unitate Ecclesiae passio gloriosa satis ostenderunt, eum fuisse sarmentum in Christi radice fructuosum, quod Pater etiam ab ista reprehensione purgaret, ut fructum posset afferre majorem. Sic enim ait ipse Jesus* (*Joan. XV.* 2.) *Sarmentum, quod in me dat fructum, purgat illud Pater meus, ut majorem fructum afferat. Ostendens etiam in ipsis fructuosis agricolam, qui est in caelis, aliquid invenire quod purget.*

Objic. IV. Si R. Pontificis ex cathedra docentis judicium falsum esse non posset, frustra oecumenica concilia habita essent, et haberentur tot laboribus, tot sumtibus, tanto et Episcoporum incommodo, et populorum detrimento, qui eam ob causam tamdiu suis Pastoribus carere debent. Atqui ea semper fuit Ecclesiae consuetudo, ut in majoribus quibusdam causis, praesertim cum haeresis late pervagata est, nonnisi in oecumenico concilio causa finiretur. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Necessarium enim visum est aliquando generale concilium, ad haereticorum pervicaciam retundendam, atque catholicos in Ecclesia retinendos. Cum enim 1.° haeretici fere omnes in ipsam Romanam Ecclesiam insurrexerint, non satis videbatur, eos

R. Pon-

R. Pontificis definitione damnari, cujus auctoritatem spernebant. Sic cum Lutherani, et Calvinistae Romam appellarent Babylonem, Sedem Romanam cathedram pestilentiae, Romanum Pontificem Antichristum, quo tandem pacto ex sola R. Pontificis potuissent definitione revinci? 2.° Cum nondum definitum fuerit ut dogma fidei, R. Pontificem ex cathedra errare non posse; necesse fuit aliquando plenarium concilium, ut definitio apud omnes fidei firmitatem obtineret. 3.° Quamvis Pontifex ex cathedra docens falli non possit, aut fallere; *non tamen debet ipse*, ut recte Bellarminus observat, *contemnere media humana, et ordinaria, quibus deveniri potest ad veram rei cognitionem, de qua agitur; medium autem ordinarium est concilium majus, aut minus pro magnitudine rei, de qua agitur. Id, quod patet primo exemplo Apostolorum. Nam certe tam Petrus, quam Paulus poterant soli quamlibet controversiam definire; et tamen concilium convocaverunt*, *Act. XV.* 4.° Nulla definiri potest controversia fidei, nisi ex Apostolica traditione; fieri autem potest aliquando, ut longe, lateque pervagata haeresi, ipsisque Episcopis collabefactis, obscurior sit traditio, nisi ex pluribus orbis partibus in unum convocatis Pastoribus, generale concilium habeatur, quo omnium Ecclesiarum consensio a Pontifice cognosci possit. His igitur de causis poterit necessarium esse concilium, licet Pontifex ex cathedra docens falli non possit. Vide eundem Bellarminum *Lib. IV. de R. Pont. Cap. 7. et Lib. 1. de Concil. cap. 10. et 11.*

Inst. Quamvis Pontifex in definiendo diligentiam omnem adhibere debeat, quae aliquando etiam illud requirit, ut plures advocentur, eorumque sententia rogetur; postquam tamen ille adhibita ea diligentia, quam sufficere judicaverit, rem ex cathedra definivit; non liceret amplius definitionem ad novum examen revocare, si falsa esse non posset. Atqui Pontificum definitiones conciliorum generalium examini, atque judicio subjectas esse videtur ex Historia Ecclesiastica notissimum. Sic *Victoris* definitio de celebratione Paschae in Concilio Nicaeno iterum ad examen revoca-

ta est: definitio *Stephani* de Baptismo haereticorum in concilio plenario, de quo loquitur *Augustinus*: definitio *Caelestini* de Nestoriana haeresi in Concilio Ephesino: definitio *Leonis M.* de haeresi Eutychetis in Concilio Chalcedonensi; in quo ipse Leo M. *Epist. ad Theodoret.* gloriatur definitionem suam fuisse probatam: utque alia omittamus, definitio *Leonis X.* de haeresi Lutherana in Concilio Tridentino. Re igitur ipsa, sive facto significavit Ecclesia, Pontifices etiam ex cathedra docentes, ac definientes, errare posse. Hic est adversariorum Achilles.

℟. *Dist. maj.* Si non esset haereticorum frangenda pertinacia, pacandique turbati fidelium animi sollemni judicio, quod definitioni tribuat inconcussae fidei firmitatem, *conc.* Secus, *neg.* Rarae igitur extiterunt haereses, ut observat Augustinus, propter quas damnandas generale Concilium fuerit necessarium; cum plurimae fuerint, quibus a R. Pontifice damnatis *causa finita est.* Sed cum, ut paulo ante diximus, R. Pontificis definitioni non acquiescerent haeretici, atque inter catholicos ipsos infirmiores nonnulli titubarent; oportuit aliquando post Pontificum definitiones convocari Synodos, ut sicut in Apostolorum Concilio *Act. XV.* Jacobus Apostolus Petri judicium divinarum Scripturarum testimoniis confirmavit; ita in oecumenicis, quae a Pontifice definita fuerant Scripturis etiam, et Patribus firmarentur; totiusque Ecclesiae definitione roborata ab omnibus tamquam inconcussa fidei dogmata haberentur. Sic post Melchiadis judicium in causa Donatistarum *dedit Constantinus aliud Arelatense judicium*, inquit Augustinus *Epist. XLIII. al. CLXII. aliorum scilicet Episcoporum, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, et omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibere.* Item post *Leonis M.* sententiam habitum est Chalcedonense Concilium; *quamvis evidenter appareret, rem, de qua agebatur, nequaquam Synodali indigere tractatione*; ut ait in *Epist. ad Theodosium Imp.* ipse Leo M. Atque haec responsio satis arcem adversariorum evertit; qui longam conciliorum seriem recensentes inutilem in hac causa eruditionem osten-

ostentant. Ceterum quae in Chalcedonensi Concilio acta sunt, evidenter ostendunt, non fuisse ibi *Leonis* definitionem examinatam, ut dubiam, sed habitam potius, ut inconcussam formulam, a qua ne latum quidem unguem Concilium ipsum posset discedere. Cum enim *Actione* V. Patres ita definitionem fidei informassent, ut unum, aut alterum verbum de *Leonis* Epistola demerent; *Paschasinus, et Lucentius Vicarii Sedis Apostolicae dixerunt: Si non consentiunt Epistolae Apostolicae Beatissimi Papae Leonis, jubete nobis rescriptum dari, ut revertamur.* Et quamvis Patres in formula definitionis suae perseverarent; ita ut dissolutionem etiam Concilii minarentur; ad extremum tamen ad verbum secundum Pontificis Epistolam edita est definitio, ut ex *Act. V.* perspicuum est. Denique quomodo possent Concilia R. Pontificum definitiones ex cathedra examinare, judicare, improbare, cum ipsorum generalium conciliorum definitiones non valeant, nisi R. Pontificis confirmatio, atque adsensus ex cathedra datus accesserit?

Inst. 2.° In oecumenicis conciliis post octavum in occidente celebratis, quibus ipsi per se R. Pontifices praefuerunt, ut in quinque Lateranensibus, et duobus Lugdunensibus, decreta Pontificum nonnisi sollemnibus illis verbis: *Sacro approbante concilio*, edita sunt. Agnoverunt ergo ibi Pontifices supremam in concilio definiendi potestatem, cujus *approbatione* decreta ipsa Pontificum indigebant, sine qua falsa esse potuissent.

℟. *Neg. cons.* Quamvis enim fateamur, Episcopos in conciliis oecumenicis non esse meros Pontificis consiliarios, sed judices, ut suo loco diximus *Lib. II. cap.* 9. ideoque revera Pontificis definitionem adsensu suo, atque suffragio approbare; non hinc tamen efficitur, Pontificis judicium, si fuerit revera *ex cathedra* pronunciatum, ante eam approbationem falsum esse potuisse; licet aliquando oporteat illud ad haereticorum frangendam pertinaciam, atque ad fluctuantium catholicorum animos confirmandos, in plenario etiam concilio probari.

Objic.

Objic. V. Non pauci sunt R. Pontifices, qui se falli posse, atque aberrare a veritate ingenue professi sunt. Sic Innocentius III. *Serm. II. de Consecr. Pontif. In tantum*, inquit, *mihi fides est necessaria, ut cum de ceteris peccatis Deum solum judicem habeam; propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.* Et Clemens VI. gravi correptus morbo, cum de vita periclitaretur, quidquid in Pontificatu errare potuisset, retractavit: *Si qua*, inquit, *nos disputando, legendo, praedicando, aut alias contra catholicam veritatem, et fidem, vel bonos mores ex lapsu linguae praecipitanter forte protulimus, revocamus, et volumus pro revocatis haberi. Brevi 7. Decemb.* 1351. Quod et Urbanus V. et Gregorius XI. in vitae exitu fecerunt. Item alii Pontifices, se in fide errare potuisse ingenue fassi sunt. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Quis enim non videt pias illas, modestasque Pontificum voces non de Pontifice docente ex cathedra, sed de privata ejus persona intelligenda esse? Hinc *Clemens* ipse *VI.* in objectione laudatus de Pontifice ex cathedra definiente hunc posuit articulum inter eos, quos Patriarchae Armenorum subscribendos dedit. *Si credidisti, et adhuc credis, solum R. Pontificem in dubiis emergentibus circa fidem catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere, et esse verum, et catholicum quidquid ipse auctoritate clavium sibi creditarum a Christo determinat esse verum; quod determinat esse falsum, et haereticum, tale sit censendum.* Quae vero nonnulli Pontifices vel verbo, vel facto, ut privati peccaverint, non faciunt ad hanc causam. Quapropter frustra nobis objiciunt praesertim haeretici, aut lapsum *Petri*, ejusve imprudentiam, qua gentes cogebat exemplo suo *judaizare*, ut inquit Apostolus *Galat. II.* aut *Marcellini* (si vera est) idololatriam, aut *Liberii* subscriptionem formulae Arianorum, aut aliorum Pontificum errata; quae non sollemni judicio ex cathedra pronunciata, probatave sunt, sed humana privatim imbecillitate, aut improbitate commissa: homines enim erant, humani nihil ab iis alienum fuisse putandum est. *Inst.*

Inst. Hadrianus IV. *in IV. Dist.* 7. non de privata Pontificum persona, sed de Pontifice ex cathedra docente haec habet : *Si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput illius, puta Pontifex, certum est, quod possit errare etiam in his, quae tangunt fidem, haeresim per suam determinationem, aut Decretalem asserendo. Plures enim fuere Pontifices Romani haeretici.* Neque vero reponi potest, haec scripsisse *Hadrianum*, cum publicus Lovanii Theologiae Professor esset. Quippe ad summum Pontificatum evectus tantum abest, ut ista retractaverit, quin eosdem suos Commentarios Romae recudi curaverit, ne verbo quidem uno immutato, imo et Pontificio Stemmate in fronte praefixo. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Quae enim *Hadrianus* Lovaniensis Doctor antea scripserat, non magis nobis incommodant, quam privati alicujus Sorbonici Doctoris opinio : Quod autem ad Pontificatum evectus Commentarios non correxerit, nemini mirum videri debet; cum initio brevis illius Pontificatus tot curis, atque negotiis obrutus, in tanta Ecclesiae perturbatione de librorum suorum retractatione ne cogitare quidem potuerit. Fortasse etiam data opera nihil immutatum voluit, ne Romana editio a Lovaniensi discreparet; ideoque tamquam interpolata, aut mutila contemneretur : Quidquid tamen ejus rei fuerit, cum non ex cathedra commentarios illos *Hadrianus* confirmaverit, non majorem habent auctoritatem, quam privati doctoris.

Objic. VI. Multi Pontifices ex cathedra docentes errarunt Sic *Victor I. Montani*, et *Maximillae* prophetias approbavit, teste Tertulliano *Lib. cont. Prax. Stephanus I. Cypriani* sententiam de rebaptizandis haereticis rejiciens, in contrarium impegit scopulum, docens, neminem esse baptizandum a quacumque haeresi venerit; hoc est etiam ab iis, quae sollemnem baptismi formulam ratam, atque legitimam non servabant; ut ei exprobrat Cyprianus *Epist. LXXIII.* et fatetur in quodam opusculo *Benedictus XII.* docens; *Nicaenum concilium opinionem et Cypriani, et Stephani correxisse. Zosimus* etiam *Pelagium* et *Caelestium* catholicos iudicavit, ut patet ex ejus epistola ad

ad *Augustinum*, aliosque Africanos Episcopos, ipseque id fatetur Augustinus *Lib. II. ad Bonifac. cap.* 3. Item *Hormisdas* propositionem illam Scytharum Monachorum, *Unus de Trinitate passus est carne*, damnavit; quam deinceps Joannes II. *in Epist. ad Justinian.* Quinta Synodus, *can.* 10. et Lateranensis sub Martino I. *can.* 2. ut catholicam probarunt. Praeterea *Vigilius* tria illa capitula celeberrima primum tamquam orthodoxa defendit sollemni judicio quod *Constitutum* appellavit; deinde vero ut plena erroris, atque perfidiae post Concilii V. definitionem damnavit. Quid de *Honorio* dicemus, quem tria Concilia oecumenica, nec non *Leo II. et Hadrianus II.* cum Monothelitis damnarunt? *Gregorius III.* rescribens *Bonifacio* Moguntino Episcopo praecipit, ut baptizati a Paganis, atque Judaeis rursus baptizentur. *Stephanus II.* interrogatus a quibusdam Britanniae Monachis baptismum in vino ministratum probavit. Et *Nicolaus I.* ad Bulgaros baptismum *in nomine Christi* ratum habuit. Praeterea Alexander III. *cap. Cum esset: De testamentis*, definivit, *alienum esse .... a divina lege, ut testamenta, nisi quinque, vel septem testium fuerint subscriptione munita, penitus rescindantur*; quod quidem falsum est. *Innocentius III.* teste Caesario *Lib. III. Historiarum memorab. cap.* 32. in ipso Cardinalium Consistorio definivit, Sacramentalis confessionis sigillum aliquando reserari posse. Quod idem in simili causa respondisse *Innocentium IV.* auctor est Dominicus Soto *in IV. Dist. XVIII. q.* 4. *art.* 9. Graviter etiam videtur errasse *Bonifacius VIII.* definiens *omnia regna mundi Romanis Pontificibus subesse in temporalibus*; quod et in celebri Decretali *Unam Sanctam* asseruit, quam deinde *Clemens V.* in Concilio Viennensi abrogavit. Praeterea duo Pontifices *Nicolaus III.* et *Joannes XXII.* duo sibi invicem aperte contraria definiverunt; ideoque alterutrum errasse perspicuum videtur. Definivit enim *Nicolaus III. in Cap. Exiit. de Verb. signif. in* 6.° Franciscanos fratres veram, atque Evangelicam paupertatem profiteri, eo quod nullius rei, etiam, quae usu consumitur, ut panis, vini, vestium dominium, ne in com-

muni quidem, haberent; ita ut ipsis merus esset earum rerum usus non *juris*, sed *facti*; dominium vero penes Summum Pontificem; ejusque paupertatis Christum, et Apostolos exemplum praebuisse. Contra vero *Joannes XXII.* in *Extravag. Ad conditorem: de verb. signif.* definivit in iis rebus, quae usu consumuntur, non posse dominium ab usu separari. Et in *Extravag. Cum inter nonnullos* ait, haereticum esse asserere; Christum ejusmodi paupertatem aut verbo, aut exemplo docuisse. Idem etiam Pontifex definivisse dicitur, beatam Dei visionem ad extremum usque judicii diem dilatam, ac reservatam esse Sanctis. Sunt denique et alii Pontifices, quos erroris accusant adversarii, ita ut errantes Pontifices ad quadraginta numerentur. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Omnes enim Pontifices in objectione notati, atque alii, quos adversarii tamquam erroris auctores insimulant, vel revera non errarunt, vel non errarunt *ex cathedra*. *Ad 1m.* Tertullianus jam Montanista gratis asserit ad malae causae patrocinium *Victorem*, vel alium R. Pontificem (non enim quemquam expresse nominat; sed *Romanum Episcopum*) litteras pacis ad Montanistas *jam emissas revocasse*. Sed demus haec vera esse, nec *Tertullianum*, ut contendit *Rigaltius*, in ea historia tam recenti mentiri potuisse; nihil aliud hinc efficitur, nisi Romanum Pontificem specie pietatis, atque austerioris disciplinae, quam Montanus, ejusque assectatores principio profitebantur, *errore facti* non *dogmatici*, ut ajunt, sed *personalis*, eos catholicos judicasse, cum necdum pestiferae doctrinae virus evomissent, ut advertit *Baronius*. Quod autem Pontifex *ex cathedra*, hoc est ex R. Ecclesiae consilio, atque sententia definiverit, veram esse Montanistarum doctrinam, nec *Tertullianus* asserit, nec, si assereret, fidem ei habere cogeremur.

Ad 2m. Perperam *Stephani* mentem *Cyprianus* interpretabatur, utique ejus decreto conflaret invidiam, ita verba illa *a quacumque haeresi* intelligebat, quasi eorum etiam haereticorum baptismum probaverit *Stephanus*, qui formulam baptizandi sollemnem immuta-

tabant. Quod quidem falsum esse perspicuum est ex Epistola *Firmiliani* ad *Cyprianum*, quae est *LXXIV*. inter *Cypriani* Epistolas, ubi ita luculenter *Stephani* sententiam exponit: *Non putat quaerendum esse, quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod, qui baptizatus est gratiam consequi potuerit, invocata Trinitate nominum Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Benedictus* vero *XII. Cypriani* auctoritate deceptus ea scripsit, quae in objectione posita sunt, ante Pontificatum, ut privatus doctor, ideoque non multum nobis sententia ejus incommodat.

Ad 3.m Constat *Zosimum* subdola *Pelagii*, ac *Caelestii* professione fidei circumventum non eorum probasse haeresim, quam fraudolenter obtegebant, sed eos *errore facti* existimasse catholicos, cum et emendaturos se, si quid errassent, pollicerentur, et Sedis Apostolicae judicio obtemperaturos. *Cum se litteris Papae Innocentii* (qui Pelagii dogmata damnaverat) *consentire Caelestius respondisset, et se omnia, quae Sedes Apostolica damnaret, damnaturum esse promitteret*, ut inquit Augustinus *Lib. II. ad Bonif. Cap.* 3. judicatus est Catholicus. Imo, ut dicamus verius, non judicatus, neque sollemni judicio absolutus, sed commendatus dumtaxat Episcopis Afris, donec veritas innotesceret. Ubi autem intellexit *Zosimus* ex eorum Epistolis, fuisse se a Pelagio, Caelestioque deceptum, mox eos, eorumque haeresim, et ipse damnavit.

Ad 4.m Cum una, eademque propositio variam habere potest interpretationem, ac sensum; potest pro varia ejus significatione et damnari, et defendi. Ejusmodi autem erant illa: *Unus de Trinitate passus est carne*, quam *Hormisdam* a Scythis Monachis pronunciari existimavit in sensu Euthychianorum; meritoque illam eo sensu damnare potuit. Alii vero Pontifices, et V. Synodus sensu catholico probarunt. Quamquam, si verum amamus, non omnino *Hormisdas* propositionem illam improbavit, sed cum contenderent Monachi, ea verba omnino addenda esse definitioni Concilii Chalcedonensis, eos tamquam inquietos homines, *novarum cupidos quaestionum*, temerarios, atque Eutychianismi suspectos ab se rejecit, ut in Epistola *ad Pos-*

Possessorem luculenter declarat. Hinc ingenue *Natalis Alexander* Parisiensis et ipse Doctor *in Hist. Eccl. Saec. VI. Dissert. II. Ex his*, inquit, *collige Joannis II. decreta Hormisdae non esse contraria, cum Hormisdas propositionem non damnaverit: quam approbavit Joannes, nec oppositam proposuerit fidelibus credendam, quam anathemate Joannes confixit. Unde perperam Forbesius Lib. III. Instruct. Historico-Theolog. Cap. 21. num. 30. scripsit*: Hic habent, in quo ingenia sua exerceant infallibilitatis Pontificiae assertores . . . . . *Mera vero calumnia est, Hormisdam hanc propositionem*: Unus de Trinitate crucifixus est carne; *ex cathedra damnasse, quam ne quidem examinare tunc voluit, hanc disceptationem intempestivam judicans, et turbandae potius Ecclesiae, quam aedificandae opportunam.*

Ad 5m. Quod attinet ad *Vigilium*, non definivit ille quidem *ex cathedra*, tria capitula orthodoxa esse, sed putavit damnari non posse, praesertim defunctis auctoribus, cum ea Chalcedonense Concilium intacta reliquisset. Hoc ipsum autem ejus judicium non definitio fuit Romanae cathedrae, cum ille Constantinopoli teneretur, longe a fratrum societate, atque consilio. Re vero maturius examinata, ac veritate perspecta non dubitavit capitula illa damnare.

Ad 6m. De *Honorio* nota quidem est *Bellarmini*, *Baronii*, aliorumque responsio; acta scilicet Conciliorum illorum, quae eum Pontificem cum Monothelitis damnarunt, in quibus etiam Epistolae Leonis II. et Hadriani II. leguntur, a Graecis fuisse corrupta, falsoque iis insertum *Honorii* nomen, ne soli orientales Episcopi damnati viderentur. Sed quamvis hoc a Graecorum ingenio non abhorreat, ut ex aliis illorum mendaciis, ac fraudibus *Bellarminus* ostendit; non est tamen credibile, Graecos exemplaria omnia depravare potuisse, praesertim ea, quae in Romanae Ecclesiae Scriniis servabantur. Ea igitur opinione praetermissa, respondemus, evinci numquam posse, Epistolas *Honorii*, ex quibus ille damnatus est, fuisse definitiones *ex cathedra*, neque tamen Monothelitarum haeresim continere; damnatumque *Honorium* non ut haereticum,

sed

sed ut haereticorum fautorem, quorum causam imprudenti silentio, quod in Epistolis illis indixerat, confovebat. Et primo quidem probare numquam poterunt adversarii, Epistolas *Honorii* ad *Sergium* ex cathedra emissas; hoc est audito fratrum consilio, sollemnibus indictis precibus, ceterisque rite servatis, quae erant ad id negotii necessaria. Quin potius ex iis, quae scribit post *Honorii* obitum *Joannes* Abbas, qui Pontifici fuerat a Secretis, constat ejus Epistolas privato nomine, atque consilio conscriptas; cum fateatur *Joannes*, Epistolas ab se scriptas, nullamque faciat mentionem consilii, quod aut a Romano clero, aut saltem ab aliis viris doctis, ac sapientibus *Honorius* postulasset, quod sane fuisset ad Pontificis defensionem valde opportunum. Deinde *Honorii* verba haeresim Monothelitarum non probant, sed catholico sensu intelligi et possunt, et debent. Ait enim, unam fuisse in Christo voluntatem, non quod negaret voluntates duas, divinam, et humanam, sed quod humanam voluntatem unam esse affirmabat, cum non esset in eo voluntas carnis voluntati spiritus adversa, ac reluctans. *Unam*, inquit, *in Christo Domino voluntatem fatemur, quia a Divinitate assumta est natura, non culpa . . . . . Lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, aut contraria Salvatori.* Idque luculentius explicat is, quem diximus Joannes Abbas, qui Epistolas *Honorii* scripserat. *Cum scripsisset*, inquit, *Sergius, esse aliquos, qui dicerent, in Christo duas esse contrarias voluntates; rescripsimus, Christum non habuisse duas contrarias voluntates; carnis, inquam, et spiritus, sed unam tantum, quae naturaliter humanitatis ejus character est. Id ita esse evidenter ex hoc monstratur, quod membrorum, et carnis facta est mentio, quae divinitati ejus non possunt attribui.* Quae quidem verba luce clariora *Honorium* ab haeresis crimine liberant. Hinc merito post Honorium *Agatho* R. Pontifex in Epistola Synodali, quae habetur in Actis sextae Synodi, affirmare potuit; *Romanam Ecclesiam juxta Christi promissionem, a vera fide numquam deflexisse, sed suos praedecessores semper haeresibus restitisse, et fratres in fi-*

fide confirmasse. Vide *Joannis IV.* Apologiam pro Honorio ad Constantinum Imperatorem, Maximum Martyrem in *Dialogo cum Pyrrho*, et *in Epistola ad Marinum*, et ut alios sileam innumeros tum Historicos, tum Theologos, Natalem Alexandrum *Dissert. II. in Hist. Eccl. Saec. VII.* Nec immerito tamen damnatus censeri debet. Cum enim silendi amplius tempus non esset, longe, lateque pervagata Monothelitarum haeresi, ipse silentium catholicis indicebat, quod unum maxime ad stabiliendam, ac latius divulgandam haeresim a Monothelitis petebatur.

Ad 7m. Praecipit *Gregorius III.* ut Baptizati a Paganis, ac Judaeis baptizentur iterum; quia merito dubitari poterat, utrum illi baptismi formam rite servassent; ideoque Pontificis responsio reprehendi non debet.

Ad 8m. Non probasse *Stephanum* baptisma vino ministratum, demonstrabimus *Lib. VIII. Part. 2.*

Ad 9m. Non fuerat *Nicolaus* a Bulgaris de forma Baptismi interrogatus, sed de ministro; utrum scilicet a Judaeo, aut Pagano collatus baptismus ratus haberi debeat. *A quodam*, inquit, *Judaeo nescitis, an Christiano, an Pagano multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de iis sit agendum consulitis.* Recte autem respondit ratum esse; si in nomine SS. Trinitatis esset ministratus: *Hi profecto si in nomine S. Trinitatis baptizati sunt . . . . rebaptizari non debent.* Addit vero de suo propositionem illam incidentem; *sive in nomine Christi; unum enim, idemque est.* Propositiones autem sermoni incidentes ad definitionem ipsam non pertinent. Ceterum nondum est ut dogma fidei definitum, non valere baptismum in nomine Christi collatum, suntque etiam Patres nonnulli, qui ratum illum existimarunt; ita ut quamvis *Nicolai* propositio non incidens, sed absoluta esset, non posset haeresis judicari.

Ad 10m. In *Alexandri* Decreto duo distinguenda sunt; ipsa scilicet intentio, et ratio, qua Pontifex Decreti intentionem confirmat. Intentio autem ejus Decreti est; ut in testamentis ad pias causas factis, duo, vel tres testes sufficiant; quod quidem contra

bonos

bonos mores nequaquam pugnat. Ratio vero, quam Pontifex affert est divina lex in Deuteronomio lata, ut scilicet *in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*; quae quidem ratio, quamvis ad probandam Decreti intentionem infirma esse dicatur, cum leges omnes veteris testamenti ceremoniales ac judiciales, peculiares essent Israelitici populi, atque ad Christianos non pertineant, nihil tamen id praecipuae Pontificis intentioni officit. Inquit enim Melchior Canus *L. VI. de Loc. Cap.* 8. *In conclusione Pontifices summi errare nequeunt, si fidei questionem ex Apostolico tribunali decernant. Si vero Pontificum rationes necessariae non sunt, ne dicam aptae, probabiles, idoneae, in his nihil est videlicet immorandum. Non enim pro causis a Pontificibus redditis tamquam pro aris, et focis depugnamus. Alexander igitur non definit, consuetudinem illius modi, quinque, vel septem testes exigendi in testamentis esse divinae legi contrariam; sed (quod Jurisperitis fere placere video) jubet, ut in legatis piis duo, vel tres solum testes a judicibus exigantur. Haec Decreti hujus conclusio est, hic finis, nec dubium est, quin rem eam Pontifex jure quodam suo potuerit praescribere. Sed si in ejus praescripti confirmationem Deuteronomii lege utitur (hanc quippe divinam nuncupat) si ad Canonum statuta revocat, si Ecclesiae morem affert, non est operae pretium rationes illas ad vivum resecare.*

Ad 11*m*. Neque *Innocentius III.* neque *Innocentius IV.* definiverunt, reserari posse aliquando Sacramentale sigillum, cum propositae illis species essent non de confessione Sacramentali, sed ficta, et pravo consilio instituta, ad sacerdotem, scilicet vel depravandum, vel impediendum, ne in reum ex sui muneris officio animadverteret. Ceterum multis *Caesarii* Historiae fabellis scatent.

Ad 12*m*. Calumnia est impacta *Bonifacio VIII.* ea, que in objectione ponitur; quam calumniam ipse Pontifex in publico *Consistorio* depulit oratione ad Cardinales habita, quam refert *Spondanus* ad *an. MCCCI.* In Decretali quidem *Unam sanctam*, ait Bo-

Bonifacius, *subesse R. Pontifici omnino esse de necessitate salutis omni humanae creaturae*; quae propositio vera est, si de rebus spiritualibus, atque ad aeternam salutem pertinentibus intelligatur. Falsum autem est, *Clementem* V. Decretalem illam *Unam sanctam* abrogasse, cum eam explicaverit dumtaxat, ita ut nullum inde detrimentum Galliarum Regno sit illatum. Quod si quae sunt in ea Decretali propositiones incidentes aliquanto duriusculae, non eae ad definitionem, atque intentionem Decreti pertinent, ut paulo ante advertimus.

Ad 13*m*. Unum est, in quo sibi invicem aperte adversantur *Nicolaus III. et Joannes XXII.* quod scilicet prior asserit, posse in rebus, quae usu consumuntur, usum ipsum a dominio divelli, ac separari, alter e contrario id omnino fieri posse negat. Sed haec quaestio Philosophorum est, neque ad fidem ullo pacto pertinet. Quod vero *Nicolaus* asseruit, Christum ejus perfectissimae paupertatis exemplum praebuisse: *Joannes* vero haereticum esse definivit, Christum numquam aliquid possedisse; potest utrumque verum esse, si dicamus, Christum aliquando quidem perfectissimae illius paupertatis, de qua *Nicolaus* loquitur, exemplum praebuisse; sed quia ad informandam Ecclesiam loculos etiam habuisse legitur in Evangelio, idcirco haereticum esse dogma, Christum numquam aliquid proprium habuisse, ut *Joannes* declaravit. Vide *Melch. Canum*, *Bellarminum etc.* Quod autem *Joannes XXII.* ex cathedra pronunciaverit, beatam Dei visionem sanctis usque ad extremum judicii diem differri, ac reservari, putidissima calumnia est, quam *Lib. III.* confutabimus.

Inst. Nonnulli Pontifices praedecessorum suorum definitiones aperte retractarunt, improbarunt, falsasque fuisse sollemni judicio pronuntiarunt. Sic Innocentius III. *Cap. Quanto*: *De Divortiis* definit, non dissolvi matrimonii vinculum; si conjugum alter, aut in haeresim incidat, aut aliter a fide deficiat; *licet*, inquit, *quidam Praedecessor noster aliter sensisse videatur.* Est autem praedecessor ille, quem innuit *Caelestinus III.* qui contrarium ante *Innocentium* constituerat in *Decretali*

tali Laudabilem: *De conversione conjugatorum*, quam in margine citat *Glossa*; licet in novis *Decretalium* editionibus honoris causa expuncta sit. Eam tamen in sua Decretalium collectione edidit *Antonius Augustinus*. Simili ratione Alexander *III. in Cap. Licet. De Sponsa duorum*: quorundam praedecessorum suorum sententiam explodit definiens, prius matrimonium ratum, ac validum, licet non consummatum, non dissolvi per aliud, licet hoc posterius consummatum etiam fuerit; *quamvis*, inquit, *a quibusdam praedecessoribus nostris aliter sit aliquando judicatum*. Contrariae autem definitiones verae simul esse non possunt. Manifestum est igitur, errasse aliquando ex cathedra Pontifices.

℟. *Neg. maj.* Non enim, ut *Melchior Canus* advertit *Lib. VI. Cap.* 8. *Caelestini III.* aliorumque Pontificum ab *Alexandro III.* laudatorum responsa, definitiones ex cathedra existimandae sunt, sed judicia quaedam in singularibus privatorum causis. Quod ex ipsis *decretalium* verbis in objectione recitatis non obscure colligitur. Ait enim *Innocentius III.* praedecessorem suum *aliter sensisse*; imo *aliter sensisse videri*. Aliud autem esse *sentire*; aliud ex cathedra definire quis non videt? Item *Alexander III.* ait, a praedecessoribus quibusdam suis *aliter aliquando fuisse judicatum*, quibus verbis non definitionem sollemnem significat ex cathedra pronuntiatam ad universam docendam Ecclesiam, sed judicia quaedam inter privatos, in quibus non omnia illa servari solent, quae ad definitionem ex cathedra esse necessaria saepe diximus.

Inst. 2°. *Formoso* R. Pontifice defuncto, successor ejus *Stephanus VII.* omnia ejus acta rescidit, eosque qui ab eo ordinibus initiati fuerant iterum ordinari jussit. Contra vero Stephano mortuo, ejus successores *Theodorus II.* et *Joannes IX.* ipsius acta irrita declararunt, confirmaveruntque acta *Formosi*. At eorum successor *Sergius III.* iterum acta *Formosi* rescidit, *Stephani* confirmavit. Quis autem in tanta Pontificum contradictione infallibiles eos esse dixerit? Ergo.

℟. *Neg. min.* Nam neque *Stephani VII.* neque *Theodori*, *Joannis*, *Sergiique* acta definitiones fuerunt ex

ex Cathedra de fidei, morumve controversia; sed judicia de *Formosi* persona, quem *Stephanus*, et *Sergius* non legitimum, nec verum Pontificem judicarunt; legitimum contra *Theodorus*, ac *Joannes*. Jurene id fecerint, an injuria, odio, iracundia; alia quaestio est, de qua vide *Natalem Alex.*, *Baronium*, aliosque viros doctos, qui causam hanc fusius atque accuratius pertactarunt. Illud cuique exploratum est, judicia illa R. Pontificum non de dogmate ullo instituta esse, sed de persona. In factis autem, ut ajunt, *personalibus* errare posse Pontifices, non negamus. Neque vero quemquam movere debet, quod *Stephanus VII.* ordinationes *Formosi* irritas judicaverit. Primo enim quamvis fide certum sit, baptismum etiam ab haereticis legitima forma collatum ratum esse, non est tamen dogma fidei, idem etiam de confirmatione, atque ordine sentiendum, cum contraria *Morini* sententia damnata non fuerit, ut in *Lib. III.* diximus. Deinde quo sensu ordinationes nonnullae apud veteres irritae dicerentur, quidque fuerit nova manuum impositio, quo ii, qui a ministris legitimis initiati erant ad exercenda suorum ordinum officia in Ecclesia recipiebantur, ibidem explicavimus.

Objic. VII Negari non potest, contra Pontificis ασφαλειαν sensisse viros doctissimos, summosque Theologos *Gersonem*, Almainum, Tostatum Abulensem, Cardinalem Cusanum, Aeneam Sylvium, Adrianum VI. aliosque innumeros. Ergo.

℟. *Trans. ant. Neg. cons.* Quamvis enim daremus omnes illos, qui in objectione positi sunt, quorum nemo ante schisma Occidentis, et Constantiense Concilium floruit revera adversus Pontificum auctoritatem certasse, nihil tamen negotii eorum nobis facesseret auctoritas, cum opponere iis possimus praeter testimonia Scripturarum, Ecclesiae Patres, Concilia, ipsamque Gallicanam Ecclesiam, et Parisiensem Academiam, S. Thomam, S. Bonaventuram, totque praeterea Catholicos Theologos, ut dicere audeat Suares. *De Fide disp. V sect. 8. Veritas catholica est, Pontificem definientem ex cathedra fidei regulam esse, quae errare non potest. Ita docent hoc tempore omnes catholici Doctores, et censeo, rem esse fide certam.* Et Syl-

Sylvius *Opusc. V. Lib. IV. q.* 2. *art.* 8. *Responsio fide certa est, R. Pontificis judicium in rebus fidei determinandis esse infallibile, ita ut quando ex cathedra definit . . . nullo casu possit errare.* Et Gregorius de Valentia *Tom. III. Disp.* 1, *Haec veritas adeo continet summam, et caput totius Christianae religionis, ut nemo catholicus esse possit, qui illam non amplectitur. Petri vero de Marca* testimonium supra recitavimus. Sed neque concedimus, omnes illos, qui objiciuntur, Theologos aut contra Pontificum ασφαλειαν sensisse, aut eorum sententiam alicujus esse in hac causa ponderis, et auctoritatis. Nam *Tostatus* quidem, licet junior ira percitus, eo quod *Eugenius IV.* Theses ejus nonnullas notavit, quas Senis propugnaverat, in Pontificiam auctoritatem invectus sit; ubi tamen deferbuit aestus, prudentiorque successit aetas, ab ea sententia discessit, ut constat ex iis, quae scribit in *Matth. Cap. XVI. q.* 56. *Cardinalis Cusanus*, licet alia senserit ferventibus Basileensis Concilii studiis, re tamen, pacatis contentionibus, maturius discussa, ad communem catholicorum sententiam rediit, ut patet ex ejus Epistola II. ad Bohemos de usu calicis. *Aeneam Sylvium* retractasse, quae scripserat, cuique notum est. *Almainus* in Gallia scripsit calentibus odiis *Ludovici XII.* in R. Pontificem *Julium II.* idque satis est ad ejus auctoritatem omnino enervandam. *Adrianus VI.* non rem ex professo tractavit, sed obiter paucis verbis asseruit, falli posse Pontificem; revocassetque sententiam, si paulo diuturnior ejus Pontificatus fuisset. Unus est *Gerson*, cujus pietati, et doctrinae nihil detractum volumus. Sed quid iste contra Ecclesiae Patres, et contra veterem totius Ecclesiae Gallicanae sententiam? Cum praesertim in turbulentissima illa Ecclesiae tempestate, contendentibus de Pontificatu tribus, qui universam Ecclesiam diro schismate dilaniabant, ac disciplinam gravissime pessumdabant, putaverit fortasse vir ille doctus, non aliud esse opportunius tantis calamitatibus remedium, quam de R. Pontificum auctoritate quaestiones serere. Reliqui vero auctores, quos innumeros adversarii dicunt, nihil aliud egerunt, nisi *Gersonis* propugnare sententiam.

Objio,

Objic. VIII. Declaratio Cleri Gallicani haberi potest tamquam definitio Concilii totius Ecclesiae Gallicanae. At Concilii ejusmodi magna apud omnes esse debet auctoritas, non solum ex illa Christi Domini promissione *Matth. XVIII. 20. Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; verum etiam ex tot Episcoporum, qui convenerant, pietate, ac doctrina; cum praesertim adfuerit etiam, ac subscripserit Meldensis Episcopus Bossuetus, vir sine ulla dubitatione doctissimus. Ergo.

℟. 1.° *Neg. maj.* Non enim Concilium, sed conventus quidam fuit illa Episcoporum, aliorumque a Clero missorum congregatio, non servato conciliorum more, ac ritu, neque omnibus convocatis, qui suffragii jus habuissent; Parisiisq. habita occasione contentionis, ac dissidii inter *Ludovicum XIV.* et *Innocentium XI.* de jure, quod vocant *Regaliae*. Nec ipsi Episcopi, qui eo convenerunt, obtrudere conventum illum ausi sunt, ut Gallicanum Concilium. Imo *Declarationem* illam nequaquam ediderunt ut *decretum*, aut definitionem, sed ut opinionem; ideoque Bossuetus in *Dissertatione praevia §. VI.* objectionem eorum, qui Clerum Gallicanum accusaverant, quasi definitionem fidei edidisset, repellit ut falsam, recitatisque verbis Archiepiscopi Cameracensis, quae in Gestis ejus Conventus leguntur, ita concludit: *En perspicuis verbis Gallicani Patres testantur, non eo se animo fuisse, ut decretum de fide conderent, sed ut eam opinionem tamquam potiorem, atque omnium optimam adoptarent. Opinionem sane.*

2.° Quamvis daremus, quod falsum est, quodque ne Galli quidem umquam Theologi asseruerunt, Conventum scilicet illum fuisse Concilium; non fuit certe Oecumenicum, sed *nationale*. Hujusmodi autem concilia errare posse nemo negaverit, qui norit Africanorum Conciliorum decreta sub *Cypriano* de baptismo haereticorum.

3.° Quamvis falso poneremus, conventum illum fuisse oecumenicum concilium; tamen non probatum a R. Pontifice nullius esset auctoritatis, ac roboris.

4.° Romani Pontifices non solum non probarunt Declarationem illam, sed expresse reprobarunt ac dam-

parunt, ut constat ex Constitutionibus *Alexandri VIII.* et *Pii VI.* Si ergo ipsa oecumenica Concilia a R. Pontifice improbata ab omnibus explosa sunt; quid de Conventu illo putandum est?

5.° Illi ipsi qui *Declarationem* in conventu illo informaverunt, sub *Innocentio XII.* datis ad eum litteris eam revocarunt. Quod enim ajunt nonnulli, non fuisse eam proprie retractationem, ipse *D. Racine* in Historia Ecclesiastica, quamvis Gallicanarum opinionum imo et Jansenianarum partium non modo acerrimus, verum etiam acerbissimus propugnator, irridet. Clariora enim sunt verba, quibus illi profitentur, *dolere se vehementer de eo, quod in conventu illo actum est; et velle haberi pro non decreto quidquid ibi circa Ecclesiasticom potestatem, et Pontificiam auctoritatem decretum censeri potuit*; quam ut in alienum sensum detorqueri possint.

6.° Denique Parisiensi conventui opponimus Concilia oecumenica, Patres, et Concilia ipsius Ecclesiae Gallicanae.

Objic. IX. Privilegium non errandi Ecclesiae datum est, quae ab Apostolo dicitur *columna*, et *firmamentum veritatis* 1. *Tim. III.* 15. Non ergo R. Pontifici. Ita Theologiae Lugdunensis Auctor arguit.

℟. *Dist. ant.* Datum est Ecclesiae, hoc est Ecclesiae Pastoribus; in bonum Ecclesiae, *conc.* Datum est *αμεσῶς* ipsi Ecclesiae communitati, *neg.* Cum igitur oves a Pastoribus regi, pascique debeant, iis in Ecclesia datum est non errandi privilegium, quibus pascendi gregis, hoc est docendi auctoritas commissa est. Sed cum singuli errare possint, posuit Deus Pastorem supremum, cui gregis universi, ipsorumque adeo inferiorum pastorum curam mandavit; pro cujus fide, ne umquam illa deficeret, Christus oravit; qui si universam Ecclesiam, ipsosque inferiores pastores ex cathedra docens, errare posset, in detrimentum Ecclesiae redundaret error. Datum igitur supremo huic Pastori universam Ecclesiam docendi jus, ac non errandi privilegium, Ecclesiae ipsi datum est.

Cetera autem adversariorum argumenta leviora praetermittimus. Non enim omnia persequi operae pretium

tium ducimus, cum haec provincia jamdiu a viris doctissimis suscepta, ac praeclare ornata sit, a quibus plura mutuari poterit, qui rem totam ad ultimos apices cognoscere non inutile existimaverit. Haec tamen, quae diximus, ad Exercitationem satis esse visa sunt

APPENDIX AD LIB. II.

Quoniam saepe in Theologicis disputationibus Pontificum R. Conciliorum generalium, Patrum, aliorumque Scriptorum Ecclesiasticorum, et haereticorum mentio occurrit; visum est mihi breviter haec omnia ante oculos lectorum ponere; non ut ea tirones memoriae mandare cogantur, sed ut quo tempore Pontifices, et Patres floruerint, aut emerserint haeretici, quave occasione Concilia generalia habita sint, facile inveniant. Controversias autem chronologicas inter eruditos agitatas praetermisi, verisimiliora secutus.

C A P. I.

De Summis Pontificibus.

Nomina Pontificum.	Initium Pontificatus.	Obitus.
Petrus Galilaeus Romam venit, ibique Pontificatum init	Anno Æ. V. 40	Obiit an. 65
Linus Etruscus Creatus	Anno 65	Obiit an. 76
Cletus Romanus Creatus	Anno 76	Obiit an. 89
Clemens I. Romanus	Cr. an. 89	Ob. an. 98
Anacletus Atheniensis	Cr. an. 98	Ob. an. 100
Evaristus Syrus	Cr. an. 100	Ob. an. 109
Alexander I. Romanus	Cr. an. 109	Ob. an. 117
Sixtus I. Romanus	Cr. an. 117	Ob. an. 127
Thelesphorus Thuriensis	Cr. an. 127	Ob. an. 130
Hyginus Atheniensis	Cr. an. 130	Ob. an. 142
Pius I. Aquilejensis	Cr. an. 142	Ob. an. 156
Anicetus Syrus	Cr. an. 156	Ob. an. 168
Soter Fundanus	Cr. an. 168	Ob. an. 177
Eleutherius Neapolitanus	Cr. an. 177	Ob. an. 192
Victor I. Afer	Cr. an. 192	Ob. an. 201
Zephyrinus Romanus	Cr. an. 201	Ob. an. 219
Callixtus I. Romanus	Cr. an. 219	Ob. an. 224
Urbanus I. Romanus	Cr. an. 224	Ob. an. 231

Pon-

Pontianus I. Romanus	Cr. an. 231 Ob. an. 235
Anterus Graecus	Cr. an. 235 Ob. an. 236
Fabianus Romanus	Cr. an. 236 Ob. an. 250
Cornelius Romanus	Cr. an. 250 Ob. an. 252

Sub hoc Pontifice primum Schisma factum est á Novatiano Antipapa, duravitque annis circiter sex.

Lucius I. Romanus	Cr. an. 252 Ob. an. 253
Stephanus I. Romanus	Cr. an. 253 Ob. an. 257
Sixtus II. Atheniensis	Cr. an. 257 Ob. an. 258
Dionysius Graecus	Cr. an. 258 Ob. an. 271
Felix I. Romanus	Cr. an. 271 Ob. an. 276
Eutychianus Hetruscus	Cr. an. 276 Ob. an. 283
Cajus Dalmata	Cr. an. 283 Ob. an. 296
Marcellinus Romanus	Cr. an. 296 Ob. an. 304
Marcellus I. Romanus	Cr. an. 304 Ob. an. 309
Eusebius Graecus	Cr. an. 309 Ob. an. 311
Melchiades Afer	Cr. an. 311 Ob. an. 313
Sylvester I. Romanus	Cr. an. 314 Ob. an. 335
Marcus Romanus	Cr. an. 336 Ob. an. 336
Julius I. Romanus	Cr. an. 336 Ob. an. 352
Liberius Romanus	Cr. an. 352 Ob. an. 356

Felix II. Romanus vivente adhuc Liberio factus Pont. eo mortuo legitime electus est. Cr. an. 356 Ob. au. 367

Damasus I. Hispanus	Cr. an. 367 Ob. an. 384
Ursicinus Romanus Diaconus Antipapa.	
Siricius Romanus	Cr. an. 384 Ob. an. 398
Anastasius I. Romanus	Cr. an. 398 Ob. an. 402
Innocentius I. Albanus	Cr. an. 402 Ob. an. 417
Zosimus Graecus	Cr. an. 417 Ob. an. 418
Bonifacius I. Romanus	Cr. an. 418 Ob. an 423
Caelestinus I. Comensis	Cr. an. 423 Ob. an. 432
Sixtus III. Romanus	Cr. an. 432 Ob. an. 440
Leo I. M. Thuscus	Cr. an. 440 Ob. an. 461
Hilarus Sardus	Cr. an. 461 Ob. an. 467
Simplicius Tiburtinus	Cr. an. 467 Ob. an. 483
Felix III. Romanus	Cr. an. 483 Ob. an. 492
Gelasius I. Africanus	Cr. an. 492 Ob. an. 496
Anastasius II. Romanus	Cr. an. 496 Ob. an. 498
Symmachus Sardus	Cr. an. 498 Ob. an. 514
Laurentius Romanus Archid. Antipapa.	
Hormisdas Campanus	Cr. an. 514 Ob. an. 523
Joannes I. Thuscus	Cr. an. 523 Ob. an. 526

Fe-

Felix IV. Beneventanus	Cr. an. 526	Ob. an. 530
Bonifacius II. Romanus	Cr. an. 530	Ob. an. 532
Dioscorus Antipapa.		
Joannes II. Romanus	Cr. an. 532	Ob. an. 535
Agapetus I. Romanus	Cr. an. 535	Ob. an. 536
Sylverius Campanus	Cr. an. 536	Ob. an. 540
Vigilius Romanus	Cr. an. 540	Ob. an. 555
Pelagius I. Romanus	Cr. an. 555	Ob. an. 560
Joannes III. Romanus	Cr. an. 560	Ob. an. 573
Benedictus I. Romanus	Cr. an. 574	Ob. an. 578
Pelagius II. Romanus	Cr. an. 578	Ob. an. 590
Gregorius M. Romanus	Cr an. 590	Ob. an. 604
Sabinianus Thuscus	Cr. an. 604	Ob. an. 606
Bonifacius III. Romanus	Cr. an. 606	Ob. an. 607
Bonifacius IV. Romanus	Cr. an. 607	Ob. an. 615
Deusdedit Romanus	Cr. an. 615	Ob. an. 618
Bonifacius V. Neapolitanus	Cr. an. 618	Ob. an. 625
Honorius I. Campanus	Cr. an. 625	Ob. an. 638
Severinus Romanus	Cr. an. 639	Ob. an. 640
Joannes IV. Dalmata	Cr. an. 640	Ob. an. 642
TheodorusI Jerosolimitan.	Cr. an. 642	Ob. an. 649
Martinus I. Thuscus	Cr. an. 649	Ob. an. 655
Eugenius I. Romanus	Cr. an. 655	Ob. an. 657
Vitalianus Campanus	Cr. an. 657	Ob. an. 672
Adeodatus Romanus	Cr. an. 672	Ob. an. 676
Donus I. Romanus	Cr. an. 676	Ob. an. 678
Agatho Siculus	Cr. an. 678	Ob. an. 682
Leo II. Siculus	Cr. an. 682	Ob. an. 683
Benedictus II. Romanus	Cr. an. 684	Ob. an. 685
Joannes V. Syrus	Cr. an. 686	Ob. an. 686
Conon Trax	Cr. an. 686	Ob. an. 687
Sergius I. Sirus	Cr. an. 687	Ob. an. 701
Joannes VI. Graecus	Cr. an. 701	Ob. an. 705
Joannes VII. Graecus	Cr. an. 705	Ob. an. 707
Sisinnius Syrus	Cr. an. 708	Ob. an. 708
Constantinus Syrus	Cr. an. 708	Ob. an. 715
Gregorius II. Romanus	Cr. an. 715	Ob. an. 731
Gregorius III. Syrus	Cr. an. 731	Ob. an. 741
Zacharias Graecus	Cr an. 741	Ob. an. 752
Stephanus II. Romanus	Cr. an. 752	Ob. an. 757
Paulus I. Romanus	Cr. an. 757	Ob. an. 767
Constantinns adhuc laicus Antipapa.		
Stephanus III. Romanus	Cr. an. 768	Ob. an. 772

Hadrianus I. Romanus	Cr. an. 772	Ob. an. 795
Leo III. Romanus	Cr. an. 795	Ob. an. 816
Stephanus IV. Romanus	Cr. an. 816	Ob. an. 817
Paschalis I. Romanus	Cr. an. 817	Ob. an. 824
Eugenius II. Romanus	Cr. an. 824	Ob. an. 827.
Valentinus Romanus	Cr. an. 827	Ob. an. 827
Gregorius IV. Romanus	Cr. an. 827	Ob. an. 844
Sergius II. Romanus	Cr. an. 844	Ob. an. 847
Leo IV. Romanus	Cr. an. 847	Ob. an. 855
Benedictus III. Romanus	Cr. an. 855	Ob. an. 858
Anastasius Presbyter Antipapa.		
Nicolaus I. Romanus	Cr. an. 858	Ob. an. 867
Hadrianus II. Romanus	Cr. an. 867	Ob. an. 872
Joannes VIII. Romanus	Cr. an. 872	Ob. an. 882
Marinus I. Faliscus	Cr. an. 882	Ob. an. 884
Hadrianus III. Romanus	Cr. an. 884	Ob. an. 885
Stephanus V. Romanus	Cr. an. 885	Ob. an. 891
Formosus Portuensis	Cr. an. 891	Ob. an. 896
Sergius Rom. Diac. Card. Antipapa.		
Bonifacius VI. Thuscus	Cr. an. 896	Ob. an. 896
Stephanus VI. Romanus	Cr. an. 896	Ob. an. 897
Romanus Faliscus	Cr. an. 897	Ob. an. 898
Joannes IX. Tiburtinus	Cr. an. 898	Ob. an. 900
Benedictus IV. Romanus	Cr. an. 900	Ob. an. 903
Leo V. Ardeatinus	Cr. an. 903	Ob. an. 903
Christophorus Romanus	Cr. an. 903	Ob. an. 904
Sergius III. Romanus	Cr. an. 904	Ob. an. 911
Anastasius III. Romanus	Cr. an. 911	Ob. an. 913
Landus Sabinus	Cr. an. 913	Ob. an. 914
Joannes X. Romanus	Cr. an. 914	Ob. an. 928
Leo VI. Romanus	Cr. an. 928	Ob. an. 929
Stephanus VII. Romanus	Cr. an. 929	Ob. an. 931
Joannes XI. Romanus	Cr. an. 931	Ob. an. 936
Leo VII. Romanus	Cr. an. 936	Ob. an. 939
Stephanus VIII. Romanus	Cr. an. 939	Ob. an. 942
Marinus II. Romanus	Cr. an. 942	Ob. an. 946
Agapetus II. Romanus	Cr. an. 946	Ob. an. 957
Joannes XII. Romanus	Cr. an. 957	Ob. an. 964
Leo VIII. Rom. Diac. Antipapa.		
Benedictus V. Romanus	Cr. an. 964	Ob. an. 965
Joannes XIII. Romanus	Cr. an. 965	Ob. an. 972

Be-

Benedictus VI. Romanus Cr. an. 972 Ob. an. 974
Bonifacius VII. Rom. Diac. Antipapa.
Donus II. Romanus Cr. an. 974 Ob. an. 975
Benedictus VII. Romanus Cr. an. 975 Ob. an. 984
Joannes XIV. Papiensis Cr. an. 984 Ob. an. 985
Joannes XV. Romanus Cr. an. 985 Ob. an. 996
Joannes XVI. Episc. Placen. Antipapa.
Gregorius V. Saxo Cr. an. 996 Ob. an. 999
Sylvester II Aquitanus Cr. an. 999 Ob. an. 1003
Joannes XVII. Romanus Cr. an. 1003 Ob. an. 1003
Joannes XVIII. Romanus Cr. an. 1003 Ob. an. 1009
Sergius IV. Romanus Cr. an. 1009 Ob. an. 1009
Benedictus VIII. Romanus Cr. an. 1009 Ob. an. 1024
Gregorius VI. Presbyter Antipapa.
Joannes XIX. Romanus Cr. an. 1024 Ob. an. 1033
Benedictus XI. Romanus Cr. an. 1033 Ob. an. 1044
Silvester II. antea Joannes, Antipapa.
Joannes Antipapa.
Clemens II. Saxo Cr. an. 1046 Ob. an. 1047
Damasus II. Bavarus Cr. an. 1047 Ob. an. 1048
Leo XI. Tullensis Cr. an. 1048 Ob. an 1054
Victor II. Germanus Cr. an. 1054 Ob. an. 1057
Stephanus IX. Lotharingus Cr. an. 1057 Ob. an. 1058
Benedictus X. Antipapa.
Nicolaus II. Allobrox Cr. an. 1059 Ob. an. 1061
Alexander II. Mediolanen. Cr. an. 1061 Ob. an. 1073
Honorius II. Episc. Parmae Antipapa.
Gregorius VII. Thuscus Cr. an. 1073 Ob. an. 1085
Clemens. III. Archiep. Ravennae Antipapa.
Victor III. Beneventan. Cr. an. 1086 Ob. an. 1087
Urbanus II. Gallus Cr. an. 1087 Ob. an. 1099
Paschalis II. Thuscus Cr. an. 1099 Ob. an. 1118
Sylvester III. antea Theodoricus, Antipapa.
Gelasius II. Neapolitan. Cr. an. 1118 Ob. an. 1119
Gregorius VIII. antea Mauritius, Antipapa.
Callixtus II. Burgundus Cr. an. 1119 Ob. an. 1124
Honorius II. Bonomensis Cr. an. 1124 Ob. an. 1130
Innocentius II. Romanus Cr. an. 1130 Ob. an. 1143
Anacletus III. antea Petrus Leo, Antipapa.
Victor. II. antea Gregorius, Antipapa.
Caelestinus II. Thuscus Cr. an. 1143 Ob. an. 1144

Lu-

Lucius II. Bononiensis	Cr. an. 1144 Ob. an. 1145
Eugenius III. Thuscus	Cr. an. 1145 Ob. an. 1153
Anastasius IV. Romanus	Cr. an. 1153 Ob. an. 1154
Hadrianus IV. Anglus	Cr. an. 1154 Ob. an. 1159
Alexander III. Thuscus	Cr. an. 1159 Ob. an. 1181
Victor IV. antea Octavianus Romanus, Antipapa.	
Paschalis III. antea Guido de Crema, Antipapa	
Calixtus III. antea Joannes ex Hungaria, Antipapa.	
Lucius III. Lucensis	Cr. an. 1181 Ob. an. 1185
Urbanus III. Mediolanen.	Cr. an. 1185 Ob. an. 1187
Gregorius VIII. Benevent.	Cr. an. 1187 Ob. an. 1187
Clemens III. Romanus	Cr. an. 1188 Ob. an. 1191
Caelestinus III. Romanus	Cr. an. 1191 Ob. an. 1198
Innoc. III. Anagninus	Cr. an. 1199 Ob. an. 1216
Honorius III. Romanus	Cr. an. 1216 Ob. an. 1227
Gregorius IX. Anagninus	Cr. an. 1227 Ob. an. 1241
Caelestinus IV. Mediolanen.	Cr. an. 1241 Ob. an. 1241
Innocentius IV. Genuensis	Cr. an. 1241 Ob. an. 1254
Alexander IV. Anagninus	Cr. an. 1254 Ob. an. 1261
Urbanus IV. Gallus	Cr. an. 1261 Ob. an. 1264
Clemens IV. Gallus	Cr. an. 1265 Ob. an. 1268
Gregorius X. Placentinus	Cr. an. 1271 Ob. an. 1276
Innocentius V. Burgundus	Cr. an. 1276 Ob. an. 1276
Hadrianus V. Genuensis	Cr. an. 1276 Ob. an. 1276
Joannes XXI. Lusitanus	Cr. an. 1276 Ob. an. 1277
Nicolaus III. Romanus	Cr. an. 1277 Ob. an. 1281
Martinus IV. Gallus	Cr. an. 1281 Ob. an. 1285
Honorius IV. Romanus	Cr. an. 1285 Ob. an. 1287
Nicolaus IV. Asculanus	Cr. an. 1287 Ob. an. 1292
Caelestinus V. Neapolitanus; Æserninus, dictus Petrus de Morone Cr. an. 1294 abdicavit an. 1294	
Bonifacius VIII. Anagninus	Cr. an. 1294 Ob. an. 1303
Benedictus XI. ex Tarvisio	Cr. an. 1303 Ob. an. 1304
Clemens V. Gallus	Cr. an. 1305 Ob. an. 1314
Joannes XXII. Gallus	Cr. an. 1316 Ob. an. 1334
Nicolaus V. antea Petrus de Corbaria, Antipapa.	
Benedictus XII. Gallus	Cr. an. 1334 Ob. an. 1342
Clemens VI. Gallus	Cr. an. 1342 Ob. an. 1352
Innocentius VI. Gallus	Cr. an. 1352 Ob. an. 1362
Urbanus V. Gallus	Cr. an. 1362 Ob. an. 1369
Gregorius XI. Gallus	Cr. an. 1370 Ob. an. 1378

Ur-

Urbanus VI. Neapolitan. Cr. an. 1378 Ob. an. 1389
Clemens VII. Robertus Gebennensis, Antipapa.
Petrus de Luna Antipapa.
Bonifacius IX. Neapolitan. Cr. an. 1389 Ob. an. 1403
Innocentius VII. Sulmonen. Cr. an. 1404 Ob. an. 1406
Gregorius XII. Venetus Cr. an. 1406 abdic. an. 1409
Alexander V. Bononien. Cr. an. 1409 Ob. an. 1410
Joannes XXIII. Neapolitan. Cr. an. 1410 Ob. an. 1415
Martinus V. Romanus Cr. an. 1417 Ob. an. 1431
Eugenius IV. Venetus Cr. an. 1431 Ob. an. 1447
Felix V. antea Amcadeus, Sabaudiae Dux, Antipapa.
Nicolaus V. Sarzanensis Cr. an. 1447 Ob. an. 1455
Callixtus III. Hispanus Cr. an. 1455 Ob. an. 1458
Pius II. Senensis Cr. an. 1458 Ob. an. 1464
Paulus II. Venetus Cr. an. 1464 Ob. an. 1471
Sixtus IV. Savonensis Cr. an. 1471 Ob. an. 1484
Innocentius VIII, Genuen. Cr. an. 1484 Ob. an. 1492
Alexander VI. Hispanus Cr. an. 1492 Ob. an. 1503
Pius III. Senensis Cr. an. 1503 Ob. an. 1503
Julius II. Savonensis Cr. an. 1503 Ob. an. 1513
Leo X. Florentinus Cr. an. 1513 Ob. an. 1521
Hadrianus VI. e Belgio Cr. an. 1522 Ob. an. 1523
Clemens VII. Florentinus Cr. an. 1523 Ob. an. 1534
Paulus III. Romanus Cr. an. 1534 Ob. an. 1549
Julius III. Aretinus Cr. an. 1550 Ob. an. 1555
Marcellus II. Italus Cr. an. 1555 Ob. an. 1555
Paulus IV. Neapolitanus Cr. an. 1555 Ob. an. 1559
Pius IV. Mediolanensis Cr. an. 1559 Ob. an. 1565
Pius V. Alexandrinus Cr. an. 1566 Ob. an. 1572
Gregorius XIII. Bononien. Cr. an. 1572 Ob. an. 1585
Sixtus V. Montaltus Picenus Cr. an. 1585 Ob an. 1590
Urbanus VII. Romanus. Cr. an. 1590 Ob. an. 1590
Gregorius XIV. Mediolanen. Cr. an. 1590 Ob an. 1591
Innocentius IX. Bononien. Cr. an. 1591 Ob. an. 1591
Clemens VIII. Florentin. Cr. an. 1592 Ob. an. 1605
Leo XI. Florentin. Cr. an. 1605 Ob. an. 1605
Paulus V. Romanus Cr an. 1605 Ob. an. 1621
Gregorius XV. Bononien. Cr. an, 1621 Ob. an. 1623
Urbanus VIII. Florentin. Cr. an. 1623 Ob. an. 1644
Innocentius X. Romanus Cr. an. 1644 Ob. an. 1655
Alexander VII. Senensis Cr. an. 1655 Ob. an. 1667

Clemens IX. Thuscus	Cr. an. 1667 Ob. an. 1669
Clemens X. Romanus	Cr. an. 1669 Ob. an. 1676
Innocentius XI. Comensis	Cr. an. 1676 Ob an. 1689
Alexander VIII. Venetus	Cr. an. 1689 Ob. an. 1691
Innocentius XII. Neapolitan.	Cr. an. 1691 Ob. an. 1700
Clemens XI. Urbinas	Cr. an. 1700 Ob. an. 1721
Innocentius XIII. Romanus	Cr. an. 1721 Ob. an. 1724
Benedictus XIII. Romanus	Cr. an. 1724 Ob. an. 1730
Clemens XII. Florentin.	Cr. an. 1730 Ob. an. 1740
Benedictus XIV. Bononien.	Cr. an. 1740 Ob. an. 1758
Clemens XIII. Venetus	Cr. an. 1758 Ob. an. 1769
Clemens XIV. Riminensis	Cr. an. 1769 Ob. an. 1774
Pius VI. Caesenas	Cr. an. 1775 Ob. an. 1799
Pius VII. Caesenas	Cr. an. 1800 Ecclesiam hodie feliciter regit.

C A P. II.

De Conciliis Oecumenicis.

§. I.

Concilium Nicaenum I., et Sardicense.

Post Concilium Apostolorum Hierosolymis habitum ad finiendam controversiam de Mosaicorum rituum abrogatione, quae universam Ecclesiam turbaverat, primum generale Concilium celebratum est Nicaeae in Bythinia anno CCCXXV. Convocatum est a *Constantino* M. non sine consensu R. Pontificis, quod et in aliis septem prioribus Conciliis oecumenicis factum esse, merito existimamus. Praefuerunt Concilio *Osius* Episcopus Cordubensis, *Vitus*, et *Vincentius* Presbyteri, nomine *Sylvestri* S. Pontificis. Convenerunt Episcopi trecenti octodecim, ut testatur communis omnium veterum consensio, ex qua patet, mendosum esse locum Eusebii *Lib. III. De vita Constant.* ubi Episcopos numerat ducentos quinquaginta. Ipse *Constantinus* Concilio interfuit, sed infra Episcopos, et quidem ipsis rogantibus, sedit. In eo 1.° damnata est Ariana haeresis, quae jam multos in Ægyp-

Ægypto, atque Asia in eccrat, ipseque *Arius* Presbyter Alexandrinus, qui Verbi divinitatem negabat; eamque ob causam inserta symbolo est vox ὁμουσιος, consubstantialis, cui *Arius* subscribere noluit, ut testatur *Athanasius*, qui rem melius nosse potuit, quam *Hieronymus*, qui in *Dial. cont. Lucifer.* ait, ipsum *Arium* formulae Nicaenae subscripsisse. 2.° Damnati *Quartodecimani*, qui Pascha cum Judaeis ipsa die decimaquarta lunae celebrandum docebant, sancitumque, ut semper Dominica sequenti, ut hodie fit in Ecclesia, celebraretur; et ita demum sopita controversia, quae inter occidentalem, et plures orientales Ecclesias fere ab ipso Ecclesiae initio duraverat. 3.° Ad extinguendum schisma Meletianum, conflatum scilicet a *Meletio* Lycopolis Episcopo, qui variis criminibus Episcopatu motus; adhuc pergebat ordinationes, et alia Episcopalia celebrare officia, statutum est, ut *Meletius* ipse solum retineret Episcopi nomen; ordinati vero ab eo Clerici Alexandrino Episcopo subessent. 4.° Canones editi sunt viginti, ad disciplinam pertinentes; alii enim, qui circumferuntur Nicaeni canones, apocryphi sunt.

Absoluto Nicaeno Concilio, Ariani Episcopi, qui metu exilii subscripserant Nicaenae fidei, nullum non moverunt lapidem, ut eam abolerent, et *Athanasium* strenuum ejus vindicem perderent, pluribus coactis synodis, variisque, ac novis fidei formulis concinnatis, freti maxime patrocinio *Constantii*, et *Valentis* Imperatorum. Celebriores eorum Synodi fuerunt Tyria, Antiochena, Ariminensis, Seleuciensis, Syrmiensis. Sed tandem sub *Theodosio* M. fractis Arianorum viribus, pax Ecclesiae restituta est.

Concilium Sardicense anno CCCXLVII. habitum est sub *Constantio*, et *Constante* Imp. presidente eodem *Osio* Cordubensi, et duobus presbyteris legatis S. Pontificis. In eo concilio Nicaena fides confirmata est. Fuisse autem Oecumenicum Concilium, *Natalis* Alexander ostendit adversus *Petrum de Marca*; sed quia habitum est a veteribus, tamquam Nicaeni Concilii appendix, ejusque Canones saepe sub nomine Concilii Nicaeni laudantur a veteribus, non numeratur

ut

ut alterum concilium generale post Nicaenum. De eo vide eundem Nat. Alexandrum *Dissert. XXVII. in Hist. Eccl. Saec. IV.*

§. II.

Concilium Constantinopolitanum I.

II. Concilium Constantiuopolitanum I. indictum est a *Theodosio M.* habitumque anno CCCLXXXI. Praefuit huic Concilio primum *Meletius* Episcopus Antiochenus; deinde, eo mortuo, *Gregorius Nazianzenus*, qui in eodem Concilio electus est Episcopus Constantinopolitanus, depulso ejus sedis invasore *Maximo Cynico*. Cumque ortis dissensionibus, ipse *Gregorius* Episcopatu Constantinopolitano, studio pacis, se abdicasset; praefuit *Timotheus Alexandrinus*, donec electus *Nectarius* Episcopus Constantinopolitanus usque ad finem Concilio praefuit. Adfuerunt Episcopi centum quinquaginta. Et quamvis ipsi Concilium generale non constituerent, absentibus omnibus Episcopis Occidentis, tamen cum *Damasus* Papa, una cum concilio occidentalium, Constantinopolitani decreta probasset, evasit hoc Concilium oecumenicum. In eo 1.° confirmata est Nicaena fides, damnati Ariani, Sabelliani, Photiniani, Apollinaristae: 2.° damnatus *Macedonius*, Episcopus Constantinopolitanus, qui Spiritus S. divinitatem negabat, insertaque symbolo verba illa, quae ad ejusdem Spiritus S. divinitatem spectant; 3.° Editi canones septem circa disciplinam, quamquam in collectione *Dionysi Exigui* quatuor tantum sint.

§. III.

Concilium Ephesinum.

III. Ephesinum indictum est a *Teodosio* juniore, habitumque anno CCCCXXXI. praesidente primum *Cyrillo Alexandrino*, deinde legatis S. Pontificis. Convenerunt Episcopi plusquam ducenti. Damnatus est in eo Concilio *Nestorius* Constantinopolitanus Episco-

scopus docens, in Christo duas esse personas divinam, et humanam, ideoque B. Virginem non esse dicendam *θεοτοκον*, *Deiparam*. Etiam Pelagiani, qui ab Italia pulsi, ad *Nestorium* confugerant, damnati sunt. *Joannes Antiochenus*, *Nestorio* favens, quem ab haeresi putabat immunem, tardius Ephesum adveniens, et indigne ferens *Nestorii* damnationem, cum Episcopis suis conciliabulum habuit: *Cyrillum*, aliosque Episcopos damnavit. Tandem, dissoluto Concilio, pax inter eos inita est.

§. IV.

Concilium Chalcedonense.

IV. Chalcedonense indictum est a *Marciano*, et celebratum anno CCCCLI. praesidentibus S. Pontificis *Leonis M.* legatis. Adfuerunt Episcopi sexcenti triginta sex. 1.° Damnatus *Eutyches* docens, unam esse Christi naturam, ejusque fautor *Dioscorus Alexandrinus*, qui in Ephesino Concilio, quod vulgo *latrocinium Ephesinum* dicitur, *Eutychen* absolverat, *Flavianum* Constantinopolitanum Episcopum damnaverat, omniaque vi, et armis perturbaverat. 2.° Editi canones viginti octo, inter quos ille celeberrimus, qui Constantinopolitanum Episcopum ad Patriarchalem dignitatem, et auctoritatem extollebat contra canones Nicaenos; ideoque diu a Romanis Pontificibus improbatus, deinde, studio pacis, tacito consensu receptus, tandem in Concilio Lateranensi IV. sub *Innocentio* III. confirmatus est.

§. V.

Concilium Constantinopolitanum II.

V. Constantinopolitanum II. indictum est a *Justiniano*, et celebratum anno DXLIX. Convenerunt Episcopi centum sexaginta circiter. In eo primum quatuor priora Concilia oecumenica confirmata sunt. Deinde damnatus est, quamquam mortuus, *Theodorus Mop-*

Mopsuestenus, ejusque opera; damnata quoque scripta *Theodoreti Cyrensis* contra S. *Cyrillum*, et Epistola *Ibae Edesseni* ad *Marim Persam*, quae scripta *Nestorio* favere videbantur. Sed quia *Theodoretus*, et *Ibas* a Concilio Chalcedonensi judicati fuerant catholici, dicentes anathema *Nestorio*, ejusque haeresi; ideo non ipsi, sed ipsorum scripta contra Cyrillum damnata sunt. Haec sunt tria Capitula, de quibus magua animi contentione certatum est etiam post Concilium Constantinop. II. sed quia illud a *Vigilio* primum Pontifice, deinde ab Ecclesia universa paulatim receptum est, evasit Oecumenicum.

§. VI.

Constantinopolitanum III.

VI. Constantinopolitanum III. indictnm a *Constantino Pogonato*, celebratumque est anno DCLXXX. Adfuerunt Episcopi circiter ducenti, praesidentibus legatis S. Pontificis. Damnata haeresis *Monothelitarum* negantium duas in *Christo* voluntates, et operationes, divinam, et humanam. Quoniam autem quintum, et sextum generale Concilium non ediderant canones ad disciplinam pertinentes, habita est in *Trullo*, seu amplo cubiculo Palatii Imperialis Synodus *Trullana*, seu *Quinisexta*, quasi ad supplendum quintum, et sextum Concilium. Eam tamen Synodum, in qua jam superbiae Graecorum igniculi erumpebant, Romana Ecclesia non recepit.

§. VII.

Nicaenum II.

VII. Nicaenum II. convocatum a *Constantino*, et *Irene* ejus matre; habitumque est anno DCCLXXXVII. contra *Iconomachos*, sive *Iconoclastas*, qui sacras imagines confringebant, asserentes, earum venerationem ad idololatriam pertinere. Adfuerunt Episcopi trecenti quinquaginta. Damnata igitur ea haeresis est; cul-

cultus imaginum restitutus, improbati, si qui irrepserant, ea in re abusus.

§. VIII.

Constantinopolitanum IV.

VIII. Constantinopolitanum IV. indictum est ab Imperatore *Basilio*, habitumque anno DCCCLXIX. Convenerunt Episcopi centum, et unus, praeter patriarchas; praesidentibus etiam S. Pontificis legatis. Damnatus, atque in ordinem redactus *Photius*, qui Patriarchalem Constantinopolis sedem invaserat, et expulso legitimo Episcopo *S. Ignatio*, qui in hoc Concilio restitutus est. Sed cum *Photius* deinde iterum eam sedem occupasset, *Ignatio* depulso, semina schismatis inter Graecam, et Latinam Ecclesiam jecit; quod Schisma saeculo XI. agente *Michaele Caerulario* Constantinopolitano Episcopo, confirmatum est, adjuncta haeresi de processione Spiritus S. ex solo Patre. Hinc sequentia Oecumenica Concilia sine Graecis Schismaticis in Occidente celebrata sunt.

§. IX.

Lateranense I.

IX. Lateranense I. celebratum est Romae a *Callixto II.* in Lateranensi Basilica anno MCXXIII. ad finiendam controversiam, quae tot annos totam turbaverat Europam, de Investituris, sive electionibus Episcoporum et Abatum, quas Imperatores, aliique principes per traditionem annuli, et baculi celebrabant. Statutum itaque est, ut libera deinceps Clericis, et Monachis esset electio Episcoporum, et Abatum. Electi tamen *Regalia*, quae, a Principibus donata, possidebat Ecclesia, ab ipsis Principibus non per baculi et annuli traditionem, sed per Sceptri contactum acciperent. His conditionibus inter Imperatorem, et Pontificem, redintegrata pax est. Editi etiam in eo Concilio Canones duo, et viginti.

§. X.

Lateranense II.

X. Lateranense II. ab *Innocentio II.* celebratum est anno MCXXXIX. convenientibus Episcopis, Abatibus, aliisque patribus circiter mille. Rescissa sunt acta *Petri Leonis* Antipapae. Damnati haeretici *Petrus de Bruis*, et *Arnaldus Brixiensis*. Conditi canones circa disciplinam triginta.

§. XI.

Lateranense III.

XI. Lateranense III. ab *Alexandro III.* habitum est anno MCLXXIX. Adfuerunt Episcopi trecenti, inter quos aliqui etiam orientales. Damnati in eo Concilio *Albigenses*, et *Valdenses*. Occasione autem Shismatis *Octaviani* Antipapae sancitum, ut nemo censeretur electus Pontifex, nisi a duabus tertiis Cardinalium partibus eligeretur. Conditi Canones ad disciplinam spectantes vigintiseptem.

§. XII.

Lateranense IV.

XII. Lateranense IV. sub *Innocentio III.* celebratum est anno MCCXV. convenientibus Episcopis quadringentis duodecim, Abatibus vero, aliisque patribus plusquam octingentis. Damnati iterum Albigenses, nec non haeresis *Almarici* docentis, unumquemque debere fide divina credere, se esse membrum *Christi*: et Liber Abatis *Joachimi* contra *Petrum Lombardum*. Decreta etiam est expeditio ad Terram Sanctam, sive Palaestinam e Saracenorum potestate liberandam. Condita est fidei expositio, et Canones circa disciplinam sexagintanovem.

§. XIII.

§. XIII.

Lugdunense I.

XIII. Lugdunense I. ab *Innocentio* IV. habitum est in Gallia anno MCCXLV. convenientibus Episcopis centum trigiuta, Abatibus, aliisque Praelatis, contra *Fridericum* II. Imperatorem. Decretum quidem contra illum editum est ab ipso *Innocentio* IV. *Sacro praesente Concilio*, reliqua vero *Sacro approbante Concilio*. Decreta iterum expeditio Terrae Sanctae, aliaque circa disciplinam statuta sunt.

§. XIV.

Lugdunense II.

XIV. Lugdunense II. a *Gregorio* X. celebratum est anno MCCLXXIV. convenientibus Episcopis quingentis, Abatibus, aliisque Praelatis circiter mille. Graeci, ejurato Schismate, cum Latinis iniere pacem, decantato sollemniter symbolo cum adjecta particula *Filioque*; quam tamen pacem non diu servarunt. Decretum subsidium pro expeditione Ierosolymitana. Canones circa disciplinam triginta et unus a Gregorio ipso promulgati sunt.

§. XV.

Viennense.

XV. Viennense a *Clemente* V. habitum est anno MCCCXI. Viennae Allobrogum. Adfuerunt Episcopi circiter trecenti, Abates, aliique Praelati. Extinctus ordo *Templariorum*. Damnati *Beguardi*, *et Beguinae*, qui falsam quandam Christianae vitae perfectionem commenti, varias docuere haereses, quibus posteriorum saeculorum *Quietistis* praeluserunt; nec non errore *Petri Joannis*, *Fraticellorum*, *Dulcinistarum*, de quibus vide quae infra dicentur. Actum etiam de

subsidio Terrae Sanctae, ac de gravissimo inter *Bonifacium VIII. Clementis* praecessorem, et *Philippum Pulchrum Galliarum* regem dissidio, Canones circa disciplinam condidit, ac promulgavit ipse *Clemens V.*

§. XVI.

Constantiense.

XVI. Constantiense convocatum est a *Joanne* XXIII, anno MCCCCXIV. duravitque annis quatuor. In eo Concilio abolitum est Schisma, quod Ecclesiam Occidentis tot annis diviserat, ac perturbaverat, electis primo duobus, deinde tribus summis Pontificibus. Duo exauctorati sunt *Joannes* XXIII. et *Benedictus* XIII. tertius vero *Gregorius* XII. sponte Pontificatu se abdicavit. Electus deinde *Otho Columna*, qui *Martinus* V. appellatus est. In eodem concilio damnati sunt *Johannes Wiclefus*, *Johannes Hus*, et *Hieronymus Pragensis*. Sancitum, ut Eucharistia deinceps a laicis sub unica tantum specie sumeretur. Actum de Ecclesiae reformatione, sed ea res dilata est.

§. XVII.

Basileense.

XVII. Basileense a *Martino* V. primum Papiae indictum, tum Senis haberi coeptum, demum Basileam translatum est anno MCCCCXXXI. Adfuerunt Episcopi circiter trecenti. Actum est de Ecclesiae reformatione. Sed hoc concilium, initio Oecumenicum, in exitu Schismaticum evasit, cum *Eugenius*. IV. *Martini* successor, concilium indixit primo Ferrariae, deinde Florentiae ad reducendos in Ecclesiae sinum Graecos. Episcopi enim nonnulli Basileae manserunt, ibique ipsum *Eugenium* damnare, atque exauctorare tentarunt, creato *Felice* V. Antipapa.

§. XVIII.

Florentinum.

XVIII. Florentinum ab *Eugenio* IV. habitum est anno MCCCCXXXVIII. primum Ferrariae, ubi sexdecim habitae sunt sessiones, deinde, peste ibi grassante, Florentiam translatum, ibique novem reliquae sessiones celebratae sunt. Concilio adfuit ipse *Johannes Palaeologus* Graecorum Imperator, *Josephus* Patriarcha Constantinopolitanus, ceterique Graeci Episcopi. Redintegrata inter Graecos, et Latinos concordia, et unio, sopitis controversiis de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, de adjectione particulae *Filioque* facta Symbolo, de consecratione Eucharistiae in azymo, et fermentato, de purgatorio, de beatitudine animarum sanctarum ante resurrectionem, de primatu summi Pontificis. Ceterum profitentibus Graecis, procedere Spiritum S. ex Patre, et Filio recteque additam a Latinis symbolo particulam *Filioque*, concessum est, ut symbolum ipsum sine ea additione in Ecclesia Graeca recitare pergerent, cum ea res ad disciplinam pertineret, ut ex Actis Concilii Florentini advertit *Benedictus XIV. Constit. XLVII. Tom. IV. Bullar.* quae incipit *Allatae sunt* §. 30. Unus *Marcus* Episcopus Ephesinus subscribere detrectans, in Patriam reversus, multos Graecorum a pace abalienavit, et in schismate confirmavit.

§. XIX.

Tridentinum.

XIX. Tridentinum a *Paulo III.* convocatum, anno MDXLV: inchoatum est tum ad definiendas fidei controversias a Lutheranis, et Calvinistis excitatas, tum ad Ecclesiae reformationem. Deinde intermissum, a *Julio III.* restitutum; mox denuo intermissum, a *Pio IV.* revocatum, absolutum est anno MDLXIII. Quamvis autem hoc Concilium propter nonnulla disci-

Saeculo I.

1.° *Simon Magus*, haereticorum omnium antesignanus, Persarum philosophia imbutus, qui duo rerum principia statuebant, et magiae artibus, dolisque instructus; postquam a *Petro* repulsus est, cui pecuniam obtulerat ad spiritualem potestatem comparandam, ex quo crimen hoc *simonia* dicitur; docuit 1.° mundum corporeum a malo principio conditum, et ab eodem latam esse Mosaicam legem. 2.° Unam esse Dei summi, ac boni personam, quae ob varia opera nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus Sanctus dicitur. 3.° Legem Mosaicam, utpote a malo Deo latam, spernendam, ac violandam esse. 4.° Ut homines ab ea redimeret, Deum bonum apparuisse non vero corpore indutum, quod à malo principio est, sed falsa corporis imagine. 5.° Postquam homines praestigiis decepit, ut crederent, ipsum Simonem esse plusquam hominem, docuit, se esse summum Deum, qui Judaeis apparuerat ut Filius, Samaritanis ut Pater, Gentibus ut Spiritus Sanctus 6.° Negabat corporum resurrectionem. 7.° Spiritales quasdam substantias a summo Deo emanasse, inter quas Verbum quinto loco ponebat 8.° Promiscuam docebat libidinem, et mysteria quaedam spurcitiae plena, aliaque turpissima. 9.° Illud erat ipsi cum ceteris ejusdem farinae haereticis commune dogma, omnia licere, etiam idolis immolare, ad vitandam mortem, ac martyrium.

2.° In eodem luto haeserunt *Menander*, *Saturninus*, a nonnullis dictus *Saturnilus*, et *Basilides*, Simonis discipuli; licet paucis immutatis, et barbaris quibusdam nominibus inventis, novae potius haeresis auctores, quam alienae sectatores videri voluerint.

3°. *Cerinthus Judaeus* docuit, 1.° legem Moysis necessariam esse ad salutem; 2.° Christum purum hominem, ex Josepho, et Maria genitum, necdum resurrexisse, sed resurrecturum in fine mundi, tuncque mille annorum regnum in epulis, carnalibusque voluptatibus transigendum.

4°. *He-*

nis contra gentiles primum defensore, deinde haeresis auctore, docebant, illicitum esse matrimonium; abstinendum a vino, etiam in Eucharistiae celebratione; Adamum esse damnatum. Inde exorti *Severiani* a *Severo* Tatiani discipulo.

4.° *Cerdon* e Syria Romam profectus, sedente Hygino Pontifice, duorum principiorum systema ab aliis haereticis primo saeculo informatum, in Italiam invexit.

5.° *Marcion Cerdonis* discipulus, dogma de duobus rerum principiis latius disseminavit. Legem, Prophetas, ipsumq. praeceptum, quo Deus Adam vetuit comedere de pomo in Paradiso, a malo principio esse docuit: Christum assumsisse non corpus, sed falsam corporis imaginem; damnandas esse nuptias. Eandem haeresim, paucis immutatis, secutus est *Apelles*.

6.° *Montanus* jactavit, se esse Spiritum Sanctum, vel eo afflatum, suasque sectatrices *Priscillam*, et *Maximillam*, quas nonnulli meretrices vocant, eodem Spiritu motas, prophetare. Docuit autem, secundas nuptias a fornicatione non differre; non licere fugam in persecutione, nec Ecclesiam habere potestatem graviora scelera dimittendi. Ejus discipuli passim a veteribus *Cataphryges* appellantur, eo quod in Phrygia praesertim, unde *Montanus* ortus est, eorum secta invaluerat.

7.° Emerserunt etiam hoc saeculo *Theodotus Trapezita*, qui docuit, Melchisedec fuisse virtutem quandam Christo majorem, *Theodotus Coriarius*, et *Artemon*, qui Christum purum hominem cum aliis haereticis affirmarunt; et *Hermogenes*, qui materiam esse voluit non creatam, sed Deo coaeternam.

Saeculo III.

1.° *Praxeas* Phrygius Trinitatem personarum in divinis negavit, unamque personam Patris agnovit. Eum secuti *Beryllus Bostrensis*, *Noetus* Ephesinus, *Sabellius Ptolemaidensis*, et *Paulus* Samosatenus. Hi omnes in duas classes divisi sunt. Alii enim docebant, *Chri-*

Christum purum fuisse hominem, singulari Dei virtute praeditum; alii vero docuerunt, unicam illam personam, quam in Deo agnoscebant, fuisse incarnatam; eamque esse Christum Dominum, unde dicti sunt Patripassiani.

2.° Omnibus pestilentior fuit Manes, sive Sapiens, Persa, dictus a Graecis *Manichaeus* (quasi ore suo manna fundens, eo quod Graeca lingua *Manes* furiosum sonat) qui *Simonis*, *Cerdonis*, *Marcionis*, aliorumque dogma de duobus rerum principiis subtilius instruxit, ac latius propagavit. Inde paucis immutatis orti sunt *Hieracitae*.

3.° *Novatiani* a *Novato* Carthaginensi, et *Novatiano* Romano, quos non recte veteres nonnulli confundunt, conflato adversus Cornelium R. Pont. schismate, docuerunt, non esse Ecclesiae a Christo datam remittendi peccata potestatem, quod postea emollientes, ad graviora scelera coarctarunt. Item Sacramentum Confirmationis, quod Novatianus in lecto baptizatus non susceperat, negligebant. Contra vero *Felicissimus* Carthaginensis contra *Cyprianum* schismaticus, lapsis in idololatriam sine poenitentia absolutionem a peccatis dabat.

4.° Emerserunt etiam hoc saeculo *Angelici*, qui latriae cultum impendebant Angelis: *Apostolici*, qui eos, qui uxoribus utebantur, a sua communione pellebant: *Valesiani*, qui semetipsos, et hospites Eunuchos faciebant: *Arabes*, qui immortalitatem animorum negabant: *Rebaptizantes*; *Origenistae*.

Saeculo IV.

1.° *Donatistae* Sacramenta, a ministris improbis collata, asserebant esse irrita. Hoc praetextu schisma in Africa conflarunt teterrimum, quod multis duravit annis usque ad saeculum quintum. Affirmabant praeterea, Ecclesiam toto orbe periisse, remansisse vero tantum in Africa in parte *Donati*, quem praeter hos errores, etiam Ariana labe fuisse aspersum, testatur Augustinus *Lib. De haeres. Cap.* 69.

2.° *Ariani*, duce *Ario* Presbytero Alexandrino, docue-

uerunt, Vrbum esse creaturam, licet nobilissimam, et ceterarum creaturarum initium. Damnati in Concilio Nicaeno, scissi sunt in duas partes, *Anomoeos*, et *Semiarianos*. *Anomoei*, ducibus *Aetio*, *Eunomio*, et *Eudoxio* docuerunt, Verbum esse Patri ἀνομοιον, dissimile; *Semiariani* simile in substantia, sed non *consubstantiale*.

3.° *Macedoniani*, vive *Pneumatomachi* asserebant, Spiritum Sanctum non esse Deum, sed creaturam.

4.° *Apollinaristae* affirmabant, Verbum assumsisse corpus absque anima rationali, ideoque in Christo ipsum Verbum mentis vicem gessisse.

5.° *Photinus* Sabellii haeresim, paucis mutatis, professus est, Christumque purum hominem esse docuit, nec ante Mariam extitisse.

6.° *Priscillianus* Hispanus Manichaeorum dogmata de duobus principiis, de fatali rerum necessitate, aliaque per Hispaniam propagavit.

7.° *Helvidius* Mariae negavit virginatatem. Ejus vero discipulus *Jovinianus* docuit, servandam non esse castitatem, peccata omnia esse aequalia, paria fore praemia justorum, et malorum poenas.

8.° *Aerius* Arianus docuit, Episcopos non esse Presbyteris superiores.

9.° *Colluthiani* a *Collutho* Arii coaevo, qui presbyter Episcopalia munera, ipsamque ordinationem presbyterorum celebrare ausus est, docuerunt, Deum non esse malorum naturae, et poenae auctorem.

10. *Eustathiani* duce *Eustathio* Sebasteno Ariano, nuptias, et usum carnium damnabant.

11.° Emerserunt etiam hoc saeculo *Antropomorphitae*, qui corpus humanum Deo affingebant; *Collyridiani*, qui cultum latriae B. Virgini exhibebant, eique offerebant sacrificia; *Messaliani*, qui Sacramenta et bona opera tamquam inutilia spernebant, solamque orationem necessariam esse docebant, unde dicti sunt *Euchitae*; *Bonosiaci*, qui duce *Bonoso* Sardicensi Episcopo, docebant, Christum purum esse hominem, duosque in eo agnoscendos esse Filios Dei, unum aeternum, alterum temporalem, qua in re *Nesto-*

storio videntur praelusisse; Virginitatem vero B. Mariae post partum negabant.

Saeculo V.

1.° *Pelagius* Britannus, docuit 1.° *Adamum* conditum fuisse mortalem, et lapsu suo sibi soli, et non posteris nocuisse, ideoque parvulos nasci sine peccato originali, eoque in statu, in quo fuit Adam ante peccatum, nec privari vita aeterna (quam distinguebat a regno caelorum) si sine baptismo moriantur. 2.° Ignorantiam, et concupiscentiam, ipsamque mortem non esse poenam peccati, sed primordia naturae. 3.° posse hominem sine actuali gratiae supernaturalis auxilio vitare omnia peccata, etiam venialia, totamque legem servare. 4.° Ignorantiam, et oblivionem omnino excusare a peccato. Ei praeluserant *Origenis* opera, nec non *Theodorus Mopsuestenus*, et *Ruffinus*. Praecipui Pelagii sectatores fuere *Caelestius*, et *Julianus*.

2.° *Semipelagiani*, sive *Massilienses* in hoc tantum a *Pelagianis* non dissidebant, quod vellent voluntates humanas non praeveniri a gratia Dei, sed saltem initium fidei, salutis desiderium, et perseverantiam, habere homines ex libero arbitrio absque gratia; ideoque negabant praedestinationem gratuitam; in ceteris vero cum catholicis sentiebant.

3.° *Nestorius* C. P. Patriarcha docuit, in Christo duas esse personas divinam, et humanam, ideoque B. Virginem non dicendam esse θεοτοκον *Deiparam*, sed χριστοτοκον *Christiparam*.

4.° *Eutyches Archimandrita*, sive Abbas Monasterii Constantinopolitani, docuit, in Christo unam esse naturam, sive ex divina, et humana permixtam, sive divinam tantum, quae humanam absorbuit. Praecipui ejus assectatores fuere *Dioscorus Alexandrinus*, *Timotheus Ælurus*, *Petrus Mongus*, *Petrus Gnaphaeus* etc. *Eutychiani* in varias sectas scissi sunt, quae hoc, et in sequenti saeculo vexarunt Ecclesiam.

5.° *Vigilantius* 1.° martyrum reliquiis bellum indixit, earumque cultum oppugnavit. 2.° negabat, mar-

martyres orare pro nobis, ideoque frustra eos invocari docebat. 3.° Virginitatem, et coelibatum impugnabat. 4.° monasticum institutum spernebat.

Saeculo VI.

1.° *Eutychiani* hoc saeculo in varias sectas divisi, magnos in Ecclesia motus excitarunt. Praecipuae eorum sectae fuerunt, 1.° *Corrupticolae*, et *Incorrupticolae*. Priores post *Severum* Antiochenum fatebantur, Christum doloribus obnoxium, ejusque corpus ante resurrectionem corruptibile; posteriores vero post *Julianum Halicarnassensem* in contrariam factionem, et haeresim discesserunt. 2.° *Theopaschitae*, qui ipsi divinitati in Christo passionem tribuebant. 3.° *Agnoitae*, qui aliquam Christo adscribebant ignorantiam. 4.° *Tritheitae*, qui duce *Joanne Philopono* Eutychiano, tres divinas personas tres esse naturas divinas affirmabant, idque ex palmari illo Eutychianorum dogmate, nimirum tot esse naturas, quot personas.

Saeculo VII.

1.° *Monothelitae*, Eutychianorum propago, docuerunt, unicam in Christo agnoscendam esse voluntatem, et operationem. In eam autem haeresim pertracti sunt etiam multi ex iis, qui contra Eutychianos duas in Christo naturas profitebantur. Ejus sectae antesignani fuerunt *Theodorus Pharanites*, *Sergius Alexandrinus*, *Pirrhus*, et *Paulus Constantinopolitani*. *Honorius* Papa, a *Sergio* deceptus, tamquam fautor haereticorum habitus est.

2.° Prodiit hoc saeculo *Mahometanorum* religio, duce *Muhammede*, quae longe, lateque vi, et armis propagata est. Totum ejus religionis systema continetur in Alcorano, quod ab Archangelo *Gabriele* (*a*), se per partes accepisse, *Muhammedes* mentitus est. Mul-

(a) In priori Editione *Michael* pro *Gabriele* mendose positus est.

Multa habet ex veteri, novoque testamento decerpta, multa vero a *Muhammede* addita de suo, quae longum est hic exponere. Deum esse unum, unamque divinitatis personam; Christum fuisse prophetam ex virgine natum: necessitate omnia evenire. Paradisum fidelibus promissum, in voluptatibus corporis constituit. Multa vero habet in rebus moralibus, legi naturali contraria.

3.° *Pauliciani*, duce *Paulo* quodam Samosatensi, Manichaeorum haeresim hoc saeculo suscitarunt, lateque propagarunt; nonnullisque adjectis, novae haeresis auctores visi sunt.

Saeculo VIII.

1.° *Iconoclastae*, Sacras Imagines non solum non esse habendas, et honorandas, sed confringendas, et conculcandas, docebant; omnemque cultum imaginibus exhibitum, idololatriam esse. Graeci Imperatores *Leo Isauricus*, *Constantinus Copronymus*, *Leo Armenus* totis viribus hanc haeresim stabilire conati sunt, et Catholicos vehementer insectati, quorum multos crudeliter interfecerunt.

2.° *Felix Urgelitanus*, et *Elipandus Toletanus*, Christum, docebant, dicendum esse filium Dei adoptivum. Sed disputatur inter Theologos, utrum Christum dicerent adoptivum *secundum naturam humanam*, an *absolute*.

Saeculo IX.

1.° Hoc saeculo *Photius*, Constantinopolitanae sedis invasor, litem movere coepit Latinis de processione Spiritus Sancti ex Patre et Filio, jecitque fundamenta Schismatis Graecorum.

2.° Magnas hoc saeculo in Ecclesia, praesertim Gallicana, excitavit turbas haeresis, quae disseminari ferebatur, *Praedestinatianorum*, qui docere dicebantur, praedestinationem ad vitam, et ad mortem aeternam fatali necessitate homines agere ad bonum, et ad malum. Hujus haeresis nomine, *Gotheschalchus* ma-

male habitus est ab *Hincmaro Rhemensi*, et perpetuo carcere inclusus. Nonnulli tamen volunt, hanc haeresim fuisse figmentum Semipelagianorum.

3.° Eodem saeculo *Joannes Scotus Erigena* veritatem Corporis, et Sanguinis Christi in Eucharistia negavit, *Sergiotae*, et *Baanitae* a *Sergio*, et *Baane*, Manichaeorum haeresim, paucis adjectis, in Oriente disseminarunt; *Claudius* vero *Taurinensis* Iconoclastarum haeresim in Occidente.

Saeculo X.

Singularis Dei providentia hoc saeculo enituit, quod in tanta malorum colluvione, quae tunc grassata est, tantaque ignorantia sacrarum litterarum, non permiserit, novas emergere haereses. Pauci enim, qui haereseos postulati sunt, veteres errores, praesertim Manichaeorum, profitebantur.

Saeculo XI.

1.° *Berengarius* Archidiaconus Andegavensis, negavit, panem, et vinum in Eucharistia converti in Corpus, et sanguinem Christi. Ipse tamen saepius damnatus, et ejurata haeresi, reversus ad vomitum, tandem poenitens, et Catholicus obiit.

2.° *Roscelinus*, *Petri Abaelardi* magister docuit, tres divinas personas substantia distinctas esse, non secus ac tres homines.

3.° *Michael Caerularius*, C. P. Patriarcha, confirmavit schisma Graecorum, affirmans, Spiritum Sanctum ex solo Patre procedere, et consecrationem Eucharistiae in azymo esse irritam.

4.° Prodierunt etiam hoc saeculo clerici concubinarii, et Simoniaci, qui non solum in his rebus peccabant, sed etiam eas defendebant ut licitas. Contra illos, longe lateque diffusos, acriter hoc saeculo decertatum est.

Saeculo XII.

1.° *Tanchelinus* se Dei Filium mentitus, omnis generis impurissimas libidines licitas esse, et verbo, et exemplo impudentissime praedicabat. Antuerpiae praesertim disseminavit haeresim, quae opera *S. Norberti* Episcopi extincta est.

2.° *Petrus de Bruis*, et *Henricus* ejus discipulus, ex quibus *Petrobrusiani*, et *Henriciani* dicti sunt, rejiciebant vetus Testamentum; docebant, baptismum ante usum rationis non esse ad ministrandum; cruces aliasque imagines confringebant, sacras aedes diruebant; psalmos, et quascumq. preces ore recitatas irridebant, rejiciebant sacrificium Missae, et sacerdotum consecrationem.

3.° *Bogomili*, Manichaeorum propago, praeter reliqua ejus sectae dogmata, affirmabant, daemones habitare in corporibus defunctorum, ideoque eorum ossa, et cineres extra Ecclesias projiciebant. Deo, quem Christiani colunt, maledicebant.

4.° *Petrus Abaelardus*, Peripateticae Philosophiae nimis addictus, eamque ad religionis Christianae mysteria pertractanda adhibens, in varios declinavit errores. A *S. Bernardo*, quem adversarium habuit acerrimum, accusatus est *Arianismi*, et *Pelagianismi*, et *Nestorianismi*.

5.° *Arnaldus Brixiensis*, quem postea secutus est *Marsilius Patavinus*, et *Joannes de Jamduno*, docuit, Clericos bona temporalia possidere non posse, multoque minus Episcopos jura regalia, et monachos agrorum, aut silvarum fundos.

6.° *Gilbertus Porretanus* Deum a Deitate, et divinas relationes *realiter* ab essentia distingui docuit.

7.° *Petrus Waldus* Lugdunensis, a quo *Waldenses*, qui et pauperes de Lugduno, et *Insabatati* (propter ligneos calceos, quibus utebantur) dicti sunt, Evangelicam, ut ipse ajebat, paupertatem professus, in haeresim incidit. Docuit nimirum, Ecclesiam Romanam jam inde a tempore *Silvestri* Papae defecisse, et Sacerdotes in peccatum lapsos irrite Sacramenta con-

conficere, ac ministrare; ea tamen a laicis piis rite, sive *valide* ministrari affirmabat. Ecclesiae Praesules, ritus, ceremonias, legesque spernebant Waldenses: cetera cum Catholicis sentiebant, licet postea Calvinianam haeresim amplexi sint.

8.° *Albigenses* ex civitate *Albia* provinciae Narbonensis, ubi plurimum invaluerant, quos Calvinistae perperam cum *Waldensibus* confundunt, ut in *Historia variationum* ostendit *Bossuet*, erant Manichaeorum sectatores, multaque, praeter Manichaeorum haeresim, docebant, quae turpe est et dicere. Ab his non multum abhorrebant *Apostolici*, contra quos scribit Bernardus *Serm. LXIV. in Cant.* Eodem tempore *Constantinus Chrysomalus* docuit, duas esse in homine animas, non exhibendum principibus honorem plusquam diabolo, et alia hujusmodi. *Folmarus* in Germania, Corpus Christi in Eucharistia integrum esse, negavit.

Saeculo XIII.

1.° Iidem *Albigenses*, de quibus paulo ante diximus, hoc saeculo late per Provinciam, et vicinas Italiae civitates vagati sunt. Eorum occasione institutus est ordo *Praedicatorum*, et *Inquisitio* contra haereticam pravitatem.

2.° *Almaricus* Gallus docuit, non futuram hominum generationem, si *Adam* innocentiae statum servasset; nihil aliud esse poenas inferni, nisi conscientiae vermem; in morte Christi cum Lege Moysis cessasse potestatem Patris, tempore ipsius *Almarici* cessasse potestatem, et legem Christi, et vigere legem Spiritus Sancti, ita ut, abolitis Sacramentis, ceterisque religionis officiis, sola interiori gratia homines salvi fiant; dummodo credant fide divina, se esse membra Christi, aliaque addebat ejusdem generis. Illius autem discipuli, eo mortuo, docuerunt, Eucharistiam nihil esse, nisi panem, et vinum; Romam esse Babylonem, et R. Pontificem Antichristum, cultum Sanctorum esse idololatriam etc.

3.° *David de Dinando* asservit, Deum esse materiam

riam primam, quod ad *Pantheismum* videtur pertinere.

4.° Fuerunt etiam hoc saeculo *Guilelminiani* in Bohemia, qui *Guilelminam* quandam impurissimam feminam esse ajebant Spiritum sanctum incarnatum, multaque turpia, atque infanda perpetrabant. *Stadingi* in finibus Saxoniae, qui sacros ministros necabant, sacra mysteria polluebant, Diabolum colebant, Deum execrabantur, aliaque docebant, et faciebant horribilia.

Saeculo XIV.

1.° *Fraticelli*, qui etiam *Beguardi*, *Beguini*, *Bizochi*, et *Fratres Spirituales* dicti sunt, e familia Fratrum minorum exorti, zelo majoris perfectionis, ut ajebant, et strictioris observantiae regulae S. *Francisci*, a reliquo ordine discedentes docuerunt, duas esse ecclesias, alteram carnalem, et divitiis affluentem, cui R. Pontfiex praeerat, alteram spiritalem, virtutibus, et paupertate decoram; quae ex ipsis constabat. Tum e *Waldensium* haeresi varia mutuati sunt, praesertim, ministros impios omnem amittere potestatem, advenisse Antichristum etc. hominem in hac vita ad summum perfectionis gradum posse pertingere, in quo amplius de lege, et virtutum exercitio non debeat esse sollicitus, et in clara Dei visione quiescat, nihilque ei jam tribuatur peccato. Praecipui inter eos fuerunt *Joannes Oliva*, *Joannes Parmensis* Auctor *Evangelii aeterni*, in quo multae continentur haereses, et absurda, *Michael Caesenas*, *Guillemus Okam etc.*

2.° *Flagellantes*, exorti primum superiori saeculo in Italia, ideo sic appellati, quod flagellis usque ad sanguinem se caedebant, in haeresim lapsi docuerunt, neminem salvum esse posse; nisi sectae suae dedisset nomen; sibique invicem, etsi laicis, confitebantur peccata, et absolutionem impertiebant.

3.° *Geraldus Segarellus* Parmensis, ejusque discipulus *Dulcinus* Novariensis, a quo *Dulcinistae*, docebant, Pontifices omnes post *Sylvestrum* seductores fuis-

fuisse, uno excepto *Caelestino V.* Ordines regulares fidei esse detrimento; perinde esse, Deum orare in stabulo, ac in Ecclesia; aliaque ejusmodi. Praeterea eodem saeculo *Circumcelliones* a veteribus Donatistis diversi, docebant, R. Pontificem, et omnes Ecclesiae Episcopos esse haereticos, nullamque habere Sacramentorum ministrandorum potestatem.

4.° *Turlupini*, omni pudore abjecto, nudi incedebant, ad omnem libidinem projecti, quam licitam esse docebant. E secta *Manichaeorum*, sive ut aliis placet, *Adamitarum* orti sunt. His similia *Hermannus Pongilupus* docuit, veterumque Gnosticorum infanda dogmata renovavit.

5.° *Palamitae*, duce *Gregorio Palama*, docebant, se in oratione conspicere divinum lumen ab aeternitate diffusum, quod ab essentia divina distinguebant. Dicti sunt etiam *Quiescentes* a quiete animi, quam in oratione se experiri jactabant.

6.° *Lolhardi* in Austria primum exorti, Luciferum, et rebelles Angelos laudabant; Michaelem, et sanctos Angelos afficiebant contumeliis: B. Virginem blasphemabant: salutem nomine diaboli adprecabantur: sacramenta, omnesque Ecclesiae ritus, jejunia, missam, cultumque sanctorum spernebant. Negabant, Deum cognoscere omnia, quae patrantur peccata, et alia impia, atque absurda praedicabant. Porro *Lolhardi* dicti sunt etiam sectatores *Joannis Wicleffi*, de quo mox.

7.° *Joannes Wicleffus* Anglus, a Praefectura Collegii cujusdam Oxoniensis depulsus, ira percitus, docuit, Romanam Ecclesiam esse Synagogam satanae, ideoque Decretalium auctoritatem contemnendam, studiumque abjiciendum; Monachorum institutionem, suadente diabolo, esse inventam; Confirmationem, et ordinationem Episcopos ex avaritia sibi reservasse; donationem bonorum Ecclesiis esse peccatum. His addebat, quae *Waldenses*, *Arnaldus Brixiensis*, *Marsilius Patavinus*, aliique docuerant. Docebat, substantiam panis, et vini in Eucharistia remanere, licet varie hac de re videatur locutus; et alia, quae in quadraginta quinque articulis damnata sunt in Concilio Constantiensi. Porro *Wicleffi* dogmata, librique,

late

late diffusi, magnam sequentibus saeculis Ecclesiae ruinam intulerunt.

8.° Fuerunt etiam hoc saeculo *Arnaldus* de *Villanova*, *Joannes de Mercuria*, *Raymundus Lullus*, *Echardus*, *Ceccus*, sive *Franciscus Asculanus*, *Joannes de Latone*, *Arnaldus Montanerius*, *Joannes de Montesono*, aliique, quorum varia feruntur errata.

Saeculo XV.

1.° *Joannes Hus*, et *Hieronymus Pragensis Wicleffi* doctrinam mordicus propugnarunt, et seditiose praedicarunt. Affirmabant, Ecclesiam ex solis constare praedestinatis; haereticos non posse tradi judicibus puniendos; neminem a praedicatione verbi Dei prohiberi posse. Trigintanovem hujusmodi propositiones a Concilio Constantiensi damnatae sunt. Ceterum de Eucharistia, confessione Sacramentali, invocatione sanctorum, Purgatorio etc. non videntur a Catholica Ecclesia dissensisse.

2.° Ex his prodierunt *Calixtini*, qui communionem sub utraque specie laicis omnibus necessariam esse ad salutem, affirmabant.

3.° *Guillelmus* de *Hildernissen*, et *Ægydius Cantor* sectam informarunt, quae dicta est *hominum intelligentiae*. Affirmabant, Diabolum, hominesque scelestos salvos fore; sparcissimas libidines esse licitas; orationes, jejunia, aliaque pietatis officia esse inutilia. Veterum vero *Adamitarum* errores suscitarunt *Picardus*, et *Adamus Pastoris*. Damnati etiam hoc saeculo sunt varii errores *Matthaei Grabon*, *Joannis Parvi*, *Petri Oxomensis*, *Augustini Romani etc.*

Saeculo XVI.

1.° *Martinus Lutherus*, Ordinis Augustiniani Apostata, et haereticorum hujus saeculi signifer, docuit, solam Scripturam esse fidei regulam, eamque privato cujusque spiritu explicandam: rejiciendam traditionem; Ecclesiam constare ex solis justis, ideoque esse invisibilem; Romanam Ecclesiam esse Babylonem,

nem, et R. Pontificem Antichristum; concupiscentiam esse peccatum, quae cum non deleatur in justificatione, addidit, justificatione peccata non deleri, sed tegi per applicationem justitiae Christi, apprehensae per fidem, qua quis certo credit, peccata sibi esse remissa; sacramenta eatenus prodesse, quatenus excitant fidem, a quocumque ministrentur; indulgentias, invocationes sanctorum, Missas privatas, jejunia, vota, aliaque religionis officia rejicienda. Ceterum longior est totius systematis Lutherani expositio, nosque passim de eo in variis Theologiae tractatibus diximus.

2.° *Zvinglius*, *Calvinus*, *Bucerus*, *OEcolampadius* in hoc à *Luthero* praecipue dissenserunt, quod praesentiam Christi *realem* in Eucharistia rejecerunt, unde *Sacramentarii* dicti sunt. Praeterea *Calvinus* Deum facit peccati auctorem, praedestinationem statuit ad mortem aeternam *ante praevisa peccata.*

3.° Cum omnium horum haereticorum commune dogma fuerit, solam Scripturam, privato cujusque spiritu intellectam, esse regulam fidei, hinc inter eos quot capita, fere tot sententiae, ac saepissime multis in capitibus doctrinam mutarunt, ut fuse *Bossuet* in *Historia variationum* exponit. Eorum autem Theologi singuli nova aliquot addiderunt, vel mutarunt. Praecipui fuerunt *Philippus Melanchton*, *Matthias Flaccus Illyricus*, *Andraeas Carlostadius*, *Joannes OEcolampadius*, *Martinus Bucerus*, *Bernardinus Ochinus*, *Petrus Martyr*, *Hieronymus Zanchius*, *Andraeas Osiander*, *Franciscus Stancarus*, *Wolfangus Musculus*, *Martinus Kemnitius*, *Joannes Brentius*, *Theodorus Baesa*, aliique.

4.° *Anabaptistae*, duce *Nicolao Storchio*, et *Thoma Muncero* ex secta Lutheranorum, docuerunt, pueros non esse baptizandos; et baptizatos, in adulta aetate rebaptizandos; illicitum esse omne juramentum; nefas esse Christianis gerere bellum, cum ipsis contra seditione, et caedibus Germaniam perturbaverint.

5.° *Arminiani*, duce *Jacobo Arminio*, negarunt praedestinationem; omniaque pendere voluerunt a libera hominum electione, unde Semipelagianorum dogma re-

recoxerunt. Eis adhaeserunt sequenti saeculo *Hugo Grotius*, *Simon Episcopius*, *Stephanus Curcellaeus*, *Philippus Limborchius*, *Joannes Clericus*. Contra eos pugnarunt *Gomaristae*, duce *Francisco Gomaro*, qui Calvinianae praedestinationis decretum defendunt.

6.° Sociniani, ducibus *Michaele Serveto* Hispano, qui Genevae, agente *Calvino*, vivus combustus est; *Georgio Blandrata*, *Laelio Socino*, et *Fausto Socino* Italis, qui sectae nomen dederunt; universa fere religionis Christianae dogmata corruperunt, novumque systema, quod potius *Naturalismum* dixeris, informarunt, veteres haereses recoquendo. Nimirum cum *Arianis*, *Macedonianis*, *Sabellianis*, *Photinianis* etc. negarunt Trinitatis mysterium, unde *Anti-Trinitarii* dicti sunt. Affirmarunt, Christum esse merum hominem, nullamque pro peccatis Deo obtulisse satisfactionem, aut sacrificium: nullum esse peccatum originale: non futuram corporum resurrectionem: Sacramenta nullam habere virtutem: Eucharistiam meram esse ceremoniam etc. Quibus addiderunt reliqua Lutheranorum, et Calvinistarum deliria contra Romanam Ecclesiam, ejusque dogmata, ritus, et praecepta. In Polonia praesertim, et Transylvania invaluerunt.

7.° *Guillelmus Postellus* varia edidit opera pluribus haeresibus, et erroribus plena, *De trinitate mundi*, *Corporis*, *et animarum*, *De salvandis omnibus hominum sectis*, *De clave absconditorum a saeculo, quae nec Apostoli, nec Ecclesia portare potuisset*, De mysteriis sibi revelatis ab Angelo *Raziele etc.* Sed tandem ejuratis erroribus, poenitens mortuus est.

Saeculo XVII. et *XVIII.*

1.° *Quietistae*, duce *Michaele Molinos* Hispano, docuerunt, statum perfectionis in eo esse situm, ut ad quietem, imo ad nihilum redigantur omnes animae *potentiae*, ita ut ipsa nihil agat; spem, timorem, omnemque salutis sollicitudinem, et virtutum actus abjiciat, nec amplius contra tentationes pugnet, quae in inferiori animae parte insurgant. Multa hujus-

jusmodi addebant ex *Beguardorum* fontibus hausta.

2.° *Baji*, *Jansenii*, et *Quesnelli* opera quantas in Europa excitaverint turbas, notissimum est, nosque *Lib. VII.* eorum systemata exponemus.

3.° Magna vero hisce saeculis errorum colluvies grassata est. *Quakeri* in Anglia, *Illuminati* in Hispania, *Massones* in universa fere Europa monstrosas informarunt haereses, et periculosas societates, et conventicula. Opera vero *Benedicti Spinozae*, *Petri Baelii*, *Joannis Lokii*, *Helvetii*, *Volterii*, *Roussoji*, aliorumque ejusdem farinae hominum, integrum adgressa sunt Religionis Christianae aedificium labefactare. Quapropter oremus Deum, et patrem Domini nostri Jesu Christi, ut in fide nos faciat stabiles, eosque, qui erraverunt, et errant, in rectam salutis viam, et Ecclesiae sinum revocet, ac reducat. Amen.

LIBER III.

SEU TRACTATUS DE DEO UNO.

Praefatio.

In superioribus libris Theologiae fundamenta jecimus. Nunc de primario ejus *objecto*, quod Deus est, non profanae eruditionis, aut humanae Philosophiae lumine, sed ipso duce, et adjutore Deo disserendum est, qui arcana sapientiae suae abscondit a sapientibus, et prudentibus, et revelavit ea parvulis *Matthaei XI.*, 25. Tria autem summa Capita sunt hujus tractatus, scilicet de existentia unius Dei, ejusque essentia, et attributis.

CAP. I.

De existentia, et unitate Dei.

Adv. I. Quoniam tirones habemus jam edoctos ea, quae Metaphysici demonstrant de existentia Dei, idcirco erimus in hac parte breviores.

II. Athei alii sunt *theoretici*, alii *practici*. Theoretici sunt, qui revera sibi persuadent, nullum esse Deum: practici vero, qui ita scelerate vivunt, quasi nullus esset Deus malorum vindex.

III. Multos esse atheos practicos, experientia docet, et testatur Psalmista. *Ps. XIII. Dixit insipiens in corde suo : non est Deus; Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt.* Utrum vero etiam athei theoretici unquam fuerint, aut hodie sint, ambigitur. Inter veteres multi hac infamia laborarunt, sed constat, nonnullos, non quidem veri Dei, sed falsorum numinum negasse existentiam, ut probant Justinus *In Apolog. I.* Clemens Alex. *In Protreptico*, aliique: unde primis Ecclesiae saeculis Christiani ab idolorum cul-

cultoribus vocabantur athei. Difficilius tamen excusantur ab hoc crimine *Protagoras Abderitanus*, *Diagoras Melius*, *Theodorus Cyrenaicus*, *Evemerus*, de quibus Cicero *Lib. I. de nat. Deor.* Plutarchus *de placit. Philosoph.* Laërtius *de Vit. Philos.* Eusebius *in Praepar. Evang.* Arnobius *contra Gen.* aliique: videntur enim isti, omne numen sustulisse; idque solum dubitari potest, an id dixerint ex animi sententia. Certe eos defendunt *Clemens Alex. Ibid.* Muretus *Lib. X. Var. lection.* Nourry *Apparat. ad Bibl. PP. Lib. I.* Jaquelotius *cont. Baylium.* Videamus ergo 1.° utrum existentia Dei demonstrari possit; 2.° utrum possit a quoquam invincibiliter ignorari; 3.° utrum sit fidei dogma; 4.° utrum ostendi possit, nonnisi unum esse Deum.

§. I.

Utrum Dei existentia demonstrari possit.

Adv. I. Demonstratio alia est *a priori*, sive per causam, alia *a posteriori*, sive per effectus. Constat, Dei existentiam non posse demonstrari a priori, sive per causam, cum Deus a nulla caussa pendeat. Sociniani plures post *Socinum*, *Praelect. Cap.* 2. negant, Dei existentiam ullo modo, etiam a posteriori, demonstrari posse. Eos sequuntur, qui vulgo *Spiritus fortes* dicuntur, sed revera maxime imbecilles sunt, et passionum, vitiorumque omnium servi.

PROPOSITIO I.

Dei existentia potest a posteriori demonstrari.

Prob. I. ex Scriptura. *Job. XII.* 7. *Interroga jumenta, et docebunt te.* Ps. XVIII. *Caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Sap. XIII. 1. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex . . . . A magnitudine enim speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit creator ho-*

horum videri. Rom. I. 20. *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas, ita ut sint inexcusabiles.* Ergo etc.

Prob. II. Existentia causae demonstrari potest ab effectu, qui ab illa necessario pendet. Atqui sunt effectus, nempe creaturae, quae non existunt a se, ac proinde necessario pendent a causa, quae a se existit, nempe Deo. Ergo.

Dices. Nulla inter finitum, atque infinitum proportio est. Atqui omnes, quos videmus, naturae effectus finiti sunt. Ergo ex iis ens infinitum demonstrari non potest.

℟. 1.° *Dist. maj.* Nulla est proportio naturae, sive ut ajunt, *entitatis*, *conc.* Nulla est proportio habitudinis, quae inter effectum, et causam intercedit, *neg.*

℟. 2.° *Dist. min.* Omnes naturae effectus finiti sunt, si spectetur tantummodo eorum natura, *conc.* Si spectetur eorum productio ex nihilo, *neg.* Licet enim finita sint, quae videmus, eorum tamen productio ex nihilo opus est infinitae virtutis, ideoque causam arguit infinitam.

PROPOSITIO II.

Dei existentia demonstrari potest argumentis metaphysicis, physicis, et moralibus.

Prob. Indicando breviter argumenta illa, quae fusius in metaphysica pertractata sunt.

Argumenta metaphysica.

I. Existit aliquid. Hoc negari non potest; si enim cum *Idealistis* negare quis velit ceterarum rerum existentiam, tamen sui ipsius existentiam, nisi sit amens, negare non poterit. Ergo existit aliquod *ens* ab aeterno, quod ab alio non pendeat; alioquin *ens*, quod nunc existit, prodiisset ex nihilo sine ulla caussa, quod repugnat. *Atqui ens* ab aeterno existens, minime-

neque ab alio pendens, Deus est; nam *ens* ejusmodi existit a se, hoc est in sua ipsius natura rationem habet sufficientem suae existentiae, ac proinde est *ens* necessarium, ideoque infinitum, cum nullum *ens* finitum excogitari possit, quod sit necessarium. Ergo etc. Illustrant hoc argumentum *Clarkius*, *Cudwortus* etc.

II. Omnibus hominibus ab ipsa natura ingenitam esse Dei ideam, Patres docent, et ratio suadet. *Animae enim a primordio conscientia Dei dos est*, inquit Tertullianus *Lib. I. cont. Marcion. cap.* 10. Unde Arnobius *Lib. I. cont. Gentes: Quisquamne est hominum*, inquit, *qui non cum illius principii cognitione diem primae nativitatis intraverit? cui non sit ingenitum, non affixum, imo ipsi pene in genitalibus matris non impressum, non insitum, esse regem, ac dominum cunctorum, quaecumque sunt, moderatorem* (a)? Primus id negasse videtur Socinus *in praelect. Theol. Cap. II.* quem secuti sunt Worstius *in Not. ad disp. de Deo*, et Episcopius *Instit. Lib. I. Cap.* 3. in quorum sententiam miror descendisse quosdam e nostris recentioribus Philosophis, post *Joan. Lokium*, qui ipsam Dei ideam volunt esse adventitiam, sive ortam a rerum sensibilium contemplatione. Atqui quod est ab ipsa natura insitum, falsum esse non potest. Ergo etc. Tractat hoc argumentum *Cartesius in Meditationibus*. Sed demus, ideam Dei esse adventitiam, certe omnes homines ita a natura comparati sunt, ut statim eam ex rerum visibilium contemplatione concipiant. Cum ergo natura ipsa in falsum inclinare non possit, sequitur, veram esse Dei ideam, quae vel insita est, vel ad quam inclinat, et quodammodo cogit animum ipsa natura.

III. Idipsum Metaphysici demonstrant ex ente contin-

(a) Adde *Justinum* Apolog. II. Clementem Alex. *in Protrept.* Nyssenum Orat. V. *Cyprianum de vanit. idol* Lactantium Lib. II. Instit. Cap. I. Consentiunt ipsi Gentiles Philosophi; *Cicero*; *Plato*, *Plotinus*, *Iamblicus* etc.

tingente, ex idea bonitatis, et veritatis, ex conjunctione animi, et corporis in homine.

Argumenta Physica.

Physica argumenta petuntur 1.° ex admirabili totius universi mole, dispositione, atque ordine: *Quid enim*, inquit Cicero *Lib. II. de Nat. Deor. esse potest tam apertum, tamque perspicuum, cum caelum suspeximus, caelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod Numen praestantissimae mentis, quo haec regantur? . . . quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit.*

2.° Ex admirabili structura singularum partium universi, in quibus tam stupendus est *mechanismus*, tamque apte singula suis finibus respondent, ut manifestae insaniae sit dubitare, utrum illa a sapientissimo artifice sint composita. Hinc *Caesar Vaninus* atheismi accusatus, ut judices falleret, stipulam manu accipiens, *haec*, inquit, *palea jubet, ut Deum credam*; ut refert testis oculatus Grammondus *Hist. Galliae Lib. III.* quo testimonio exsufflantur omnia *Petri Baylii* mendacia, qui impiissimi istius athei nescio quam animi fortitudinem saepe commendat. Hoc argumentum, ex admirabili structura partium Universi petitum, egregie tractant *Niewentitius*, et *Derham*, quibus addi potest etiam P. *Segneri* (*a*).

3.° Ex motu. Cum enim materia ad motum, et quietem sit *indifferens*, profecto quidquid movetur, ab alio moveatur necesse est. Ergo agnosci debet primus motor immotus, mens scilicet infinitae potentiae, et sapientiae, quae talem, tantumque motum materiae impresserit, qui ad hoc universum formandum, et conservandum esset necessarius. Physica

(a) Nievventit. *Traité de l'existence de Dieu*. Derham *Theologie Physique*. Segneri. *L'incredulo senza scusa*.

ea haec argumenta passim adhibent Patres (*a*), et veteres Philosophi.

Argumenta moralia.

Ex consensu omnium gentium morale argumentum deducitur pro Dei existentia. Ait enim Plutarchus, *Lib. cont. Coloten. Si terram peragraveris, invenies quidem civitates sine muris, sine litteris, sine rege, sine tectis, sine divitiis, sine monetis, sine theatris, sine gymnasiis. Sed civitatem sine templis, sine Deo, sine precibus, sine juramentis, sine oraculis, et quae sacrificia non offerat, ut bona consequatur, malaque avertat, nemo est, neque fuit umquam, qui viderit.* Idem docet Cicero *Lib.I. de Legibus Cap.*8. *et alibi*, aliique veteres Philosophi, Historici, et Poëtae (*b*). Neque audiendi sunt *Lokius*, et *Baylius*, qui aliquas Africae, et Americae gentes sine religione repertas asserunt, ut Cafros, Hüttentottos, Canarienses, Caraibas, Brasilienses, et silvestres homines Virginiae, Floridae, et Canadae. Constat enim, eos alicujus numinis notitiam, et religionem habuisse, ex testimonio virorum utique doctissimorum, qui eas gentes propius, et diligentius observarunt. Vide haec testimonia erudite collecta apud P. Moniliam *Lib. Contra Fatalistas in Praef.* et Patutium *De futuro impiorum statu cap.* 9. (*c*). Stat igitur, Dei existentiam communi omnium gentium consensione firmari, si paucos excipias atheos (si modo sint) hac illac dispersos, quasi a natura ha-

(a) Athanasius *Lib. cont. Gent.* Nazianzenus *Orat. XXXVI.* Justinus, sive Auctor *Quaest Graec.* Damascenus *Lib.* 1. *De fide Cap.* 3. Augustinus *Lib. X. Confession. Cap.* 6. *et Lib. VIII. de Civ Cap.* 6. *et al.* Tertullianus *cont. Marcion.* Basilius *Orat. in illud Ap Attende tibi.* Dio Chrysost. Epictetus, Simplicius, Proclus etc.

(b) V. Jacquelot *Traité de l'existence de Dieu.* Grotium *De J. B. et P. Lib. I. Cap. I.*

(c) V. et Fabricium *Apolog. pro gen. hum. contra calumn. atheismi. La Croze Entret sur divers sujets d'histoire, Volfium de atheism. falt. susp.*

humana degeneres. Atqui *omni in re consensio omnium gentium vox naturae putanda est*, ut bene advertit Cicero *Lib. I. Tuscul. Cap.* 13. Nam haec universalis, et perpetua apud omnes homines persuasio nec praejudiciis, nec calliditati legislatorum tribui potest. Ergo etc.

II. Omnes homines legem naturalem, tamquam cordibus insculptam gerunt; ita ut nullius magisterio edocti, quaedam bona, quaedam mala esse noscant, imo et post male facta conscientiae stimulis agitentur, et supremum malorum vindicem timeant. Atqui haec notitia nonnisi ab ipsa natura oriri potest. Ergo.

Dices. Si ponamus, Mundum extitisse ab aeterno, qualis nunc cernitur, atque in eo homines, animalia, plantas perpetuis generationibus sibi invicem succedentia, jam corruent argumenta omnia metaphysica, physica, et moralia, quibus Dei adstruitur existentia. Atqui talem ab aeterno fuisse mundum, nihil habet absurdum. Ergo.

℟. *Neg. min.* Si enim mundus ab aeterno est, est utique a se ipso, atque adeo ens necessarium, immutabile, et in omni genere infinitum, et summe perfectum, ideoque Deus. Sed hoc ineptum est, et absurdum. Mundus enim corpus est; corpus autem mutabile, iners, in uno tantum genere perfectum, scilicet extensione, ac mobilitate, ceterum omnes spiritales perfectiones, intellectum, voluntatem etc. respnens. Sed argumenta superius explicata probant, esse ab aeterno mentem necessariam, infinitam etc. Accedit, quod in generationibus, sicut et in quocumque motu, absurdus est processus in infinitum; sed semper ad primam aliquam caussam deveniendum est, a qua motus inceperit, ut evidenter ostendit S. Thomas *Lib. 1. cont. Gent. Cap.* 13.

Inst. 1.° Licet mundus in singulis seorsim partibus mutabilis sit, et in pluribus etiam partibus iners, et cogitationis expers; non repugnat tamen ponere, totum simul mundum esse immutabilem, et duabus simul proprietatibus praeditum, extensione, et cogitatione; ita ut omnes ejus partes, omnesque motus,

et

et ipsae mentis nostrae cogitationes sint quaedam *modificationes* unius, et summi *entis*, quae quidem est opinio *Spinozae*, multorumque veterum philosophorum. Ergo.

R. *Neg. ant.* Etenim 1.° repugnat, ex partibus natura mutabilibus fieri totum immutabile; cum in proprietatibus *essentialibus*, quod partibus omnibus convenit, idem toti necessario conveniat. 2.° Repugnat, unam, eandemque substantiam extensione, et cogitatione esse praeditam; quae duae proprietates sese mutuo excludunt; ut Metaphysici demonstrant. 3.° Repugnat, omnes universi motus esse modificationes summi Entis; inde enim fieret, ut omnia mala physica, et moralia essent modificationes entis summe perfecti, quo quid fingi potest absurdius?

Inst. 2.° Sicut repugnat, uni substantiae extensionem, et cogitationem convenire, ita repugnat, mundum creatum esse ex nihilo. Ergo cum utrinque sint ambages, satius est hac de re dubitare cum Scepticis.

Resp. Neg. ant. Posito enim ente necessario, intelligente, atque omnipotente, jam non repugnat creatio mundi ex nihilo, ut *Lib. V.* demonstrabimus; aliud enim est, idem simul esse, et non esse, quod repugnat; aliud vero, ut quod non erat, esse incipiat.

Reliquas atheorum objectiones, in metaphysica jam solutas, omittimus.

Scholion.

Quaerunt hic Scholastici, utrum haec propositio: *Deus est*; sit *per se nota*. Propositionem autem per se notam vocant eam, in qua *praedicatum* pertinet ad ipsam *essentiam subjecti*, ut haec propositio; *homo est rationalis*. Sed rursus propositionem per se notam dividunt in propositionem per se notam *quoad se* et *quoad nos*. Illam vocant, in qua praedicatum pertinet quidem ad essentiam subjecti, sed hoc a nobis non statim cognoscitur: (quidquid sit de hoc loquendi modo; nam illud est notum quod cognoscitur)

hanc vero dicunt esse, in qua nos ex sola nominum notione cognoscimus, praedicatum subjecto convenire, ut est haec propositio: *totum est majus sua parte.*

His explicatis, omnes fatentur, hanc propositionem: *Deus est*; esse *per se notam quoad se*, cum existentia ad essentiam Dei pertineat; sed utrum sit etiam *quoad nos per se nota*, disputatur. Doctissimus *Estius in I. Dist. III.* §. 4. cum pluribus Thomistis negat, alii affirmant. Nobis *Estii* sententia magis placet; quae est etiam S. Thomae *I. P. Q. II. art.* 1.; non enim est per se notum quoad nos, quod demonstratur per *media*, ab ipsis *terminis* distincta; sicut demonstratur Dei existentia per effectus, nempe per creaturas. Fatemur tamen, Dei existentiam esse per se notam quoad nos, si idea Dei intelligatur confuse sub ratione beatitudinis, bonitatis, et veritatis in communi.

Dices: Idea entis summe perfecti necessario existentiam includit, quae est maxima perfectio, et fundamentum aliarum . . . ℟. *Dist.* includit existentiam *idealem*, *conc. realem*, *neg.* Hoc est, si cogitas ens summe perfectum, debes illud cogitare ut existens; sed adhuc probare debes, ens hoc summe perfectum, de quo cogitas, revera existere extra mentem, nec esse unam ex ideis, quas mens fingit, nec usquam extra mentem existunt.

§. II.

Utrum Dei existentia possit invincibiliter ignorari.

Adv. I. *Invincibiliter* ignorari dicitur, quod nullo studio, nulla diligentia sciri ne probabiliter quidem potest, nec debet; ut fusius dicemus in Tractatu de Actibus humanis.

II. *Molina*, et *Poncius* asseruerunt, posse hominem in toto vitae suae cursu invincibiliter ignorare Deum. Alii docuerunt, hanc ignorantiam in aliquo esse posse saltem ad breve tempus.

PRO-

PROPOSITIO

Dei existentia a nemine potest etiam brevi tempore invincibiliter ignorari.

Prob. Illud non potest invincibiliter ignorari, quod ex principiis lumine naturae notis, ratiocinio facili, ab hominibus etiam rudioribus deducitur. Atqui talis est existentia Dei. Si enim homo utcumque rudis videns aedificium, aut aliud opus affabre elaboratum, in quo singulae partes suo fini respondent, statim cognoscit, illud a sapiente artifice fuisse compositum; quanto magis videns admirabilem totius universi structuram; atque ordinem, statim concludet, esse Deum, a quo haec omnia producta, et ordinata sunt? Hinc Apostolus *Rom. I.* vocat *inexcusabiles* eos, *qui non probaverunt Deum habere in notitia.*

Prob. II. ex PP. Gregorius M. *Lib. XVII. Moral. cap.* 13. *Omnis homo*, inquit, *ex ipso, quod rationalis est conditus, debet ex ratione colligere, eum, qui se condidit, Deum esse.* Damascenus *Lib. I. Orthod. Fid. cap.* 1. *Notitia Dei omnibus a natura est insita, neque id aliquis ratione utens ignorare potest.* Ergo.

Corollaria.

I. Ergo si qui sunt qui Deum ignorare videantur, in iis ignorantia haec est potius impia quaedam oblivio, et attentionis defectus, qui ex morum improbitate, atque animo vitiorum sordibus excaecato, proficiscitur.

II. Merito damnata est ab Alexandro VIII. propositio illa. *Peccatum philosophicum, quantumvis grave, in eo, qui vel ignorat Deum, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.*

Objic. Puer in silvis, vel quod pejus est, inter barbaros, silvestres, et atheos homines educatus, postquam ad usum rationis pervenit, aliquo temporis spa-

tio indiget, ut harum vocum; *Deus, existit*, notionem comparet. Ergo illo saltem tempore potest invincibiliter ignorare Deum.

℟. *Dist. ant.* ut comparet hanc notionem sub ratione propria, et distincta *Deitatis*, *conc.* sub ratione confusa primae causae, *neg.* Hoc autem sufficit, ut ignorantia non sit invincibilis.

Inst. Etsi puer ille in primo rationis usu habeat Dei distinctam ideam, tamen aliquo tempore indiget, ut ex creaturis colligat, illum existere. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Tam clarum enim est conscientiae testimonium, tam necessaria connexio creaturae cum creatore, sive effectus cum causa, ut ne momento quidem temporis possit aliquis carere saltem confusa quadam notitia Dei, si non demonstratione exquisita, at saltem probabili, et conjecturali, quae sufficit, ut ignorantia invincibilis non sit. Quod si quis voluntarie vitiis, et sceleribus immergatur, ideoque non attendat ad conscientiae, et creaturarum testimonium, jam culpa sua est.

§. III.

Utrum Dei existentia sit fidei objectum.

Adv. Cum Dei existentiam naturali lumine cognosci posse, imo invincibiliter ignorari non posse, supra docuerimus, merito quaeritur, utrum illa ad fidem pertineat; Fides enim est *non apparentium Heb. XI.* 1. Et Thomistae quidem docent, Dei notitiam non esse dogma fidei, sed *praeambulam* fidei in iis, qui sciunt demonstrationes naturales, quibus Dei existentia evincitur. Estius vero *In I. Dist. III.* §. 3. sapienter distinguit in fide certitudinem, et obscuritatem. Si ergo fides ita intelligatur, quatenus utrumque complectitur, fatetur, Dei existentiam non esse *objectum* fidei in iis, qui naturales tenent demonstrationes. Si vero intelligatur *inadaequate* pro sola certitudine objecti, docet, esse objectum fidei in omnibus, sive teneant, sive non teneant demonstrationes naturales; cumque objecti certitudo sit, quae prae-

ci-

cipue attenditur in fide, absolute dicendum esse affirmat, existentiam Dei esse objectum fidei.

PROPOSITIO I.

In iis, qui non capiunt naturales demonstrationes, Dei existentia est objectum fidei.

Prob. I. Apostolus *Heb. XI.* 6. ait; *accedentem ad Deum oportet credere, quia est*. Atqui si hoc non esset verum saltem in iis, qui demonstrationem non capiunt, falsum esset omnino. Ergo.

Prob. II. In iis, qui demonstrationem non capiunt, nihil obstat, quominus existentia Dei sit objectum fidei; possunt enim illi habere hujus objecti certitudinem, et obscuritatem. Ergo.

Dices. Fides est eorum, quae revelavit Deus. Ergo ante fidem supponenda est notitia existentiae Dei, qui revelavit; ac proinde haec notitia ad fidem non pertinet.

℟. *Neg. cons.* Sicut enim Sol est causa, cur videatur lumen, et alia corpora per lumen illustrata, ita fides est causa, cur cognoscatur Deus, et alia a Deo revelata.

PROPOSITIO II.

Si fides intelligatur prout duo simul complectitur, scilicet certitudinem, et obscuritatem; existentia Dei non est objectum fidei in iis, qui naturales tenent demonstrationes.

Prob. Non potest idem simul esse, et non esse: simul esse evidens, et non evidens. Atqui demonstratio naturalis efficit, ut existentia Dei sit evidens; ergo non potest illa per fidem esse obscura in homine, in quo per demonstrationem naturalem est evidens. Id tamen hoc sensu intelligimus, atque hoc sensu verum esse putamus quod docent vulgo Philosophi, scientiam, fidem, et opinionem non posse simul esse in eodem subjecto de eadem re: si scilicet scien-

scientia, et fides sumantur ambo *quoad habitum*, vel ambo *quoad actum*; nam nihil videtur obstare, quominus in eodem subjecto de eadem re, sit habitus scientiae, et actus fidei, vel contra: ac proinde in eo, qui habitu novit demonstrationem existentiae Dei, sit de eadem re actus fidei.

PROPOSITIO III.

Si fides intelligatur de sola objecti certitudine, innixa divinae revelationi; Dei existentia est objectum fidei omnibus hominibus; ac proinde absolute dici potest, existentiam Dei esse objectum fidei respectu omnium.

Prob. 1.° *pars.* I. Apostolus absolute *loc. cit.* de omnibus dicit: *accedentem ad Deum oportet credere quia est.* 2.° Ecclesia ab omnibus Christianis, quantumvis doctis, et ingeniosis, ad Baptismum venientibus, exigit fidem de Dei existentia; eisque recitandum, discendum, et credendum proponit symbolum, in quo primus articulus est: *Credo in Deum.* Ergo.

Prob. II. Si fides existentiae Dei exigeretur ab iis tantum, qui demonstrationem non capiunt, varia sequerentur absurda. Sequeretur enim 1.° Philosophum, ad Christianam religionem accedentem, minori certitudine cognoscere Dei existentiam, quam fidelem indoctum; ille enim eam cognosceret ex ratione, hic ex fide, quae est certior ratione, quia innititur firmiori momento. 2.° sequeretur, eum, qui existentiam Dei jam credidit ex fide antequam demonstrationem intelligeret, si postea intelligat etiam demonstrationem, amittere eam certitudinem, quam prius habebat, eamque cum minori certitudine commutare. Ergo.

Prob. III. Licet demonstratio existentiae Dei eam efficiat certam, et evidentem; constat tamen, eam certitudinem, et evidentiam posse adhuc augeri, quia non tanta est, quanta erit in patria per visionem. Sicut ergo per visionem augetur certitudo, et evidentia scientiae, non destructa ipsa scientia, ita per

per fidem augetur certitudo ipsius scientiae, licet non augeatur evidentia, nec per majorem illam certitudinem evidentia scientiae destruitur.

Prob. 2.ª *pars.* Obscuritas, quae est in rebus fidei subjectis, non producitur ab ipsa fide, sed ab imbecillitate mentis humanae, non valentis percipere rationes rei revelatae; ac proinde considerari potest, ut *accidens* ipsius fidei, certitudo vero, ut *essentialis.* Cum ergo omnibus fidelibus insit certitudo fidei de Dei existentia; ex accidenti autem fiat; ut in quibusdam haec certitudo conjuncta sit cum obscuritate, in aliis cum evidentia; absolute dici debet, existentiam Dei esse objectum fidei. De rebus enim loquimur secundum ea, quae sunt ipsis *essentialia*; non secundum *accidentalia.*

§. IV.

Unus tantum existit Deus.

Adv. Dei unitatem oppugnarunt 1.ª Gentiles, ideo Polytheistae appellati, qui *creaturae servientes potius, quam Creatori*, ut loquitur Apostolus *Rom. I.* 25. res innumeras, etiam brutas, et irrationales, imo ipsa hominum vitia pro Diis habuerunt. 2.° Simoniani, Marcionitae, et Manichaei, duo rerum principia statuentes, bonum, et malum. Quorum historiam haereticorum erudite prosequitur *Joan. Christophorus Wolphius in libro De Manichaeismo ante Manichaeos.* 3.° Tritheitae IV. saeculo, qui, duce *Joanne Philopono*, tres SS. Trinitatis personas tres esse Deo asserebant, qua in re iis praeiverant aliquot obscuri nominis haeretici vetustioribus saeculis.

PROPOSITIO.

Unus tantum existit Deus. Est dogma fidei.

Prob. I. ex Scriptura. *Deuteron. VI.* 4. *Audi Israel: Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Et *ib. XXXII.* 39. *Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus prae-*

praeter me? Psalm. XVII. *Quis Deus praeter Dominum, aut quis Deus praeter Deum nostrum?* Et Joan. XVII. 3. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum verum Deum.* Et Ephes. IV. 6. *Unus Deus et pater omnium, qui est super omnes.* Ergo etc.

Prob. II. ex PP. praesertim priorum saeculorum, qui scribentes contra Gentiles, potius polytheismum, quam atheismum impugnarunt, ut *Athenagoras*, *Justinus*, *Minucius Felix*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Arnobius*, *Lactantius*, *Eusebius*, *Clemens Alex.* *Augustinus*, et alii (a). Eorum loca vide apud Petavium *Lib. I. cap.* 3.

Prob. III. *ratione.* 1.° Si plures essent Dii, omnes deberent esse a seipsis, ac proinde omnes deberent in hoc genere convenire, distingui vero a se invicem per differentias vel *specificas*, vel *individuas*. Atqui hoc posito, alter non haberet perfectiones alterius, ideoque non esset ens perfectissimum, et summe bonum, ut patet. Ergo si plures fingerentur Dii, nullus esset Deus. Recte Tertullianus *Lib. I. cont. Marc. cap.* 3. *Deus* inquit, *si non unus est, non est.*

Idem probatur 2.° ex consensu Gentilium Philosophorum, qui licet exterius falsam populi religionem sequerentur, et *veritatem Dei in injustitia detinerent* Rom. I. 18. tamen unum esse Deum fatebantur. Eorum plura testimonia videre est apud Athenagoram, aliosque supra commemoratos (b); 3.° ex ipso ordine, et structura universi, in quo ita omnia secum apta sunt, atque ad unum finem composita, ut nonnisi ab uno Deo condi, regique potuerint, ut evi-

den-

(a) Athenagoras *Legat. pro Chist.* Justinus, vel quivis auctor *Cohort ad Graec. et Lib. de Monarchia*, Minucius *in Octavio*, Tertullianus *in Apolog* et *Lib. de testim. anim.* Cyprianus *Lib. de Idolor. vanit.* Arnobius *Lib. II. cont. Gent.* Lactant. *Lib. I Instit.* et *Lib. De ira Dei*, Clemens Alex. *in Protrept. et Lib VII. Strom*, Euseb. *Lib. XIII. De Praep. Evang.* Augustinus *Lib. 6. De Civ.* Cyrillus Alex. *Lib. I. cont. Julian.* Athanasius *Lib. cont. Gent. etc.*

(b) *Vid. Huetium in Alnetanis Lib. II. Cap* 2. et Pfannerum *in System. Theologiae Gentil. Purioris Cap.* 2. § 9.

denter ostendunt Minucius Felix *in Octavio*, et Athanasius *Lib. cont. Gentiles*; 4° ex ipso conscientiae testimonio. Ipsi enim Gentiles in rebus adversis non falsa numina, sed unum Deum invocare consueverunt (a): o *Deus*, o *bone Deus* etc. quod *Tertullianus* appellat *testimonium animae naturaliter Christianae Apolog. cap. XVII.* Imo plerique inter immensam inanium Deorum turbam unum quendam supremum cognovere Deum, quem fortasse ab Hebraeo nomine *Jehova*, Jovem appellarunt. *Vide S. Thomam Lib. I. Cont. Gent. et P. I. Summae.*

Porro contra Manichaeos speciatim evincitur, praeter unum Deum summe bonum, non posse alium excogitari summe malum. Nam 1.° malum est boni privatio, ac proinde summum malum est privatio cujuscumque boni, ideoque nihil est; si enim est, jam aliquid habet boni, ipsam nempe existentiam. 2.° Si duos fingamus Deos, bonum, et malum; cum sint ambo infiniti; propter aequalem, et contrariam utriusque vim, vel neuter quidquam posset efficere, ideoque nec esset omnipotens, nec Deus; vel si alter, altero invito, potestatem suam in alterius opera exerceret, uterque imbecillus esset, ideoque nec esset Deus; Ergo etc. Vide haec fusius apud Natalem Alex. *Hist. Eccl. Saec. II. Dissert. XVI.*

Solvuntur objecta.

Objic. I. Psalm. LXXXI. Deus stetit in Synagoga Deorum. Et Apostolus *I. Cor VIII.* 5. *Siquidem*, inquit, *sunt Dii multi, et Domini multi.* Ergo etc.
R̸. *Neg.*

(a) Etiam de Atheis, qui se forticulos praebere satagunt, ita canit ipse Lucretius *Lib. III.*

. . . . . Multoque in rebus acerbis
Acrius advertunt animos ad Religionem.
Quo magis in dubiis hominem spectare periclis
Convenit, adversisque in rebus noscere qui sit.
Nam verae voces tum demum pectore ab imo
Eliciuntur, et eripitur persona, manet res.

℞. *Neg. cons.* In Psalmis enim, aliisque Scripturae locis Dii appellantur homines, in quibus divina potestas elucet. *Ego dixi Dii estis, et filii Excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini.* Apostolus vero loquitur de falsa Gentilium opinione; ait enim; *Sunt qui dicuntur Dii, sive in caelo, sive in terra; siquidem sunt Dii multi, et Domini multi; nobis autem unus est Deus.*

Inst. Scriptura Deos gentium agnoscit, ut veros dominos earum regionum, in quibus colebantur. Ait enim *Jephte* Ammonitis *Judic. XI.* 24. *Nonne ea, quae possidet Chamos Deus tuus, tibi jure debentur? Quae autem Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem.* Ergo etc.

℞. *Neg. ant.* Verba enim *Jephte* dicta sunt *ad hominem* contra Ammonitas, qui falsa Gentilium opinione putabant, unicuique genti peculiarem praeesse Deum. Ex quo principio, licet falso, sed ab adversariis recepto, recte arguit *Jephte*: Sicut vos defenditis regiones vestras, quas dicitis a *Chamos* possideri, ita nos defendimus regiones, quas nobis Deus noster jure belli per admirabiles victorias concessit, quasque tot annorum possessione praescripsimus.

Objic. II. Negari non potest, multa esse in mundo mala. Ergo agnoscendum est primum aliquod mali principium; quod cum non possit esse Deus bonus, duo rerum principia ponenda sunt, bonum, et malum; id est duo Dii.

℞. *Dist. ant.* Mala existunt improprie, tamquam aliquid *negativum*, sive tamquam privatio boni, quod supponunt ante se, *conc.* Existunt proprie, tamquam aliquid *positivum*, *neg.* Quare *neg. cons.* Cum enim malum nihil aliud sit, nisi boni privatio; vel negatio, ejus prima causa non est efficiens, sed deficiens. Ita voluntas creata, cum non sit summe perfecta, potest a summo bono deficere, atque ita peccare. Dixi autem generatim, mala improprie existere, tamquam aliquid negativum, quod convenit malis moralibus, quae proprie mala sunt; mala enim physica, quae positive existunt, non sunt vere mala, sed bona quaedam, quae quia displicent iis, qui sum-

mum

mum bonum non amant, a quo ista fiunt, dici solent mala; cum revera bona sint, quibus utitur Deus vel ad puniendos malos, vel ad servandum ordinem universi.

Inst. Si unus esset Deus, isque summe bonus, non permitteret mala moralia, seu non permitteret, creatas voluntates a summo bono deficere; quod utique facere posset, salva earum libertate, per gratiam, quam Theologi appellant efficacem. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Non permitteret mala moralia, si non esset adeo sapiens, omnipotens, et bonus, ut sciret etiam, et posset bona facere de malis, *conc.* Secus, *neg.* *Deus omnipotens*, inquit Augustinus *Enchir. Cap.* 11. *nullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, et bonus, ut bene faceret etiam de malis.* Bona autem, quae Deus e malis eruit, quaedam hic videntur a nobis, ut exaltatio Josephi ex invidia fratrum, constantia martyrum ex persecutione tyrannorum: quaedam vero pertinent ad inscrutabilia judicia Dei, et videbuntur in patria, ubi clare intuebimur in Deo ipso rationes aeternas, quibus ipse universum gubernat.

Objic. III. Tres sunt in Deo personae. Ergo tres Dii.

℟. *Neg. cons.* Ut enim essent tres Dii, tres etiam deberent esse naturae divinae. Et in rebus quidem creatis, quae finitae sunt, ubi plures sunt personae, plures etiam naturae sunt, quia una persona, omnem exhaurit modum, quo natura una potest existere. Non ita autem se res habet in natura infinita, quae licet una, tribus tamen modis subsistit. Sed de hoc plenius in *Lib. seq.* ubi dicemus de Trinitate.

C A P. II.

De natura, sive essentia Dei.

Adv. I. Eunomius, teste Theodoreto, *Lib. IV. Haeret. Fab. Cap.* 3. jactabat, se nosse Dei naturam, non secus ac eam novit ipse Deus.

II. Catholici omnes docent, Dei naturam, sive essentiam hic a nobis ignorari. Si enim rerum creatarum naturae, quae finitae sunt, mentis nostrae aciem fugiunt, multo magis natura Infiniti.

III. Nihilominus cum varias Dei proprietates, sive attributa per revelationem simul, et rationem noscamus, quae quidem proprietates in Deo sunt unum simplicissimum ens, sed a nobis singillatim considerantur, quia non possumus eas omnes uno simul mentis intuitu complecti; ideo quaerimus, quaenam inter Dei proprietates sit prima, ex qua ceterae, nostro intelligendi modo, tamquam ex radice manant, quamque Dei naturam, sive essentiam appellamus.

IV. *Scotistae* proprietatem illam, quam inquirimus, volunt esse *infinitatem radicalem*, ut ajunt; Nominales *infinitatem actualem*, seu cumulum omnium perfectionum: Thomistae *intellectionem actualem*: reliqui passim Theologi *esse ens a se*, quam sententiam illustrat, ac tuetur *Petavius*, quem sequuntur *Berti*, *Tournely*, *Boucat*, *Lodovicus Hubert*, *Jueninus*, aliique Theologi. Nomine autem *Entis a se* non intelligunt ens aliquod limitatum, sed *ipsum esse* non limitatum, aut circumscriptum in aliquo peculiari genere, sed complectens quidquid *entis* nomine significari potest.

PROPOSITIO I.

Dei natura, sive essentia non potest hic a nobis naturaliter cognosci. Est dogma fidei.

Prob. I. ex Scriptura. Eccli. XLIII. 35. *Quis videbit eum, et enarrabit?* Et *Isaiae XLV.* 15. *Vere tu es Deus absconditus. I. Tim. VI.* 16. *Lucem inhabitat inaccessibilem.* Ergo.

Prob. II. ex PP. Auctor Libri *De Trinitate* inter opera *Tertulliani Cap.* 7. *Id quod est* (Deus), inquit, *secundum id quod est, nec humano sermone dici, nec humanis auribus percipi, nec humanis sensibus colligi potest.* Vide etiam Patres, qui contra *Eunomium* scripserunt, praecipue Gregorium *Naz. Orat. XXXIV.* et Basilium *Lib. II. cont. Eunom.* Et generatim docent Pa-

Patres, quid non sit Deus, posse intelligi, at quid sit, intelligi non posse. Unde Augustinus *in Psalm. LXXXV. n. 12. Intendat charitas vestra: Deus ineffabilis est; facilius dicimus quid non sit, quam quid sit ...... Quaeris quid sit? quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Quod et agnoverunt gentiles Philosophi. Ammonius *in Categor. Aristot. Cum Timaeum interrogasset Socrates: quid est Deus? respondit ille: quid non sit scio, quid sit autem, nescio.*

Prob. III. ratione. Natura Dei est simul simplicissima, et infinita; at quod est infinitum, non potest mens naturaliter uno, et simplici actu, ut est in se, cognoscere. Ergo.

Corollarium.

Hinc sequitur, Deum esse ineffabilem, hoc est, nullo nomine ejus essentiam, prout est in se, clare designari. Hinc *Prov. XXX. 4. Quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti?* Justinus *in Cohortat. ad gent. Fieri non potest, ut proprium aliquod Deo nomen attribuatur.* Vide alia PP. et Philosophorum testimonia apud *Thomassinum Lib. VI. Theol. dogm. cap.5. Petavium Lib. VIII. cap. 6.* et *Huetium in Alnetanis.* Habent quidem Hebraei decem Dei nomina quorum praecipua sunt 1.° יהוה *Jehova* nomen *τετραγραμματον* quod soli Deo tribuitur in Scripturis, ab eoque pronunciando Hebraei abstinent, imo veram ejus pronunciationem ignorant. Patres, et linguae Hebraicae periti varie pronunciant; communiter tamen post *Petrum Galatinum* dicunt *Jehova*, *Qui est.* 2.° אדני *Adonai* Dominus. 3.° אלהים *Elohim* Princeps, Judex. Sed haec nomina, et alia apud varias nationes usurpata, ut *θεος* apud Graecos, apud Latinos *Deus*, essentiam Dei, non prout in se est, sed prout a nobis intelligitur, exprimunt. Vide de variis Dei nominibus Petavium *Lib. VIII. cap. 9.* Angelum Caninium *de Loc. Hebraic. cap. 2.* et alios.

PRO-

PROPOSITIO II.

Infinitas sive radicalis, sive actualis non est primum attributum, quod in Deo mente concipimus, quodq. essentiam vocamus.

Prob. 1.° Illud non est primum Dei attributum, quod ab alio fluere intelligimus; atqui infinitatem ab alio fluere intelligimus, nempe ab *exsistentia a se.* Ideo enim Deus est infinitus, quia a se existit, ideoque ens necessarium est, atque a nullo ejus essentia limitari, et circumscribi potest. Ergo.

2.° *Infinitas* est modus existendi; atqui modus existendi non potest constituere rei essentiam, unde ait Titus Bostrensis *Lib.* 1. *cont. Manich. Esse prius quodammodo est cogitatione, quam talem esse.* Ergo.

PROPOSITIO III.

Intellectio non constituit Dei essentiam.

Prob. I. Intellectio vel pro facultate intelligendi ponitur, vel pro ipso actu intelligendi. Atqui neutro modo posita constituit Dei essentiam. Essentia enim debet esse prima in re, et radix omnium proprietatum. Atqui intellectio, utrovis modo accepta, non est prima, quae mente concipitur, nec est radix omnium Dei attributorum. Non quidem est prima, quae mente concipitur in Deo; nam prius est esse, quam facultatem habere intelligendi, aut actu intelligere, quippe facultas operandi, et ipsa operatio sequitur naturam, a qua promanat. Nec ab ipsa intellectione fluunt reliquae Dei proprietates; nam non idcirco Deus mente concipitur omnipotens, aut misericors, quia est intelligens. Ergo.

Prob. II. Idipsum insinuant Scriptura, et Patres. Scriptura quidem; nam *Job. XII.* 13. dicitur *Apud ipsum est sapientia, et fortitudo: ipse habet consilium, et intelligentiam*, ubi sapientia, et intelligentia, non secus ac omnipotentia describuntur tamquam proprie-

tates

tates, quarum subjectum est Deus, ac proinde adjiciuntur, et afficiunt nostro intelligendi modo essentiam divinam. Ex Patribus vero satis est citare Chrysostomum *Orat. I. de Incomprehensib.* '*Dei nat. Non a sapientia*, inquit, *substantia, sed a substantia sapientia est.*

Objectiones Scotistarum, et Thomistarum satis multas omittimus, ut in gravioribus postea possimus esse copiosiores. Pauca ista, quae diximus, sufficiunt, ut non omnino Scholarum morem contemsisse videamur.

PROPOSITIO IV.

Essentia Dei, seu primum, quod in Deo concipimus, attributum est esse a se.

Prob. I. ex Scriptura. Ipse Deus *Exod. III.* 14. a Moyse interrogatus; quodnam esset nomen ejus, respondit: *Ego sum qui sum, sic dices filiis Israel: qui est misit me ad vos.* Et *Job. XXIII.* 13. de Deo ait: *Ipse solus est.* Sic et in Apocalypsi legitur *Cap. I.* 4. *Gratia vobis ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est.* Quibus verbis existentia dicitur ita Dei propria, ut Ipsa sit nomen ejus (quod utique ad designandam rei essentiam, quantum intelligi a nobis potest, imponitur) eumque a creaturis distinguat. Atqui existentia, quae est Dei propria, est existentia a se, quia creaturis etiam convenit existentia, sed ab alio pendens. Ergo.

Prob. II. ex PP. Hilarius *Lib. I. de Trin. n.* 5. in ea verba Exodi: *Ego sum, qui sum*: *Admiratus sum*, inquit, *tam absolutam significationem, qua naturae Divinae incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliquid magis proprium Dei, quam esse intelligitur, quia idipsum, quod est, neque desinentis est aliquando, neque coepti*: scilicet verbum *est* significat esse necessarium, et aeternum, sive quod a se existit; cum creaturae quae existunt ab alio, dicantur non esse *Job. loc. cit.* In camdem sententiam loquuntur Justi-

nus

nus *in Exhort. ad Graecos.* Clemens Alex. *Lib.* 1. *Paedagogi cap.* 8. Ambrosius *in Psalm. XLIII.* Epiphanius *Haeres. LXIX. n.* 7. aliique (*a*).

Prob. III. ratione. *Esse a se* est primum, quod in Deo mente concipimus, et ex quo tamquam ex radice caeterae proprietates prodire intelliguntur. Est quidem primum; nam quodcumque de Deo cogites, superadditur *esse a se*; prius est enim *esse a se* (nostro intelligendi modo) quam esse sapientem, potentem, justum, etc. Est vero veluti radix, a qua caeterae proprietates prodire intelliguntur, quia ex eo quod Deus est ens a se, sequitur, cum esse ens necessarium: et ex quo est ens necessarium, sequitur, eum esse infinitum, cum nullum ens finitum fingi possit necessarium: denique ex quo est ens infinitum, sequitur, eum omnes alias habere proprietates, quia si vel una careret, jam non esset infinitus. Ergo.

2.° Illud est essentia Dei, quod Deum ab omnibus aliis entibus distinguit; nam idem est *constitutivum*, et *distinctivum*, ut scholae loquuntur. Atqui *esse a se* distinguit Deum 1.° ab omnibus creaturis, quarum essentia est, ut sint ab alio, tamquam a causa; 2.° distinguit *virtualiter* essentiam divinam ab ipsis attributis divinis, quae sunt ab alio, scilicet ab essentia divina, tamquam ab radice. Ergo. Hinc Graeci nonnulli Philosophi Dei naturam in eo ponunt, ut sit. Ita Plato *in Timaeo.* Plutarchus *Libro De ei apud Delphos*, *Plotinus*, *Numenius*, etc.

Diluuntur Objecta.

Objic. I. Si essentia divina constitueretur in eo, quod est a se, Filius, et Spiritus Sanctus non essent

(a) Hieronymus *in Cap. III. ad Ephes.* Augustin. *Tract. XXXVIII. in Joan. et al.* Auctor *Lib. de Cognitione verae vitae. Cap.* 7. *Tom. IX. Opp. August.* Nazianzenus. *Orat. XXXVI.* Dionysius *Lib. de Div. nom. Cap.* 5. Bernardus *Lib.* 1. *de consid. Cap.* 6.

sent Deus; nam Filius, et Spiritus Sanctus sunt ab alio. Falsum consequens; ergo et antecedens.

℟. *Neg. seq. maj. Ad confirm. Dist. ant.* Filius, et Spiritus Sanctus sunt ab alio tamquam a causa, *neg.* sunt ab alio tamquam a principio, *subdist.* ratione personae, *conc.* ratione naturae, *neg.* Cum igitur Pater generat Filium, ei communicat eamdem *numero* naturam divinam, quae nec gignit, nec gignitur, ideoque sicut natura Patris est a se, ita et natura Filii, quae eadem numero est. *Persona* quidem Filii producitur, et est a Patre non tamquam a causa, a qua pendeat, sed tamquam a principio, cum quo ejusdem est naturae. Idem dicas de processione Spiritus S. a Patre, et Filio. Quod autem persona Filii, et Spiritus S. est ab alio tamquam a principio, non destruit, sed magis confirmat sententiam nostram, quia ex hoc patet, *esse a se*, ita esse proprium essentiae divinae, ut eam *virtute* distinguat ab ipsis *personalitatibus*, ut loquuntur Scholastici, quae sunt ab alio tamquam a principio.

Objic. II. Essentia Dei constituenda est in aliquo Dei attributo perfectissimo. Atqui perfectius est esse intelligens, infinitum etc. quam simpliciter esse a se. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Constituenda est in aliquo perfectissimo, quod sit primum, et radix ceterorum attributorum, *conc.* Secus, *neg. Nego* etiam *min.* Nam nomine entis a se intelligimus *ipsum esse* non limitatum in aliqua essentiae specie, sed omnes vel *formaliter*, vel *eminenter* continens. Hinc Damascenus *Lib. I. Cap.* 12. *Videtur*, inquit, *omnium, quae de Deo dicuntur, nominum maxime proprium* Ens, *sicut Moysi respondens in monte dixit: Dic filiis Israel: Qui est misit me. Totum enim in seipso comprehendens habet esse, velut quoddam essentiae pelagus infinitum, et interminatum.*

Inst. Ens est genus remotissimum, ac supremum, quod naturales rei proprietates non explicat. Atqui essentia rei cujuslibet definiri debet per proximum genus, unde male homo definiretur *ens rationale*, recte vero *animal rationale*. Ergo Dei natura definiri non debet *ens a se*, sed *intelligens*, ac *vivens a se.*

 ℟. *Dist.*

R. Dist. maj. Si nomen entis adhibeatur ad significandum aliquid finitum, ac terminatum, *conc.* Si adhibeatur ad significandum *ipsum esse* infinitum, ac in terminatum, complectens quidquid entis nomine significari potest, *neg.*

Scholion.

Quia nomen *entis* alio sensu Deo attribuitur, ac creaturis, ideo Patres saepe docent, *essentiae*, *substantiae*, *οὐσίας* nomina Deo non convenire; non quia non sit ens, ac substantia, sed quia non sit eo sensu, quo ista nomina passim usurpamus, sed supra essentiam, et supra substantiam, ut *Dionysius*, *Damascenus*, aliique docent. *Substantia in illo non est vere substantia, sed ultra substantiam*, inquit Boëtius *Lib. de Trin.*

Corollarium.

Quoniam igitur solus Deus est a se, ceterarum autem rerum natura est esse ab alio, hinc sequitur, creaturas omnes ita a Deo pendere, ut radios a sole, cujus influxus si vel uno momento cessaverit, evanescunt. Quicquid igitur videmus, sentimus, aut etiam patimur, a Deo est, qui omnia per creaturas operatur, excepto peccato; ac proinde in omnibus semper Dei majestatem, potentiam, sapientiam revereri debemus.

CAP. III.

De divinis attributis generatim.

Adv. 1. Attributa a Theologis dicuntur perfectiones, quae essentiae jam constitutae superaddi, ab eaque tamquam ab radice prodire intelliguntur: quaeque Graeci Patres, ut Gregorius Nyss. *Lib. II. cont. Eunom.* *ἀξιώματα*, *ἰδιότητας*, *νοήματα*: Latini, ut Tertullianus *Lib. I. cont. Marc.* proprietates appellant. Licet enim omnia in Deo sint

sint unum, tamen mens nostra, non valens uno simul intuitu complecti omnia, quae revelatione, vel ratione de Deo cognoscit, ea veluti per partes contemplatur, atque ideo quaedam statuit tamquam constituentia ipsius essentiam, quaedam vero ab essentia ipsa prodeuntia: quod non est tantummodo Scholasticorum commentum, sed a Patribus etiam usurpatum. Ait enim Chrysostomus *Homil. LXXIV. in ea verba Joan. XIV.* 8. *Domine ostende nobis Patrem; Videamus quid Philippus videre quaerat, num sapientiam Patris? num ejus bonitatem? minime, sed quid sit Deus, ipsam substantiam.*

II. Dei attributa alia *absoluta* sunt, alia *relativa*. Absoluta dicuntur, quae ad ipsam pertinent Dei naturam, communiaque sunt tribus personis, nec significant relationem ad aliud, ut omnipotentia, aeternitas etc. Ea rursus dividuntur in affirmantia, quae aliquam perfectionem Deo tribuunt, ut justitia, bonitas; et negantia, quae aliquam imperfectionem Deo negant, ut *infinitas, immensitas*. Haec negantia attributa melius explicant quae cogitamus de Deo, de quo facilius dicimus, quid non sit, quam quid sit, ut supra diximus. Vide etiam Dionysium *De Myst. Theol. cap.* 2. *et de Caelesti Hierarc. cap.* 2. Relativa attributa sunt, quae explicant relationem ad aliud. Eaque iterum dividuntur in relativa *ad intra*; et *ad extra*. Illa sunt, quibus tres divinae personae intra ipsam Dei essentiam ad se mutuo referuntur, ut Paternitas, Filiatio, Spiratio; ista vero, quibus designatur creaturarum ad Deum relatio, sive habitudo, ac subjectio, qua ab illo pendent, tamquam effectus a causa, ut esse creatorem, dominum, provisorem (*a*).

(a) Celebris etiam est apud Scholasticos quaedam attributorum divisio in *modificativa* sive *transcendentia*, ut ajunt, et *adjuncta*. Prima sunt veluti interni ipsius essentiae modi, dicunturque *transcendentia*, quia *trascendunt*, seu pervadunt omnia attributa; sicut aeternitas *ex. gr.* de omnibus attributis praedicari potest. Alia vero attributa dicuntur *adjuncta*; quia essentiae jam constitutae advenire intelliguntur, ut justitia, misericordia. Quidquid de hac divisione sit, parum videtur habere utilitatis.

III. De attributis ergo divinis quaeritur, quomodo inter se, et ab essentia divina distinguantur. Distinctio primum duplex est, alia *realis*, alia *rationis*. Realis est quae, etiam nemine cogitante, intercedit inter res duas; eaque rursus triplex, *major*, *minor*, et *formalis*. Distinctio *realis major* est. quae intercedit inter duas res vel separatas, ut Petrus, et Paulus, vel separabiles, ut anima, et corpus, vel per relationem oppositas; ut in divinis Pater, et Filius. *Realis minor*, quae et *modalis* dicitur, intercedit inter rem, et modum ab ipsa re separabilem, ut inter hominem, et ejus sapientiam. *Formalis*, quae et *Scotistica* dicitur, invecta est a *Scoto* inter varia rei attributa, quae etsi unam habeant existentiam, diversam tamen habent formam, seu naturam, ac definitionem, ut justitia, et misericordia. Distinctio *rationis* est, quae non est in re, sed fit cogitatione mentis nostrae, eaque iterum duplex vulgo statuitur in Scholis: altera dicitur *rationis ratiocinantis*, alia *rationis ratiocinatae*. Illa fit cogitatione sine fundamento in re, ut si quis cogitatione distingueret Simonem, Petrum, et Cepham; ista e contrario cum fundamento in re, cum scilicet res una multis aequivalet. Haec distinctio, si in ipsa re consideretur, dicitur distinctio *virtualis*.

IV. His explicatis, *Aëtius*, et *Eunomius* Ariani nullam inter Dei attributa distinctionem ne *rationis* quidem esse docebant. Ex quo inferebant, Verbum non esse Deum, quia cum esse *ingenitum*, quod est Patris attributum, nulla ratione ab essentia divina distingui posset, cumq. Filius non sit ingenitus, concludebant, illum non esse Deum. Vide Basilium *Lib. I. cont Eunom.* Gregorium *Niss. Lib. I. cont. eund.* Epiphanium *Haeres. LXXVI.* Ab hoc errore non multum recedere visi sunt *Nominales* Scholastici, qui duce *Guillelmo Okam* solam rationis ratiocinantis distinctionem in divinis agnoscunt, sive solam distinctionem nominum.

V. E contrario *Theodorus* Mopsuestenus, teste Leontio Byzantino *Lib. III. cont. Nestor.* divinam essentiam ab attributis reapse distingui opinatus est; quem

quem errorem deinde secutus est *Gilbertus Porretanus* Pictaviensis Episcopus medio circiter XII. Saeculo, at damnatum in Concilio Rhemensi ejuravit. Rem narrant Bernardus, acer ejus adversarius *Serm. LXXX.* in *Cant.* Otho Frisingensis *Lib. I. Hist.* In eundem scopulum impegit Gregorius Palamas Episcopus Thessalonicensis Saec. XIV novam distinctionem comminiscens inter essentiam Dei, ejusque increatam ἐνέργειαν, sive operationem, acriter confutatus a *Barlaamo* Episcopo Hieracensi, et *Gregorio Acyndino* (*a*). Nec multum a Gilberti sententia recessit Scotus cum sua formali distinctione.

VI. Non satis constat inter eruditos, utrum *Gilbertus* distinctionem realem agnoverit inter essentiam, et omnia Dei attributa, itemque inter ipsa invicem attributa; an vero solum inter essentiam, et attributa relativa, seu inter essentiam, et personas divinas. Petavius *Lib. I. de Deo Cap.* 8. aliique passim priorem sententiam sequuntur, et probant ex verbis *Bernardi*. *Vasquez Disp. CXVI. in* 1. *p. cap.* 2. et *Frassen* posteriorem sententiam probant ex *Othone Frisingensi*, quem tamen constat, fuisse in *Gilbertum* paulo propensiorem, et morti proximum, quae pro *Gilberto* scripserat, Ecclesiae judicio subjecisse, ut *Radevicus* ejus *Continuator Lib. II. Cap.* 11. memoriae prodidit.

PROPOSITIO I.

Nulla est agnoscenda in Deo realis distinctio neque inter essentiam, et attributa, neque inter ipsa invicem attributa. Est fidei dogma.

Prob. I. *ex Scriptura.* Ea, quae de se invicem praedicantur, non sunt reapse distincta. Atqui in Scripturis essentia, et attributa divina de se invicem praedicantur. *Prov. VIII.* 12. Deus dicitur sapientia. *Ego*

(a) Vide haec apud Leonem Allatium *De Ecclesiae Occid. atque Orient. perpetua consens. Lib. II. cap.* 7. Multa etiam de his habet Dupinus in Biblioth. Saec. XIV.

Ego sapientia habito in consilio. Et *Joan. XIV. 6. Ego sum via, veritas, et vita.* Ergo etc.

Prob. II. *ex Patribus.* 1.° Basilius *Lib. I. cont. Eunom.* et Gregorius *Nyssen. Lib. XII. cont. eundem* docent. Dei attributa mente solum, sive κατ' ἐπίνοιαν distingui. 2.° Augustinus *Lib. V. de Trin. Cap.* 10. *Deus,* inquit, *non ea magnitudine magnus est, quae non est, quod est ipse, ut quasi particeps ejus sit Deus, cum magnus est; alioquin illa erit major magnitudo, quam Deus. Deo autem non est aliquid majus. Ea igitur magnitudine magnus est, qua est ipse eadem magnitudo. Et ideo sicut non dicimus tres essentias, sic nec tres magnitudines. Hoc est enim Deo esse, quod magnum esse .... quia ipse sua est magnitudo. Hoc et de bonitate, et de aeternitate, et de omnipotentia Dei dictum sit, omnibusque omnino praedicamentis, quae de eo possunt pronunciari.* 3.° Idem docent Fulgentius *Resp. ad Ferrand. Epist. XIV.* Gregorius M. *Lib. XVI. Moral. cap* 43. Isidorus Hispal. *Lib. I. de summo bono Cap. I.* Anselmus *Monolog. Cap. XVII.* et praecipue Bernardus *Lib. V. de Consid. Cap.* 7. et *Serm. LXXX. in Cantic.*

Prob. III. ex Conciliis. Damnatus enim est hic error 1.° in Concilio Rhemensi coram ipso *Eugenio III.* 2.° in Concilio Lateranensi IV. sub *Innoc. III.* in quo damnatus est error Abbatis Joachim, de quo suus erit in sequenti Libro dicendi locus; atque expresse definitum, in Deo Trinitatem esse, non quaternitatem, quae quidem quaternitas sine dubio ponitur, si essentia ab attributis relativis reapse distinguitur. 3.° denique in Concilio Florentino, ubi inter omnes Graecos, Latinosque convenit, in Deo *omnia esse unum, et idem, ubi non obviat relationis oppositio*, qualis est *ex. gr.* inter Patrem, et Filium.

Prob. IV. ex Theologicis rationibus, quas profert Bernardus *loc. cit.* contra *Gilbertum.* 1.° Si divinitas *ex. gr.* non esset Deus, sed a Deo distincta, vel esset major, vel minor, vel aequalis Deo. At non potest esse major, nihil enim Deo majus est; non minor, cum ipsa constituat Deum; non aequalis, quia nihil est a Deo distinctum, quod Deo possit aequa-

aequari, alias essent duo summa bona, quod repugnat. Idem dicas de bonitate, sapientia, omnipotentia, caeterisque attributis. Ergò.

2°. Deo nihil melius, et perfectius excogitari potest. Posset autem aliquid excogitari perfectius, si ejus attibuta distinguerentur ab essentia, aut a se invicem; nam posset excogitari ens simplicius, in quo nulla esset attributorum distinctio. Ergo.

Corollarium.

Ergo cum sententia *Gilberti* rejicienda est etiam *formalis* distinctio *Scoti*. Quae enim *formaliter* distinguuntur, habent formas, seu naturas distinctas. Sed quae naturas habent distinctas, distinguuntur reipsa. Ergo si removenda est a divinis distinctio realis, etiam formalis removenda est.

Solvuntur objectiones.

Objic. I. Patres docent, distingui essentiam Dei ab attributis praesertim relativis. Ita Augustinus *Lib. VII. de Trin. Cap.* 4. *Deo Patri*, inquit, *aliud est, quod Deus sit, aliud, quod Pater sit, quia Deus dicitur ad se, Pater ad Filium.* Et Nazianzenus *Orat. XXXI. Quid? an etiam immortalitas, innocentia, et immutabilitas essentia Dei sunt?* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Docent distingui *virtute*, et per mentem, sive *ratione ratiocinata*, *conc.* Distingui reipsa, sive *realiter*, *neg.* Idem enim *Augustinus*, aliique Patres *locis sup. cit.* omnem realem distinctionem prorsus a Deo removent. Patet autem responsionis nostrae veritas ex eorumdem Patrum scopo. Agebant enim contra Eunomianos, qui distinctionem *rationis* praefracte negabant. Unde inquit Basilius *Lib. I. cont. Eunom. Cum Deus unum sit secundum subjectum, sitque una substantia simplex, et non composita, alias aliter seipse nominat, diversas appellationes inter se ratione dividentes sibi ipse accommodans.*

Inst. Chrysostomus *loc. sup. cit.* docet, Philippum non petiisse a Christo, ut videret sapientiam, aut be-

bonitatem Patris, sed ipsam substantiam. Ergo distinguit attributa ab essentia.

℟. *Dist. ant.* Non petiit videre sapientiam, aut bonitatem, qualis imperfecte cognoscitur per creaturas, *conc.* Non petiit videre sapientiam, aut bonitatem Patris, ut in se est, *neg.* Si quis enim sapientiam, aut bonitatem Dei clare, ut in se est, intueretur, is ipsam videret Dei substantiam, a qua reipsa non distinguitur sapientia, sicut et cetera attributa. Sed quia mens nostra ex creaturis quaedam Dei attributa imperfecte cognoscit, hoc est, non cognoscit ut sunt in se ipsis omnia unum infinitum, sed singillatim, et per partes, idcirco qui Dei attributa ex creaturis cognoscit, non idcirco Dei essentiam videt.

Objic. II. Una eademque simplicissima res non potest simul communicari, et non communicari; hoc enim contradictionem involvit. Atqui essentia divina per generationem a Patre communicatur Filio, non communicatur autem *paternitas*, ut in sequenti libro docebimus. Ergo essentia divina, et Paternitas reipsa distinguuntur.

℟. *Dist. ant.* Non potest una, ac simplicissima res communicari, et non communicari eadem ratione, sive *sub eodem respectu*, *conc.* Id enim contradictionem implicat. *Sub diverso respectu*, *neg.* Cum igitur res una sub variis rationibus, ac respectibus considerari potest, ideoque rebus multis a se invicem distinctis aequivalet, non repugnat, communicari uno respectu, non autem alio. Ceterum cum paternitas ab essentia reipsa non distinguatur; paternitas ipsa in Filio est per *circuminsessionem*, de qua Libro sequenti dicemus.

Objic. III. Quae non distinguuntur ab uno tertio, non distinguuntur inter se. Ergo si relationes divinae non distinguerentur reipsa ab essentia divina, non distinguerentur inter se; quod tamen falsum est.

℟. *Dist. ant.* Quae non distinguuntur ab uno tertio, non distinguuntur inter se in eo, in quo a tertio non distinguuntur, *conc.* In aliis, *neg.* Porro relationes divinae sunt eadem inter se in essentia divina, quae tribus personis communis est, et a qua re-

la-

lationes reipsa non distinguuntur. Non sunt eadem inter se in *personalitate*, in qua sibi invicem opponuntur.

Objic. IV. *cum Scoto.* Quorum definitiones sunt diversae, eorum forma diversa est, ac distincta. Atqui definitiones justitiae, et misericordiae Dei diversae sunt, imo et contrariae. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Si definitiones explicent res, prout in se sunt; *conc.* Si eas explicent, prout imperfecte cognoscuntur a nobis, *neg.* Definitiones itaque justitiae, misericordiae, aliorumque Dei attributorum non explicant ea attributa, prout in Deo sunt. Nam in Deo justitia, et misericordia unum sunt, a nobis vero mente concipiuntur separatim, cum non possimus omnia simul Dei attributa cognoscere.

PROPOSITIO II.

Agnoscenda est in Deo virtualis distinctio inter essentiam, et attributa, et inter ipsa invicem attributa.

Prob. I. Scriptura saepe varia Dei attributa nobis exponit, cum scilicet Deum fortem, justum, misericordem, sapientem vocat. Ergo est in Deo fundamentum ista omnia cogitatione distinguendi. Quamvis enim haec attributa in Deo unum sint; tamen cum diversos producant effectus, qui a causis reapse distinctis produci solent (unde inquit Augustinus *Lib. XV. De Trin. Cap.* 17. *In Deo Unum aliquod est, quod omnia valet*) sunt utique virtute multiplicia.

Prob. II. *Ex PP.* Basilius *Lib. II. cont. Eunom. Quomodo*, inquit, *ridiculum non est, creandi facultatem substantiam esse dicere, aut etiam providentiam, aut similiter praescientiam rursum substantiam esse, et uno verbo omnem actionem substantiam putare?* Idem docet Gregorius Nyss. *Or. XII. cont. Eunom.* Et Augustinus *Lib. VII. De Trin. Cap.* 4. *Sunt quidem unum paternitas, et essentia; nefas tamen dictu est, Patrem paternitate esse Deum, paternitate sapientem.* Ergo etc.

Co-

Corollarium.

Ergo rejicienda est etiam sententia *Nominalium.* Si enim Dei attributa nomine tenus distinguerentur, omnia idem significarent; non ergo distinguerentur virtute, sicut non est *virtualis* distinctio inter *Simonem*, *Cepham*, et *Petrum*, quae nomina eundem hominem significant. Apposite Basilius *loc. cit. Quod si omnia haec* (attributa) *ad unum significatum tendunt, necesse omnino est, ut nomina idem inter se valeant, quemadmodum fit in iis, qui multis nominibus appellantur, sicuti cum eundem dicimus Simonem, et Petrum, et Cepham.* Sed quoniam doctissimus *P. Berti* hanc Nominalium sententiam ita emollire studuit, ut ad Thomistarum doctrinam trahi facile possit, nos si de re inter nos convenit, de verbis nolumus esse contentiosi.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. In Concilio Rhemensi sub *Eugenio III.* cautum est, *ne ratio theologica inter Dei naturam, et personam distinguat.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Ne distinguat reali distinctione, ut faciebat *Gilbertus*, cujus error in eo Concilio proscriptus est, *conc.* Ne distinguat per mentem, *neg.* Veteres dicebant, distingui ratione sive κατ' ἐπινοιαν ea etiam, quae reapse distincta sunt, sed ita secum conjuncta, ut separari non possint. Ita in divinis tres personas: in Christo naturam divinam, et humanam; in homine animam, et corpus ratione distingui passim docent. Ita Cyrillus Alex. *Lib. I. in Joan. In hujusmodi*, inquit, *separari quodammodo ἐπινοια, cogitatione videtur gignens ab eo, quod gignitur, et sine ulla divisione prodit: unum tamen est natura, et idem utrumque, nec ullo modo est alterum, sine altero.* Idem alii affirmant, ut videre potes apud Petavium *Lib. I. de Deo cap.* 10.

Objic. II. Ens simplicissimum omnem excludit di-

'stin-

stinctionem. Atqui Deus est ens simplicissimum. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Omnem excludit distinctionem *realem*, *conc. virtualem*, et rationis, *neg.*

Inst. Distinctio rationis; quae non est objecto consentanea, falsa est. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Falsa est, si fiat per affirmationem, aut negationem, *conc.* Si fiat per simplicem praecisionem, *neg.* Distinctio fit per affirmationem, quando asseritur, res extra mentem reapse distingui, quae a mente distinctis ideis apprehenduntur. Atque haec distinctio in Deo falsa est. Fit vero distinctio per simplicem praecisionem, quando mens objectum simplicissimum, sed infinitum, non valens uno intuitu contueri, contemplatur veluti per partes, mente concipiens seorsim misericordiam, justitiam etc. non tamen affirmans, ea esse inter se reapse distincta. Haec autem distinctio falsa non est: quia licet Deus sit objectum simplicissimum, tamen cum sit infinitum, ideoque aequivalens multis reipsa ditinctis objectis, fundamentum menti praebet seorsim concipiendi distinctis ideis varias ejus proprietates.

PROPOSITIO III.

Inter attributa Dei relativa realis distinctio agnoscenda est. Est dogma fidei.

Prob. Quae sunt invicem opposita, *realiter* distinguuntur. Atqui attributa relativa, *ex. gr. paternitas*, et *filiatio* invicem opponuntur, nec possunt eidem *supposito* eodem respectu convenire. Ergo etc. Hinc axioma: *In Deo omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.*

Objectiones refutabimus *Lib. seq.* in *Tractatu de Trinitate.*

CAP-

CAP. IV.

De attributis Divinis speciatim, et primo de ejus simpilictate.

Adv. I. NUnc de praecipuis Dei attributis singillatim disserendum est. Et ut aliquis servetur ordo, primum de negantibus, seu negativis, deinde de affirmantibus, seu positivis agemus. Negantia autem attributa dicimus non solum ea, quae nominibus negantibus exprimuntur, ut *infinitas*, verum etiam ea, quae licet affirmanti nomine exprimantur, sensum tamen habent in mente nostra potius negantem, ut *aeternitas*, quam non aliter concipimus nisi per negationem principii, et finis, et simplicitas, quae concipitur per negationem compositionis.

II. Attributa negantia, de quibus hic agemus, septem sunt, *simplicitas*, *infinitas*, *immutabilitas*, *aeternitas*, *immensitas*, *invisibilitas*, *incomprehensibilitas*, nam de *ineffabilitate* supra diximus. Affirmantia vero sex, *perfectio*, *bonitas*, *veritas*, *omnipotentia*, *scientia*, *voluntas*, et *providentia*.

III. Simplicitas Dei est negatio cujuscumque compositionis. Compositio autem triplex est, *physica*, quae exurgit ex partibus reipsa distinctis, sive partes sint corporeae, sive non corporeae; *metaphysica*, quae constat ex partibus cogitatione distinctis, ut ex *essentia*, et *existentia*, *natura*, et *supposito*; et *Logica*, quae est ex *genere*, et *differentia*.

IV. Physicam in Deo compositionem commenti sunt 1.° Gentiles, qui creaturas corporeas colebant ut Deos. 2.° *Sadducaei*, qui nullum agnoscebant Spiritum *Act. XXIII.* 8. 3.° *Antropomorphitae* haeretici, qui corpus humano simile tribuebant Deo, quales fuerunt Saeculo V. quidam in Ægypto Monachi, de quibus *Sozomenus Lib. VIII. Cap.* 11. in quem scopulum impegisse visi sunt etiam *Tertullianus*, *Melito Sardensis*, et *Audius*. 4.° *Spinoza*, qui post veteres quosdam Philosophos deliravit, Deum non aliud esse nisi

nisi hoc universum: *Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveris*. 5.° denique *Gilbertus Porretanus*. De *Spinoza* dictum est in Metaphysicis; de *Gilberto* supra capite praecedenti. Restant ergo primum alii duo errores confutandi, nempe Deum esse corporeum, aut corpori conjunctum: deinde inspiciendum, an compositio aliqua metaphysica, vel logica ei possit attribui.

PROPOSITIO.

Nulla in Deo compositio physica ponenda est, ideoque Deus nec corpus est, nec corpori ullo modo conjunctus. Dogma fidei est.

Prob. I. ex Scriptura *Joan. IV.* 24. *Spiritus est Deus, et eos, qui eum adorant, in Spiritu, et veritate oportet adorare*. Act. XVII. 29. *Non debemus existimare sculpturae artis, aut cogitationis hominis divinum esse simile*. Ergo.

Prob. II. ex PP. 1.° *Origenes Lib. I. Peri Arch. Cap.* 1. *Non ergo*, inquit, *aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura, simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens . . . ut sit ex omni parte monas, et ut ita dicam, totus mens*. Idem docet *Hom. I. et. III. in Genes.*, et *Lib. VII. cont. Cels.* 2.° *Gregorius* Naz. *Orat. XXXIV.* fuse, et eleganter idem docet, et probat. *An corpus*, inquit, *eum esse dices? Quomodo ergo immensus, infinitus, figurae expers, ac denique ejusmodi, ut nec tangi, nec oculis cerni queat?* 3.° *Augustinus Lib. XII. de Trin. cap.* 7. *Turpiter vana cogitatio est, quae opinatur, Deum membrorum corporalium lineamentis definiri, atque circumscribi*. Reliquos praetermittimus in re manifesta. Vide *Petavium Lib. II. Cap.* 1. Accedit consensio tum saniorum Judaeorum, ut videre est apud Philonem *Lib. de somniis*, tum clarissimorum inter Graecos Philosophorum, ut ex *Platone*, et *Cicerone* probat *Augustinus Lib. VIII. de Civ. cap.* 6. et *Lib. XXII. cap.* 20. (a).

Prob.

(a) Adde Petavium *loc. cit.*, et Huetium in *Alnetanis*.

Prob. III. ratione 1.° Deus est ens, quo nihil melius, aut perfectius excogitari potest, si autem esset corpus, aut corpori conjunctus, non esset ejusmodi; posset enim esse ens illo melius, nempe quod omni corporis commixtione careret. 2.° Omne corpus est iners, et *in potentia*, nec ducitur in actum, nisi ab alio. Deus autem est primum ens actu, à nullo alio ente pendens. 3.° Si Deus corpus esset, aut corpori conjunctus, esset ubique *divisibilis*, penderet a partibus, nec esset ubique totus 4.° esset corpus infinitum, ac proinde omne aliud corpus excluderet. Quae quidem absurda sunt. Ergo etc.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Scriptura Deo tribuit membra corporea, oculos, aures, os, brachia, pedes; praeterea animam *Heb. X.* 38. *Si subtraxerit se, non placebit animae meae*, et animae affectiones, iram, tristitiam etc. Ergo.

℞. *Dist. ant.* Haec omnia Scriptura tribuit Deo per metaphoram, *conc.* Proprie, *neg.* Cum enim nos per sensus intelligamus rerum proprietates, et virtutes, Scriptura nostrae imbecillitati se accomodans, sub similitudine rerum corporalium spiritalia nobis tradit, unde inquit *Novatianus de Trin. Cap.* 5. *ad calc. Opp. Tertull. Ut haec de Deo dicantur, non Deo, sed populo potius imputetur.* Itaque scientiam Dei, qua cuncta cognoscit, et audit, explicat per oculos, et aures; omnipotentiam per brachia; justitiam, qua reos punit, per iram, tristitiam, poenitentiam etc. Quod autem haec non proprie accipienda sint, patet ex aliis Scripturae locis, in quibus id aperte traditur, ut *Isaiae XL.* 18. *Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Et *Job. X.* 4. *Numquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, et tu videbis? Joan. IV.* 24. *Spiritus est Deus* etc.

Objic. II. Homo factus est ad imaginem, et similitudinem Dei, *Genes. I.* 26. Atqui homo constat animo, et corpore. Ergo et Deus.

℞. *Dist. maj.* Factus est homo ad imaginem, et similitudinem

militudinem Dei quoad animum; *conc.* quoad corpus, *subdist.* Factus est ad imaginem Dei, corpore induti, vel induendi per incarnationem, *transeat.* Dei, qualis est in se, *neg.* Patres ergo, ut suo loco dicemus, imaginem Dei in animo hominis constituunt, similitudinem in gratia sanctificante. *Ambrosius in Psalm.* 118. *Octon.* 10. *Quod enim*, inquit, *secundum imaginem est, non est in materia, sed in anima rationabili.* Et *Augustinus Lib. XXIV. cont. Faust. Cap.* 2. *Eum ad imaginem suam non fecit, nisi secundum quod interius est, non solum incorporeum, verum etiam rationale, quod pecoribus non inest.* Quod quidem varie Patres explicant. Nonnulli enim rationem imaginis statuunt in ipsa animae natura spiritali, per quam ad Deum, qui spiritus est, quodammodo accedit; alii in tribus animae facultatibus mente, memoria, et voluntate, quibus SS. Trinitatem videtur exprimere; alii in dominatu, quem habet in res terrenas propter illud, quod dicitur: *et praesit piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis, universaeque terrae etc.* Sed quia Tertullianus *Lib. de Resurrect. carnis cap.* 6. putavit, Deum in creatione hominis corpus quoddam assumsisse secundum formam corporis, in quo Christus erat venturus, ad ejusque imaginem creatum esse hominem; *quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus*, quae sententia nobis nihil incommodat; ideo dixi: *transeat.*

Objic. III. *Melito* Sardensis Episcopus, teste *Origene* apud *Theodoretum Quaest. XX. in Genes.* et *Gennadio De dogmatib. Ecclesiast. cap.* 4. Deum corporeum posuit. Idem docet Tertullianus, teste Augustino *Lib. X. de Genes. ad lit. cap.* 24. *et alib.* S. Thoma *Lib.* 1. *cont. Gent. Cap.* 2. aliisque Patribus; imo clara sunt ejus verba *Lib. cont. Praxeam Cap.* 7. *Quis negabit, Deum corpus esse, etsi Deus Spiritus est? Spiritus enim corpus est sui generis.* Et *Lib. de Carne Christi*: *Nihil est incorporale, nisi quod non est. Audius* etiam, quem Epiphanius *Haeres LXX.* orthodoxae doctrinae fuisse docet, in eandem sententiam concessit, teste Theodoreto *Lib. IV. haeretic. fab. cap.* 13. Augustino *haeres. L.* et aliis. Ergo.

R. Ter-

R. *Transeat ant.* Duorum enim, aut trium hominum error, praesertim Schismaticorum, qualis fuit *Audius*, aut haereticorum, qualis fuit aliquando *Tertullianus*, doctrinam Scripturis, Traditione, et ratione firmatam, nequit evertere. Dixi *transeat*, quia Melitonem multi ab hoc errore vindicare conantur, tum quia Eusebius *lib. IV. Hist. cap.* 26. et Hieronymus *de Script. Eccl. cap.* 24. eum summis laudibus efferunt, tum quia veteres, qui de Antropomorphitis scripsere, non recensent inter eos *Melitonem*, quo illi auctore maxime gloriati essent. Origenes igitur, si vere id dixit, videtur, inquiunt, deceptus ex titulo libri, quem ille inscripsit *περι ενσωματε θεε de Deo corporato*, ex quo putavit, Melitonem asserere Deum corporeum (*a*). Tertullianus, etsi a multis saepe reprehenditur, tamen eum aliquando Augustinus excusat, et benigne explicat, eo quod corporis nomen latissima significatione usurpaverit ad significandum quod non est nihil, sed substantia: *potuit propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas Lib. de haeres. cap.* 86. (*b*) Audius etiam excusari ab hoc errore potest; nam coaevus scriptor Epiphanius *Haeres. LXX.* eum orthodoxae doctrinae fuisse docet; imo refellit *Audii* sententiam, qua statuebat similitudinem hominis eum Deo in ipso corpore, eo quod inde sequeretur absurdum, (quod non concedebat *Audius*) scilicet, Deum esse cor-

---

(a) Haec qualiscumque Melitonis excusatio frigida videtur *Petavio Lib.* 11. *Cap.* 1. *Clerico Hist. Ecc. ad an.* 149. *Caveo*, *Thomassino*, *Berti*; apud quos *Origenis* testimonium, auctoris utique coaevi, pluris est, quam quidquid recentiores pro *Melitone* caussati sunt. Ceterum excusant eum *Tournely*. *Nat. Alexander*, *Boucat*, *Sixtus Senensis*.

(b) Habuit Tertullianus hac in parte patronos, atque adversarios nobilissimos. Eum enim defendunt *Natalis Alex. Tournely*, *L' Herminier*, *Habert*, *Bucat* etc. Accusant, praeter S. *Thomam*, *Petavius*, *Annatus*, *Huetius*, *Pamelius*, et Critici fere omnes, ut inquit *Berti*.

corporeum (a). Ex male intellectis igitur *Audii* verbis *Antropomorphitae Audiani* dicti sunt.

Objic. IV. Sunt in Deo tres personae reipsa distinctae; ex tribus ergo compositus est unus Deus.

℟. *Neg. cons.* Non enim tres personae partes sunt divinitatis, sed unaquaeque est totus Deus, ita ut in natura divina tres simul unum sint simplicissimum, tribus modis subsistens. Vide hoc argumentum fuse pertractatum, et ex Patrum testimoniis illustratum a Petavio *Lib. II. Cap. 4.*

PROPOSITIO II.

In Deo non est admittenda compositio metaphysica *ex essentia, et existentia. Sed si nomine compositionis* metaphysicae *intelligatur illa, quae mente concipitur in ente simplicissimo, in quo est* virtualis *distinctio inter essentiam, et attributa; potest haec* metaphysica *compositio in Deo admitti.*

Prob. 1a. *pars.* Essentia Dei ab ejus existentia nec per mentem distingui potest, cum ejus essentia sit existentia a se, ut supra dictum est. Atqui ubi nulla distinctio est, nec compositio fingi potest. Ergo.

Prob. 2a. *pars.* In Deo agnoscenda est distinctio *virtualis*, ut supra docuimus. Utrum autem haec virtualis distinctio dici possit compositio Metaphysica, vel non, quaestio est tantum de nomine. Si ergo per metaphysicam compositionem intelligas etiam illam, quae ex hac virtuali distinctione exurgere intelligitur; potest illa hoc sensu de Deo affirmari. Hinc *Basilius Lib. II. cont. Eunom.* complexionem aliquam, quae cogitatione concipitur, in Deo agnoscit: *Proprietates*, inquit, *id, quod commune est distinguunt. Ex utriusque autem complexu tum communis, tum proprii innascitur nobis comprehensio veritatis.*

(a) Ex quo patet, quam immerito *Theophilius Alexandrinus*, et *Joan. Hierosolymitanus* ipsum *Epiphanium* erroris *Antropomorphitarum* insimulaverint apud Socratem *Lib. VI. Hist. cap. 10.* A qua criminatione egregie se purgavit in Concione Hierosolymis habita, teste Hieronymo *Lib. ad Pammach. De error. Joan. Hieros.*

PROPOSITIO III.

Non est in Deo compositio Logica *ex genere, et differentia.*

Prob. I. auctoritate Patrum. *Clemens Alex. Lib. V. Strom. Quomodo*, inquit, *ineffabilis non esset, qui non genus est, neque differentia, neque species, neque individuum, neque numerus, neque accidens ullum, neque id, cui accidat quidquam.* Idem alii docent.

Prob. II. ratione. 1.° quia quidquid est sub aliquo genere, mente concipitur tamquam ipso genere posterius, et refertur ad genus, tamquam *actus ad potentiam.* Atqui Deus nulla re posterior est, nec est in eo potentia, et actus. Ergo etc. 2.° Si Deus esset sub genere aliquo, hoc genus esset *ens.* Atqui ens non potest esse alicujus rei genus; quia genus concipitur tamquam diversum a differentia, quae illi advenit; nulla autem differentia potest enti superaddi, quae non sit ens aliquod. Ergo etc. 3.° Si Deus esset sub aliquo genere, deberet in eo genere cum creaturis convenire; at falsum hoc esse constat, quia ens, et substantia alio sensu praedicantur de Deo, ac de creaturis: in Deo enim significant ipsum esse necessarium, interminatum etc. in creaturis limitatum, pendens ab alio, et contingens. Ergo.

Corollaria.

I. Cum nulla creatura tantam simplicitatem habeat, quantam ipse Deus; in omnibus enim creaturis compositionem aliquam agnoscimus ex potentia, et actu; essentia, et existentia; natura, et supposito; genere, et differentia; substantia, et accidentibus; merito Patres solum Deum *incorporeum* dixerunt, hoc est omnino simplicem. Et hoc sensu *Hilarius* animam humanam, et cuncta praeter Deum appellavit corpora.

II. Sequitur etiam hinc, nullam creaturam ad eam pertingere unitatem, qua Deus unus est, maxime omnium Unus, imo et *Unitas*, ut Patres loquuntur.

Hinc

Hinc per omnem Theologicam tractationem divinitatem illam omnium principem celebrari sic cernimus, tamquam et Monadem, et Unitatem propter simplicitatem, ac singularitatem excellentis indivisibilitatis, inquit Auctor *Lib. De div. nom. Cap.* I.

CAP. V.

De Infinitate Dei.

Adv. INfinitum triplex est. 1.° quoad quantitatem; 2.° quoad virtutem; 3.° quoad essentiam continentem omne genus perfectionis in gradu infinito. Porro Deum non esse infinitum quoad quantitatem, ex iis, quae superius diximus, patet, cum non sit extensus: de infinita ejus potentia dicemus infra, ubi de omnipotentia: restat ergo videndum de infinita ejus essentia, quam negant Sociniani, et inter Calvinistas *Vorstius*, quibus etiam adhaesit *Thomas Hobbesius*. (a)

PROPOSITIO.

Deus est secundum essentiam infinitus. Est dogma fidei.

Prob. I. Job. XI. 7. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum omnipotentem reperies? Excelsior caelo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari.* Psalm. *CXLIV. Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.* Baruch III. 25. *Magnus est, et non habet finem.* Ergo etc.

Prob. II. ex PP. 1.° Gregorius Nys *Lib. XII. cont. Eunom. Neque major*, inquit, *neque minor fit vel accessione, vel decessione. Nam quod in majus fit incre-*

(a) *De Civ. Cap.* 15. *Leviath. P.* 1.

mentum, in infinito locum non habet. 2.° Augustinus *in Psal. CXLIV: Ipse non finitur, illius magnitudo sine fine est.* 3.° Damascenus *Lib. de fide Cap. 12. Ex omnibus porro nominibus, quae Deo tribuuntur, nullum aeque proprium videtur, atque ὁ ὤν* (sive qui est) ... *nam totum esse, velut immensum quoddam, ac nullis terminis definitum essentiae pelagus complexu suo ipse continet* (a) Ergo etc.

Prob. III. ratione. 1a. est, quam hic insinuat *Damascenus*. Deus est *ipsum esse*. Atqui ipsum esse nullius limitibus circumscriptum intelligitur; quod enim circumscriptum est, non est ipsum *esse*, sed aliquod singulare ens. Ergo. 2.° Deus est ens simplicissimum, ut supra ostendimus. Sed ens simplicissimum, ut observat Nyssenus *Lib. I. cont. Eunom.* infinitum est; si enim finitum foret, compositum esset ex subjecto, et finita illa qualitate, quam habet. Ergo etc. 3.° Deus est actus perfectissimus, non solum nullius *potentialitatis*, ut Scholae ajunt, aut imperfectionis capax, sed quo nihil majus, aut perfectius excogitari potest. Atqui talis non esset, si non esset infinitus, ut patet. Ergo.

Dices. I. Scriptura non semel appellat infinitum per hyperbolen quod revera finitum est, ut *Deuteron. XXVI.* 5. *Crevit in gentem magnam, et robustam, et infinitae multitudinis.* Ergo simili ratione intelligi potest de Deo.

℟. *Neg. cons.* pro diversis enim subjectis rebus diversa est ejusdem vocabuli notio. Cum ergo creaturae, quantumcumque augeantur vel quantitate, vel numero, semper finitae sint, non potest eis infiniti nomen nisi improprie aptari; eo magis quod ipsa scriptura, quae aliquas earum vocat infinitas, ostendit simul, esse alias, atque alias, praeter ipsas, aequalis; vel majoris perfectionis. At cum Deus sit ipsum esse, nec alicubi Scriptura eum, nisi infinitum

(b) Idem docent Hilarius *in Psal. XLI.* Dionysius *De div. nom. Cap.* 9. Maximus Mart. *apud Euthymium P. I. tit.* 2. aliiq. Consentiunt Graeci Philosophi *Anaxagoras, Aristoteles, Zeno, Melissus* apud *Huetium.*

tum dicat, profecto in propria significatione intelligi debet infinitus.

Dices. II. Si Deus esset infinitus, omne aliud ens excluderet, vel esset omne ens, alioquin Deus cum aliis entibus esset aliquid majus solo Deo, atque ideo Deus non esset infinitus. Ex quo sequeretur *Spinozae* Pantheismus. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens.

℟. *Neg. seq. maj.* Imo esset imperfectus, si non haberet potestatem, ac vim producendi ex nihilo alia entia. Licet autem Deus cum creaturis efficiant aliquid majus quoad numerum, non tamen majus efficiunt quoad perfectionem, quia quidquid perfectionis in creaturis est, id *formaliter*, vel *eminenter* est in Deo, ut infra dicemus.

Corollarium.

Cum Deus ideo sit infinitus, quia est ipsum *esse* a se, omnis imperfectionis expers: nulla vero creatura fingi possit hujusmodi, ut supra ostendimus, sequitur, nullam posse fingi creaturam infinitam secundum essentiam, imo contradictionem involvere creaturam infinitam, quia esse ab alio, jam aliqua imperfectio est.

CAP. VI.

De immutabilitate Dei.

***Adv.* I.** **Ex simplicitate, et infinitate Dei, immutabilitas sequitur: immutabile autem dicitur, quod nec perfectionem ullam amittere potest, nec novam adquirere.**

II. *Sociniani* licet fateantur, Deum esse immutabilem quoad substantiam, eum tamen in decretis suis mutabilem esse docent. Hos secutus est *Worstius* Calvinista.

PRO-

PROPOSITIO.

Deus omninò est immutabilis. Est fidei dogma.

Prob. I. ex Script. *Num. XXIII.* 19. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? Locutus est, et non implebit?* Malach. III. 6. *Ego Dominus, et non mutor.* Jac. I. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Prov. XIX. 21. *Multae cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit.* Psalm. CI. *Tu autem idem ipse es.* Sap. VII. 27. *Cum sit una, omnia potest, et in se permanens, omnia innovat.* Ergo etc.

Prob. II. ex definitione Concilii Nicaeni apud Hilarium (*in fragment.*) et Ambrosium *Lib. I. de fid. cap.* 9. *Eos, qui dicunt . . . mutabilem, aut convertibilem Filium Dei, eos anathematizat Catholica, et Apostolica Ecclesia.*

Patres proferre supervacaneum est (*a*), cum inter ipsos Gentiles philosophos multi id agnoverint. *Philolaus* Pythagoricus (*apud Philonem de Mundi Opificio*) *Est*, inquit, *auctor, et princeps rerum omnium Deus, semper existens, unus, stabilis, immobilis, ipse sui similis, aliorum dissimilis* (*b*).

Prob. III. Quidquid mutatur, aut novam adquirit perfectionem, aut aliquam amittit; atqui neutrum potest in Deum cadere, cum semper sit ens perfectissimum. Ergo.

Sal-

(a) Augustinus *Lib. XI. De Civ. Cap.* 10. *et al.* Cyrillus *Lib. XIII. Thesaur.* Fulgentius *Lib. de fid. ad Pet. Cap.* 3. Lactantius *Lib. II. Cap.* 8. Prosper *Epigr.* 3. *et Sent.* 3. Methodius *Lib. I. cont. Manich.* Maximus Mart. *ap. Euthym Part.* 1. *tit.* 3. aliique apud Petavium *Lib. III. Cap.* 1. et Thomassinum *Lib. V. cap.* 8. 9. *et* 10.

(b) Vide similia Philosophorum loca apud Huetium *in Alnetanis Lib. II. cap.* 2. *et seqq.*

Solvuntur Objecta.

Objic. Deus, qui non creavit mundum ab aeterno, factus est in tempore creator. Ergo mutatus est.

℟. *Neg. cons* Creaturae, enim mutatae sunt, cum esse inceperunt, quae antea non erant. Deus vero ab aeterno voluit, ut creaturae in tempore existerent. Hoc igitur tempore non est mutata Dei voluntas, sed effectu impleta. Ex hac autem mutatione creaturarum, nova extrinsecus denominatione dicitur Deus *Creator*, *Dominus*, quae denominatio nullam in eo intrinsecus mutationem arguit: sicut si quis equum a dextera ad sinistram columnae transferat, columna, sine sui mutatione, nunc sinistra, nunc dextera dicitur respectu equi. Unde Augustinus *Lib. V. de Trin. cap.* 16. *Quamvis*, inquit, *temporaliter incipiat de eo dici* (creator) *non tamen ipsi substantiae accidit aliquid, sed illi creaturae, ad quam dicitur*, et *Lib. XII. De Civ. cap.* 17. *Quia nempe ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhibet consilium.*

Inst. 1.° Qui a statu non operantis transit ad statum operantis, is intrinsecus mutatur. Atqui Deus in tempore ex non creante factus est creator. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Si transit per novam operationem interiorem, *conc.* Si per operationem externam, quae nihil est aliud, nisi effectus externus internae, atque aeternae, et immutabilis voluntatis ejus, *neg.* Vide Augustinum *Lib. XIII. de Civ. Cap.* 17.

Inst. 2.° Atqui transit aliquando Deus ad novam interiorem operationem. *Genes. VI.* 6. *Poenituit Deum, quod hominem fecisset.* Odit hominem peccatorem, quem antea diligebat, cum esset justus. Denunciavit Ninivitis excidium *Jon. III.* 4 et Ezechiae mortem *Isai. XXXVIII.* 1. *et* 5. quod postea decretum mutavit. Ergo.

℟. *Neg. Ant. Ad* 1m. poenitere, aut mutare decretum dicitur Deus per metaphoram, quando exterius opera mutat; quae ab aeterno mutare decrevit, ac proinde tota mutatio in creaturis est: *neque enim homo est, ut agat poenitentiam I Reg. XV.* 29. *Ad* 2m. mutatio

non

non in Deo est, sed in homine. Deus enim perpetua, atque immutabili voluntate odit peccatum, et justitiam diligit; ipse ergo homo se immutat, cum a justitia ad iniquitatem declinans, fit objectus odio divino. *Quemadmodum*, inquit Augustinus *in Psal. LXXII. sol oculos puros, sanos, vegetos, fortes habenti tranquillus apparet; in oculos autem lippos quasi tela aspera jaculatur, intuentem illum vegetat, hunc excruciat non mutatus, sed mutatum: sic cum coeperis esse perversus, et tibi Deus perversus videbitur: tu mutatus es, non ille, erit ergo tibi poena, quod bonis gaudium. Ad* 3m. praedictiones illae erant conditionales, si scilicet Ninivitae poenitentiam non egissent, aut Ezechias non orasset.

Alias objectiones a libertate Dei petitas dissolvemus inferius.

Corollarium.

Cum ergo Deum oramus, non id postulamus, ut voluntas ejus mutetur; hoc enim repugnat; sed ut fiat voluntas ejus in nobis; nosque voluntatem nostram divinae subjiciamus. *Non ores, ut fiant quae fieri velis, sed potius ora, sicut orare didicisti, ut fiat voluntas Dei in te*, inquit S. Nilus *Lib. de Orat. cap.* 29.

C A P. VII.

De Dei aeternitate.

Adv. I. Immutabilitatem sequitur aeternitas, seu potius ipsa immutabilitas aeternitas est; quod enim immutabile est, nec initium, nec finem, nec successionem habet.

II, Definitur aeternitas a Boëtio *Lib. V. de consol. pros.* 6. *Interminabilis vitae tota simul, et perfecta possessio.* Dicitur 1.° *possessio* ad explicandam ejus stabilitatem. Dicitur 2.° *vitae* potius, quam *esse*; quia etsi aeternitas non potest esse sine immutabilitate, quae perfectiones omnes complectitur; possessio tamen non est nisi viventium rationalem vitam, per quam

quam reliquae omnes perfectiones non solum inesse, sed et possideri dicuntur. 3.° Dicitur *interminabilis*, hoc est nec initio, nec fine terminata. Dicitur 4.° *tota simul et perfecta*, ut arceantur imperfectiones temporis, scilicet divisio, et successio. Augustinus *in Psalm. CI. In aeternitate*, inquit, *nec praeteritum quidquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, sed non est ibi, nisi EST.* Quapropter tres sunt aeternitatis proprietates, nempe ut careat initio, careat fine, careat successione. Sociniani aliquam in aeternitate successionem fingunt, ut videre est apud Clericum *in Ontolog. Cap.* 5. §. 4. Eos sequuntur Arminiani plerique: *Limborchius* tamen inter eos celebris rem in ambiguo putat relinquendam. *Theolog. Christ. Lib. II. Cap.* 5. §. 3.

PROPOSITIO I.

Deus est aeternus. Est dogma fidei.

Prob. I. *Deuteron. XXXII.* 40. *Vivo ego in aeternum Psalm. LXXXIX. Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, et orbis; a saeculo, et usque in saeculum tu es Deus.* Psalm. CI. *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Innumera alia sunt in Scripturis hujusmodi.

Prob. II. Patres omnes idem asserunt. Sufficiant pauci. 1.° Tertullianus *Lib. cont. Hermog. Cap.* 4. *Quis enim*, inquit, *alius Dei census, quam aeternitas?* 2.° Nyssenus *Lib. I. cont. Eunom. At vero nullius egens illa, et aeterna, omnia quae sunt, complexa natura, neque in loco est, neque in tempore.* 3.° Prosper (*in sententiis ex Augustino n.* 184.) *Vera aeternitas*, inquit, *Dei est, qui solus habet immortalitatem, quoniam ex nulla specie, motuve mutatur, nec temporalis est voluntatis. Non enim immortalis est voluntas, quae alia, et alia est* (a).

Prob.

(a) Addi possunt Tertullianus *Lib. cont. Marcion. Cap.* 3. Nazianzenus *Orat. XXXVIII.* Dionysius *de divin. nom. Cap.*

Prob. III. ratione. 1.° Deus est ens a se, ac proinde necessarium. Ergo aeternus est. 2.° Est immutabilis; atqui quod est immutabile, nec initium, nec finem, nec successionem habere potest. *Summum bonum*, inquit Augustinus (*Lib. de natura boni*) *quo superius non est Deus est, ac per hoc incommutabile bonum est, et ideo vere aeternum, et vere immortale.* Quod et agnoverunt gentiles philosophi. *Plutarchus* (*Lib. de ei apud Delphos*) *Est Deus in nullo tempore, sed in aeternitate, cujus nihil est prius, nihil posterius, neque futurum, neque praeteritum, at solum est per se revera ens, quod neque fuit, neque futurum est.* Unde Boëtius *Lib. V. De consol. Pros.* 6. *Deum*, inquit, *aeternum esse, omnium ratione utentium commune judicium est.* Ergo etc. 3.° Tempus non est, nisi in mente nostra, quae rerum mutabilium, vel suarum cogitationum successionem notat, unde inquit Poëta: *Tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis Consequitur sensus transactum quid sit in aevo; Tum quae res instet* etc. Ergo in Deo, in quo nulla est mobilitas, nulla successio cogitationum, non est tempus, sed aeternitas.

Objectiones.

Objic. I. In Deo sunt differentiae temporis, *Joan. I.* 1. *In principio erat Verbum.* Apoc. I. 4. *Qui est, et qui erat, et qui venturus est.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Sunt differentiae temporis *formaliter*(a) *neg. Eminenter*, *conc.* quatenus scilicet aeternitate sua omnia tempora complectitur, et ipse immobilis cunctarum rerum mobilitatem sub se intuetur, et regit. Unde Augustinus *Tract. XCIX. in Joan. Quamvis*, inquit, *natura illa ineffabilis non recipiat fuit, et erit, sed*

Cap. 5. Gregorius M. *Lib. IX. Moral. Cap.* 26. *et alibi.* Isidorus *Lib. I. Sentent. Cap.* 8. etc. Vide Petavium *Lib. III. Cap.* 3. *et* 4. ubi etiam *Thaletis*, *Platonis*, *Procli*, *Plotini* loca recitat.

(a) *Formaliter* apud Scholasticos significat quod est secundum propriam rei formam, sive essentiam, ac naturam.

sed tantum est, ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest; tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas, et nostra mobilitas, non mendaciter dicimus fuit, erit, et est . . . . fuit, quia numquam defuit, erit, quia numquam deerit, est, quia semper est.

Inst. 1.° Cum dicitur *erat Verbum* significatur, generationem Verbi jam factam, non fieri hodie, alioquin Verbum non esset ab aeterno. Ergo differentiae temporum sunt in Deo *formaliter*.

℟. *Dist. ant.* Significatur, generationem Verbi non fieri *hodie*, si illud *hodie* usurpetur ad excludenda praecedentia tempora, *conc.* Si ad significandam rei perpetuam durationem, et praesentiam, quae est hodie, sicut ab aeterno fuit, *nego.* Manet enim; et in aeternum manebit actus ille, quo Pater ab aeterno generat Verbum, unde etiam dicitur *Psalmo II. Ego hodie genui te*, quem in locum apposite Petrus Damiani *Epist. IV. Cap.* 8. *Omnia*, inquit, *quae apud nos elabendo discurrunt, apud illud hodie stant, et immobiliter perseverant. In illo hodie dies adhuc immobilis est, in quo mundus iste sumsit exordium: in illo jam et ille nihilominus est, in quo judicandus est per aeterni judicis aequitatem.* Utitur autem Scriptura verbo praeteriti temporis, ut significet, generationem esse ab aeterno perfectam, et ut Scholae loquuntur, semper in *facto esse*, numquam *in fieri.*

Inst. 2.° Generatio Verbi, ipseque Deus hodie plus duravit, quam ante mille annos. Ergo ejus duratio *suscipit magis*, et *minus*, quae sunt differentiae temporis.

Dist. ant. Plus duravit per novam ad illum relationem creaturarum, quae mutantur, *conc.* per novam accessionem sibi intrinsecus factam, *neg.* Quemadmodum enim columna, in littore fluminis erecta, nihil novi adquirit ex eo, quod novae in dies aquae prope eam labuntur, sed tota mutatio in aquis est, quae semper novam ad ipsam columnam adquirunt relationem; ita Deus.

PRO-

PROPOSITIO II.

Æternitas, modo superius explicato, ita est Dei propria, ut creaturis non possit convenire. Est dogma fidei.

Prob. Æternitas est tota simul, et perfecta possessio vitae interminabilis; ac proinde perfectam complectitur immutabilitatem, ut supra diximus. Atqui haec perfecta immutabilitas nulli creaturae convenire potest: Omnis enim creatura transivit a *non esse ad esse*; transire potest *ab esse ad non esse*, et mutari potest momentis singulis vel proprio corporum motu, vel motu suarum cogitationum, si sit creatura spiritalis, cujus durationem Theologi aevum appellant. Ergo etc. Hinc Patres 1.° contra Arianos concludunt, Verbum esse Deum, ex eo quod est aeternum; 2.° solum Deum vere esse immortalem, ut inquit Apostolus *I. Tim. VI.* 16. non modo quia solus id habet a seipso, verum etiam, quia omnis creaturarum mutatio *quaedam mortis imitatio est*, ut inquit Bernardus *Serm. LXXXI. in Cant.*, et ipsa mutabilitas *mors quaedam est*, ut ait Gregorius *Lib. XII. Moral. Cap.* 17. *In omni enim mutabili natura nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid in ea non esse, quod erat*, ut observat Augustinus *Lib. III. cont. Maximin. Cap.* 12.

Corollarium.

Quoniam nihil creatum aeternum est; profecto si mentis nostrae oculis adsidue obversaretur aeternitas, nihil esset in mundo, quod nos aut frangeret, aut attolleret, aut alliceret. Unde Gregorius M. *Lib. XVIII. Mor. Quisquis*, inquit, *in solo aeternitatis desiderio figitur, nec prosperitate attollitur, nec adversitate quassatur, dum nihil habet in mundo, quod appetat.* Quis enim appetat ea, quae velut umbra evanescunt, et licet diu ardenter expetita *ante absunt pene, quam veniant, et cum venerint stare non possunt?* ut loquitur Augustinus *in Psal. XXXVIII.*

Scho-

Scholion.

Disputant Scholastici, utrum Mundus a Deo condi potuerit ab aeterno. Verisimilior quidem est eorum sententia, qui negant. Creatura enim est ab alio, est ex nihilo, ac proinde semper mente concipi debet *instans*, sive momentum, quando non erat. Ergo repugnat esse ab aeterno. Athanasius *Lib. II. cont. Arianos*: *Tametsi*, inquit, *Deus possit semper facere, at res creatas aeternas esse facere non potest: quippe ex non extantibus sunt, et non erant, antequam fierent. Quae autem non sunt, antequam fiant, quonam poterant cum Deo, qui semper est, existere?* Sed etsi demus, id fieri potuisse, quod suo loco expendemus, non sequeretur, mundum esse aeternum (ut falso asseruit *Aristoteles*, et quidam *Platonici*) propter rationes superius explicatas. Esset igitur ab aeterno, sed in tempore, quia mutabilis.

II. Quaerunt etiam anxie Scholastici, utrum aeternitas possit dici duratio, et mensura *esse divini*. Nos, si ab hisce vocabulis removeantur defectus quos includit durationis nomen in rebus mobilibus quae successionis capaces sunt, et notio mensurae in rebus finitis, quae mensura terminantur, non abnuimus, posse aeternitatem dici et durationem Entis immutabilis, et mensuram infinitam Entis infiniti. Vide si libet, *Gonetum Tom. I. Disp. IV. art. 7.*

C A P. VIII.

De immensitate Dei.

Adv. I. IMmensitas est virtus existendi infinitis locis. Potest autem res triplici modo alicubi esse, 1.° per substantiam, ut sol in caelo, 2.° per potentiam, ut idem sol in visceribus terrae, in quibus causa suo operatur; 3.° per praesentiam, cum videt quae in loco fiunt.

II. Rursus res potest alicubi esse per substantiam triplici ratione. *Circumscripte*, sive *Circumscriptive*, ut

ut ajunt, quando scilicet ita extenditur cum spatio, ut singulae ejus partes singulis spatii partibus respondeant, quod proprie est corporum: 2.° *Definitive*, cum tota est in toto, et tota in qualibet totius parte, nec tamen est alibi, ut anima rationalis in corpore, 3.° *Repletive*, quando scilicet non uno loco definitur, sed omnia loca replet, et continet; quod proprie Dei est.

III. Dei substantiam esse ubique, inficiati sunt 1.° non solum Gentiles, qui creaturas colebant ut Deos, verum etiam Judaei nonnulli crassiores, qui, teste Hieronymo *in Cap. LXVI. Isaiae*; incomprehensibilem Deum templo Hierosolymitano includi arbitrabantur; 2.° *Seuchus Eugubinus in Psalm. CXXXVIII.*, qui Deum per substantiam tantum in Caelo esse putat, in reliquis autem locis per praesentiam, et potentiam; quem errorem secutus est *Vorstius Calvinista*. Sociniani *in Apologia Confessionis editae anno* 1650. *Crellius Lib. de Deo cap.* 27. *Episcopius Lib. IV. Instit. Sect.* 2. *de Deo cap.* 8 id saltem dubium esse putant. *Erasmus* quoque, teste eodem *Vorstio*, dubitabat, an Deus in locis immundis esset per substantiam. Sed non videtur ille in hac dubitatione versatus.

IV. Disputant Scholastici, *per quid* Deus *formaliter* sit in loco. Thomistae docent, Deum esse *formaliter* ubique per operationem *ad extra*; aliis placet, Deum esse in loco per sui *indistantiam* (ut ajunt) a rebus creatis.

PROPOSITIO I.

Dogma fidei est, Deum esse ubique non solum per praesentiam, et potentiam, verum etiam per substantiam.

Prob. I. *ex Scriptura. Deuteron. IV.* 39. *Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in caelo sursum, et in terra deorsum.* Job. XI. 7. *Excelsior caelo, profundior inferno, longior terra, latior mari.* Psalm. CXXXVIII. *Quo ibo a Spiritu tuo. et quo a facie tua fugiam? si ascendero in caelum, tu illic*

illic es, si descendero in infernum, ades. Jerem. XXIII. 24. *Numquid non caelum, et terram ego impleo, dicit Dominus?* Act. XVII. 27. *Non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.* Ergo.

Prob. II. ex traditione. Longum esset loca Patrum proferre. 1.° Augustinus *Lib. VIII de Gen. ad lit.* cap. 26. *Deus est*, inquit, *extra omnia non exclusus, intra omnia non inclusus, supra omnia non elatus, subter omnia non depressus, interior omni rei, quia in ipso sunt omnia, exterior omni rei, quia ipse est super omnia.* 2.° Origenes *Hom.* XII. *in Genes. Nonne ubique est Deus? nonne ipse dixit: caelum, et terram repleo, dicit Dominus?* 3.° Chrysostomus *in Psalm. CXII.* in ea verba: *quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat etc. Non enim*, inquit, *tamquam caelo inclusus respicit eminus quae fiunt in terra, sed ubique praesens, et omnibus assistens.* Supervacaneum est citare reliquos, qui omnes idem docent, cum hanc veritatem cognoverint quidam ex ipsis Ethnicis philosophis. Seneca *Lib. de beneficiis cap.* 8. *Quocumque*, inquit, *te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. Nihil ab illo vacat, opus suum ipse implet* (*a*).

Prob. III. ratione. Deus ubique agit, et operatur. Quidquid enim est, ab illo est, et conservatur. At Dei operatio ab ejus essentia, et substantia distincta non est, ut supra probavimus. Ergo ubique per substantiam praesens est. Adde, quod Deus est, quo nihil majus cogitari potest. Non esset autem hujusmodi, si non ubique per substantiam praesens esset, ut patet. Ergo.

(a) V. alia *Zenonis*, *Procli*, *Empedoclis* loca apud Huetium *in Alnetanis Lib. II. Cap.* 7, Grotium *in Cap. XVII. Act.*

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Scriptura Deum in caelo esse docet, *Psalm. CXIII. Deus autem noster in caelo ..... Caelum caeli Domino terram autem dedit filiis hominum*; et *Psalm.* ● *Dominus in templo sancto suo, Dominus in caelo sedes ejus*; quae verba videntur innuere, Deum esse in caelo non in terra, quam filiis hominum reliquit. Ergo.

℟. *Dist ant.* Scriptura docet, Deum esse in caelo peculiari quadam ratione, quod ibi potentiam, bonitatem, et majestatem suam plenius ostendat, *conc.* Quod alibi non sit, *neg.* Ita Bernardus *Serm. I. in Psalm. Qui habitat*: *Licet*, inquit, *Deum ubique esse non dubitem*; *sic tamen in caelo est, ut ad ejus comparationem nec esse videatur in terris. Propter quod orantes dicimus: Pater noster, qui es in caelis. Sicut enim anima, cum in toto quoque sit corpore, excellentius tamen, et singularius est in capite, in quo sunt omnes sensus . . . . ita etc.* Similia docent Damascenus *Lib. I. Cap.* 13. aliique PP.

Inst. Genes. XI. 5. *Descendit Dominus, ut videret civitatem*, non est ergo ubique qui de loco in locum migrat. Item *Genes. III.* 8. Adam *abscondit se a facie Domini*, *Gen. IV.* 16. *Cain egressus est a facie Domini.* Jonae *I.* 3. *Fugit Jonas a facie Domini.* Genes. XXV. 22. *Rebecca perrexit ut consuleret Dominum.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Haec enim per metaphoram dicta sunt ad Dei operationem significandam; tunc quippe accedere dicitur Deus, vel recedere cum vel novam operationem ostendit, vel ea cessat. Item in Scripturis a facie Domini fugere dicuntur, qui ab eo loco recedunt, ubi Deus majestatis suae praesentiam per operationem aliquam ostendit; et contraria ratione ad Deum accedere. Ceterum non locorum spatiis ad Deum pergimus, vel ab eo recedimus, sed affectibus animorum. *Quo enim ibimus a spiritu ejus? Ps. CXXXVIII.*

Objic. II. Deus inhabitat in justis, et absurdum est

est dicere, eum habitare in daemonibus, aut in locis obscenis, et immundis. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Habitat in justis, et non in daemonibus per inhabitantem Spiritum Sanctum, et gratiam, *conc.* Per substantiam tantum, per quam est ubique, *neg.* Augustinus *Epist. CLXXXVII. al. LVII. Fatendum est*, inquit, *ubique esse Deum per divinitatis praesentiam, et non ubique per inhabitationis gratiam.* In locis autem obscenis, et immundis longe minus maculatur Deus, quam radii solis, qui eadem loca pervadunt.

Objic. III. Si Deus esset ubique, extensus esset. Atqui non est extensus. Ergo. Hinc Patres nonnulli docent, Deum *nullibi esse*, hoc est non esse in loco, ut Chrysostomus *Homil. V. in Epist. ad Coloss.* alii docent, eum non esse *ubique diffusum*, ut Clemens Alex. *Lib. V. Strom.* et Lactantius *Lib. VII. Instit. Et Lib. de Opificio Dei cap.* 16.

Dist. maj. Esset extensus, si esset ubique more corporum, et eo sensu docent Patres, eum non esse in loco *circumscriptive*, aut *definitive*, *conc.* Si esset ubique more spirituum, sicut anima rationalis extensionis expers in toto corpore est, quod regit, et movet, *neg.* Hinc Augustinus *Epist. CLXXXVII. al LVII. In eo*, inquit, *quod dicitur Deus per cuncta diffusus, carnali resistendum est cogitationi, ne quasi sic spatiosa magnitudine cogitemus Deum per cuncta diffundi: sed sic est per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, et sine onere continens mundum.* De *Lactantio*, non desunt qui eum in errore versatum esse fatentur, quod nobis non incommodat. Sed potest defendi distinctione supra posita. Ait enim ipse in *Lib. de Opificio Dei Cap.* 16. unde objectio sumta est. *Divina mens Dei per universas mundi partes intenta, omnia regit, ... ubique praesens, ubique diffusa.*

Scholion.

Cogitatio immensitatis Dei, ubique praesentis, magnum est virtutis incitamentum, fraenumque vitiorum. *Hac enim ratione fit, ut quis numquam labatur, si Deum sibi semper adesse recogitet*, inquit Clemens Alex. *Lib. III. Paed. Cap.* 5.

PROPOSITIO II.

Verisimilius est, Deum esse ubique praesentem per operationem ad extra.

Prob. I. Scriptura exprimit praesentiam Dei in rebus per ejus operationem. *Act. XVII.* 27. *Non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.* II. Idem docent PP. Tertullianus *Lib. cont. Prax. cap.* 23. *Ceterum*, inquit, *scimus, Deum etiam intra abyssos esse, et ubique consistere, sed vi, et potestate.* III. Ideo Deus rebus omnibus praesens adest, quia eas creavit, et servat; si enim ab hac operatione cessaret, nec res existerent; ac proinde nec in ipsis esset Deus. Ergo.

PROPOSITIO III.

Deus non est in spatiis imaginariis, quae a nobis mente concipiuntur extra universum.

Prob. Ibi Deus non est, ubi non operatur; sive enim *formaliter* sit alicubi per operationem, quod verisimilius esse supra diximus; sive operatio sequatur ejus presentiam in loco, certum est apud omnes, Deum non esse ubi non operatur. Atqui in spatiis *imaginariis* non operatur. Spatia enim haec non existunt, sed sunt *feriantis ingenii figmenta*, ut loquitur *Augustinus Lib. XI. de Civ. cap* 5. Ergo.

Dices. Si Deus in spatiis illis non esset, plura sequerentur absurda; 1.° Deus esset in hoc mundo tantum, et non alibi, ac proinde non esset immensus; 2.° Si

2.° Si Deus aliud crearet extra mundum, tunc ibi inciperet existere, ubi ante non erat, ac proinde mutabilis esset. 3.° Si duo corpora a se invicem distantia crearet in spatiis illis, in ambobus existeret, nec tamen esset in interjecto spatio, ideoque esset dividuus. Ergo.

℟. *Neg. seq. ant.* Nullum scilicet absurdum ex illis sequitur. Deus enim, ut sit immensus, non indiget, ut *actu* repleat infinita loca, alioquin locus esset ens necessarium; sed satis est, ut existat in seipso, habens potestatem infinita loca creandi, conservandi, et replendi. Sicut ergo antequam mundum conderet, immensus erat, etsi *solus Deus erat ipse sibi, et mundus, et locus, et omnia*, ut ait Tertullianus (*contra Prax. cap.* 5.) ita post mundum conditum, non includitur mundo, sed *excelsior caelo est Job. XXII.* 12., et extra mundum in seipso est. Nec continetur Deus loco, sed potius continet locum. Et sicut, cum mundum creavit, non est ipse mutatus, incipiens esse ubi non erat, sed creatura mutata est, incipiens esse, quae non erat, ita si alium crearet mundum, etiam si ponatur ab hoc mundo distans, tota mutatio, et divisio non in Deo esset, sed in effectu, nempe in creatura.

Scholion.

Si qui sunt, qui spatium non solum in mente nostra, sed revera extra mundum extare putant, quod philosophis examinandum relinquimus, ii merito Deum revera in illis spatiis esse docent.

CAP. IX.

De invisibilitate, et incomprehensibilitate Dei.

Adv. I. Cum Apostolus *I. Tim. I.* 17. dicat, Deum esse invisibilem: *Regi saeculorum immortali et invisibili*: et Christus in Evangelio *Matth. V.* 8. mundis corde visionem Dei promittat: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*; hinc qua ratio-

ne Deus invisibilis, qua ratione visibilis dicatur, explicandum est.

II. Quoniam autem videre dicimur non solum ea, quae corporeis oculis contuemur, sed etiam quae intellectu cognoscimus, unde ait Cicero *Lib. VI. Epist.* 13. *Idem exitus, quem ego tam video animo, quam quae oculis cernimus*; hinc quaeritur, utrum Deus visibilis, an invisibilis sit utroque modo.

III. Rursus visio haec intellectus, duplex in Scholis distinguitur, altera imperfectior, et veluti obliqua, quam barbare *abstractivam* vocant, nos naturalem possumus dicere; altera clarior, et directa, quam dicunt *intuitivam*, quamque visionem claram, aut beatam appellabimus. Prior est, qua res non videtur ipsa per se, sed cognoscitur per effectum, sicut videmus praesentem hominis animam per motus corporis, solem per lucem, seu calorem, et *invisibilia Dei per ea, quae facta sunt*. Altera vero, seu clara et intuitiva est, qua res videtur in seipsa, sicut cum ipsum solem directe aspicimus.

IV. Verum haec posterior visio iterum duplex est: altera, quae simpliciter *intuitiva* dicitur, qua scilicet res tota videtur, sed non omni ea perspicuitate, qua a Deo cognoscitur; altera exquisitissima, quam Graeci καταληψιν, περιληψιν, περιγραφην, Latini *comprehensionem*, Scholastici *visionem comprehensivam* vocant, qua scilicet res ex toto ita clare, et distincte percipitur, ut cognitio totam ejus magnitudinem exaequet, et exhauriat, ac circumscribat. Praeclare Augustinus *Epist. XCII. Aliud est*, inquit, *videre, aliud totum videndo, comprehendere: Quandoquidem id videtur, quod praesens utcumque sentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt*; addunt recentiores Theologi, ut tantum res videatur, quantum in se visibilis, et *cognoscibilis* est.

V. Varii autem hac in re, et oppositi fuerunt errores. Nonnulli enim, de quibus Augustinus *Ep. XCIII. al. VI. et CXLVIII. al. CXI.* asserebant, Deum a beatis oculo corporis aliquando videndum; nec defuerunt Theologi, ut *Greg. Valentia*, qui id, saltem

ex

ex Dei absoluta potestate, possibile statuunt. At alii e contrario Deum, ut in se est, ne mente quidem; seu intellectu divina ope roborato, clare cognosci posse affirmarunt, ut quidam obscuri nominis apud Gregorium M. *Lib. XVIII. Moral. cap.* 54. Armeni apud Armachanum *Lib. XIV. de Quaestionib. Armen. Cap.* 1. et *Palamitae*, seu *Gregorii Palamae* discipuli apud Petavium *Lib. VII. Cap.* 7. *Anomoei* vero Saec. IV. et *Beguardi* Saec. XIV. asserebant, Deum etiam per vires naturae clare cognosci posse, imo et perfecte comprehendi juxta Anomoeos (Beguardi enim non videntur comprehensionem agnovisse). Nonnulli visionem illam claram aliquibus sanctis, etiam in hac vita, concessam esse putarunt, *ex. gr.* Moysi, Paulo. Ita censet cum aliis S. Thomas *I. P. Q. XII. art.* 11. *ad* 3.; at alii, ne in altera quidem vita, sanctis concessam esse ajunt, sed differri ad extremum judicii diem. Ita sensit IV. Saec. *Vigilantius*, teste *Hieronymo*, et Saec. XVI. *Lutherus Praelect. in Gen. Calvinus Lib. IV. Instit. cap.* 25. §. 6. Sociniani *in Vindiciis Christianae Confes. cap.* 25. In eumdem errorem inclinavit, vel lapsus est *Joan. XXII.*

VI. Celebris etiam est hac in re error *Millenariorum*, qui sic dicti sunt, quod crederent, post resurrectionem Sanctos regnaturos cum Christo, in terra mille annis: qui quidem divisi sunt in partes duas. Primi post infamem *Cerinthum* putarunt, hos mille annos traducendos inter epulas, et libidines, tumque restituendum Templum, et Mosaicos ritus, ut testatur Eusebius *Lib. III. Hist. Cap.* 28. alii vero post *Papiam* Hierapolitanum, qui cum Joannis auditor fuerit, multos in suam sententiam traxit; innoxias tantum, sanctasque delicias in hoc millenario regno fore affirmabant, easque nonnulli putabant futuras tantummodo spirituales; alii corporeas etiam, modo tamen essent licitae, non respuebant; nec censendi sunt haeretici, quia versabantur in errore nondum ab Ecclesia damnato. *Tertullianus* (qui etiam in hoc erravit) a communi lege excipiebat martyres, quos statim a morte cum Christo gaudere, et regnare docuit.

VII.

VII. Nos octo articulis rem totam breviter tractabimus. 1.° Utrum Deus clare, seu *intuitive* videri possit oculo corporis; 2.° utrum intellectu; 3.° utrum aliqui in hac vita Deum clare viderint; 4.° utrum sancti plene purgati, jam nunc clare Deum videant; 5.° an admittendum sit regnum millenarium; 6.° Quomodo beati Deum clare videant; 7.° quid videant; 8.° utrum aequaliter omnes videant.

§. I.

Utrum Deus oculo corporis videri possit.

PROPOSITIO

Deus non potest oculis corporeis ne supernaturaliter quidem videri.

Prob. I. ex *Script. I. Tim. VI.* 16 *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*: quae verba de oculis corporis praecipue intelligenda sunt, non solum propter obvium sensum, sed etiam propter communem PP. interpretationem, *Origenis*, *Hieronymi*, *Athanasii* apud *Augustinum Epist. CXLVIII. al. CXI.*

Prob. II. ex PP. 1.° *Cyrillus* Hieros. *Cathec. IX. Carnis quidem oculis*, inquit, *cernere Deum impossibile est; quod enim incorporeum est, sub carnis oculos cadere non potest.* 2.° Fulgentius *Epist. XIV. ad Ferrandum*: *Hoc quippe habent oculi corporis, ut non solum corpora non videant, sed nec videre possint, si non inter ipsos, et ea, quae vident, spatii cujusquam media intervalla fuerint .... Quisquis ergo putat, Deum posse oculis corporalibus cerni, prius est, ut ipsum dicat ab ipsis oculis corporali spatio separari.* 3.° Augustinus *Epist. XCII. al. VI.* idem probat ex eo quod alioqui Deus sicut oculis, ita aliis etiam sensibus percipi posset, quod est absurdum. *Sonus ergo erit Deus, ut possit etiam auribus percipi? et halitus erit, ut sentiri possit olfactu? et liquor aliquis erit, ut possit et bibi? et moles erit, ut possit et tangi? Non, inquiunt. Quid ergo? an illud potest Deus, et hoc non potest? ..... cur solis oculis fa-*

favent, invident autem ceteris sensibus? ...... an quousque volunt desipiunt? Quibus verbis laudati PP. rationes etiam indicant, cur Deus oculis corporeis videri non possit.

Objicies. Job. XIX. 26.: *in carne*, inquit, *mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Deum Redemtorem incarnatum, *conc.* Deum in propria divinitatis substantia, *neg.* Ita Augustinus *Lib. XXII. De Civ. Cap.* 29. qui et aliam ibidem hujus loci explanationem tradit: *Et in carne, inquit, mea videbo Deum, resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetavit; non tamen dixit: per carnem meam. Aliud quippe est videre in carne, aliud videre per carnem.*

Inst. Idem Augustinus *Epist. CXLVIII.*, *et alibi*, videtur dubius utrum oculi corporis in resurrectione eleventur ad videndum Deum. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Videtur dubius utrum oculi corporis ad hoc eleventur, mutata aliquatenus eorum natura, *conc.* Ea retenta, *neg.* Constanter enim asseruit, oculos corporis, ut nunc sunt, videre Deum non posse. Sed quia vidit, Episcopum quendam contraria sentientem, aliquatenus offensum; mirando charitatis, et pacis exemplo ita temperavit sententiam, ut in dubio relinqueret, utrum oculi corporis in resurrectione ita spiritales efficiantur (juxta illud Apostoli *surget corpus spirituale*) ut Deum videre possint: sed in hac ipsa dubitatione in partem negantem propendet tum in laudata Epistola, tum in *Lib. XXII. de Civ.* ubi uberius rem tractat. Illud certum est, longe clarius tunc videri per corpora Deum, quam nunc invisibilia ejus conspiciuntur per ea, quae facta sunt, ut S. Thomas observat *P. I. Q. XII. art.* 3. Ait enim Augustinus: *Quamobrem fieri potest, valdeque credibile est, sic nos visuros mundana tunc corpora caeli novi, et terrae novae, ut Deum ubique praesentem, et universa etiam corporalia gubernantem, per corpora quae gestabimus, et quae conspiciemus, quaquaversum oculos duxerimus, clarissima perspicuitate videamus, sicut videmus praesentem hominis animam per corporis motus.*

§. II.

§. II.

Utrum Deus ab intellectu creato clare videri possit, et comprehendi.

Adv. Quod supra *Cap. II.* demonstravimus, Dei essentiam hic a nobis naturaliter cognosci non posse, id nunc plenius pertractandum est, et ad omnem creatum spiritum, et intellectum est extendendum. Deinde inspiciendum, utrum id fieri possit supernaturali auxilio. Qua in re jam diximus, duos fuisse contrarios haereticorum errores, 1.° Eunomianorum, qui jactabant, se naturae viribus claram Dei habere notitiam, imo, et comprehensionem, quam scilicet Deus de seipso habet; quam stultitiam commemorant Epiphanius *Haeres LXXVI.* Basilius *Lib. I. cont. Eunom.* quibus haereticis ex parte adhaeserunt Saec. XIV. Beguardi in Concilio Viennensi damnati, teste Clemente V. *Clementin. Ad nostrum Lib. V. tit.* 3. 2.° Armenorum, Palamitarum, et aliorum, qui ne per gratiam quidem fieri posse claram Dei visionem, affirmabant.

PROPOSITIO I.

Visio Dei clara, sive intuitiva non est intellectui creato naturaliter possibilis. Dogma fidei est.

Prob. I. ex Scrip. quae visionem Dei auxilio supernaturali attribuit. *Joan. XIV.* 21. *Qui diligit me .... manifestabo ei meipsum.* Rom. VI. 23. *Gratia Dei vita aeterna*, quae vita utique in clara Dei cognitione sita est, ut ait Christus *Joan. XVII.* 3. *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* I. Tim. VI. 16. *Lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Quae verba generatim dicta, non solum de visione oculorum, ut obvius habet sensus, sed de quacumque visione intelligenda esse, Patres docent, illa tantummodo excepta, quam ipsae Scri-

Scripturae per supernaturale auxilium pollicentur electis. Ergo etc.

Prob. II. ex PP. qui ante *Eunomium* scripserunt; nam eos, qui data opera *Eunomium* confutarunt, certum est, hunc errorem damnasse, ut *Basilium*, *Gregorium Nazianzenum*, et *Nyssenum*, *Chrysostomum*, aliosq. 1.° *Irenaeus Lib. IV. cap. 37. Videbitur*, inquit, *Deus in regno caelorum*, *spiritu praeparante hominem in filium Dei* 2.° Origenes *Lib. I. Peri Arch. cap. 1. Mens nostra ipsum per se Deum*, *sicut est*, *non potest intueri*. 3.° Tertullianus *Apolog. cap. 17. Quod immensum est*, *soli sibi notum est*. Ergo etc.

Prob. III. ratione duplici, prima quidem S. Thomae *I. P. Q. XII. art.* 4. Omnis cognitio naturalis in cognoscente est, non secundum *objecti* naturam; sed secundum naturae cognoscentis modum, quia operatio naturam operantis sequitur. Ideoque nec Angeli substantiam videre possumus, etsi Angelis non multum minores simus, ut advertit Chrysostomus *Orat. V. cont. Anom.* Cum ergo Dei natura cujuscumque intellectus naturam infinite excedat, quia Deus est *suum esse* subsistens; nulla autem creatura talis est; consequens est, ut videre Dei naturam, ut in se est, non possit esse, nisi soli intellectui Divino naturale. Altera vero ratio est, quod nihil intellectus videre possit, nisi *objectum* non modo sit praesens, verum etiam aliquo modo illum ad sui perceptionem excitet, Haec autem excitatio actio Dei est, et quidem libera. nulla vero creatura naturaliter efficere potest, ut Deus ubique praesens illam ad sui perceptionem moveat, et excitet. Ergo.

Objic. Intellectus creatus naturaliter desiderat videre Deum, ut in se est, eaque visio est naturalis ejus finis. Ergo Deum naturaliter videre potest; Deus enim unicuique creaturae dedit instrumenta naturalia, quibus finem suum naturalem posset attingere.

℟. *Transeat ant. neg. cons.* Licet enim ponamus, claram visionem Dei esse finem hominis naturalem, qua in re variae sunt Theologorum sententiae, ut alibi dicemus, non sequitur, ad hanc visionem pares esse

esse naturales vires; sed hoc ad dignitatem intelligentis naturae pertinet, ut ad imaginem Dei effecta, ad eum finem sit naturaliter ordinata, ad quem non possit, nisi supernaturali auxilio pervenire. Nec Deus deficit in necessariis, quia supernaturale hoc auxilium a principio homini dedit, et licet homo ipse per peccatum eo se reddiderit indignum, Deus tamen per merita Salvatoris adhuc paratus est dare.

Inst. Deus est objectum maxime intelligibile. Potest igitur intellectus naturali virtute illud attingere.

℟. *Dist. ant.* Est objectum maxime intelligibile, sed infinitum, et libere movens intellectum ad sui perceptionem, *conc.* Secus, *neg.* Responsio patet ex iis, quae supra dicta sunt.

Scholion.

I. Cum non possit Deus naturaliter videri, ut in se est, fit hinc, neque per fidem id fieri posse, primo quidem quia repugnat, per fidem videri Deum ut in se est, cum fides sit non apparentium. *Heb. XI.* 1. imo et per visionem fides ipsa evanescat ex Apostolo: deinde vero, quia licet assensus fidei supernaturalis sit, ipsa tamen perceptio eorum, quae fide credenda proponuntur, naturalis esse potest, atque ideo si naturaliter non possumus ut in se est videre Deum, nec per fidem possumus. Et certe *Anomoei*, ut ostendit *Petavius* cum asserebant, posse a nobis clare Deum videri, ajebant id fieri, posita fide.

II. Solent hic Scholastici movere quaestionem; utrum possit Deus creaturam spiritalem efficere, quae naturali virtute eum clare videat, qua in quaestione in contraria studia scinduntur. *Durandus*, aliique affirmant; Thomistae passim negant; et quidem, ut videtur, verisimilius; rationes enim supra positae ostendunt, repugnare naturae creatae naturalem Dei visionem. Ceterum semper periculose definimus hebe-

beri ingenio nostro quid omnipotentia sua efficere possit, quid non possit Deus, nisi cum manifesta rerum repugnantia cernitur. V. Gonet. *Tract. II. De Deo Uno. Disp. I. art.* 1. §. 3.

PROPOSITIO II.

Dogma fidei est, beatos clare, seu intuitive Deum videre, atque ideo visionem hanc esse supernaturaliter intellectui creato possibilem.

Prob. I. Matth. V. 8. Ait Christus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: et *Matth. XVIII.* 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est*: quod erit commune etiam hominibus, de quibus ait Christus *Matth. XXII.* 30. *erunt sicut Angeli Dei.* Et Apostolus *I. Cor. XIII.* 12. *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* Et *I. Joan. III.* 2. *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus. quoniam videbimus eum sicuti est.* Ergo etc.

Prob. II. ex unanimi PP. consensu. 1.° Irenaeus *Lib. IV. cap.* 37. *Homines*, inquit, *videbunt Deum, et vivent per visionem, immortales facti, et pertingentes usque in Deum.* 2.° Augustinus *Epist. CXLVII. al. CXII.* in ea verba Apostoli: *Regi saeculorum immortali, et invisibili. Invisibili*, inquit, *non in saecula saeculorum, sed tantum in hoc saeculo.* 3.° Qui seriem traditionis concludit Bernardus *Serm. IV. in festo omn. Sanct. Tripliciter in aeterna illa, et perfecta beatitudine fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis* (scilicet longe perfectius, quam nunc eum videamus, ut supra notavimus ex Augustino *Lib. XXII. de Civ. cap.* 29.) *habentes eum in nobis ipsis, et quod longe jucundius sit, atque beatius, ipsam quo-*

quoque cognoscentes in semetipsa Trinitatem, et gloriam illam sine aenigmate mundo cordis oculo contemplantes (a).

Prob. III ex definitione Concilii Florentini *Sess. XXVI. in Decreto unionis*, in quo, post Benedictum XII. *in Extravag. Benedictus Deus*, declaratum est, animas piorum *intueri clare ipsum Deum trinum, et unum, sicut est.*

Prob. IV. ratione; tum quia desiderium videndi Deum, sive illud ab ipsa natura sit inditum, sive ita a natura comparati simus, ut eo omnes flagremus, simul ac Deum esse novimus, omnino frustra esse non potest, quo argumento utitur Augustinus *Epist. CXII.* tum quia intellectus, saltem per Dei auxilium, potest cognoscere objectum, quod est per se intelligibile; Deus autem maxime intelligibile objectum est. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Sacrae litterae absolute pronunciant, Deum esse invisibilem. *I. Tim. V.* 17. *Regi saeculorum immortali, et invisibili.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Est invisibilis oculo corporis, ex *Origene*, vel intellectui naturae viribus, ex *Nazianzeno*, et *Nysseno*, vel etiam ex gratia est invisibilis visione exquisita, sive comprehensione, ex *Ambrosio*, et *Augustino*, *conc.* Est invisibilis visione clara, seu *intuitiva* per gratiam; *neg.* Etsi enim Apostoli verba absoluta sint; tamen cum ipsa Scriptura, imo ipse Apostolus, polliceatur electis visionem Dei *facie ad faciem*; *sicuti est*, etc. eo sensu intelligendum est, Deum esse invisibilem, qui huic promissae visioni non sit contrarius.

Inst.

(a) Add. Clemens Alex. *Lib. V. Strom.* Nazianzenus *Orat. XXXIV.* Auctor *Lib. de Trinit. inter Opp. Tertull. cap.* 26. Ambrosius *Comment. in Luc. Lib. III.* Augustinus *Ep. CXI. et CXIII. et al.* Hieronymus *ap. August. loc. cit.* Gregorius M. *Lib. XVIII. Moral. cap.* 28. Prosper, sive Auctor *Lib. De Vita contempl. Lib. I. Cap.* 4.

Inst. Joan. I. 18. *Deum nemo vidit umquam: Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*: et *Joan. VI.* 46. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo.*

℟. *Dist. ant.* Nemo hominum, *conc.* tunc enim nulli hominum adhuc janua regni caelorum patuerat. Nemo angelorum, *subdist.* visione perfectissima, sive comprehensione, qualis est visio, quam habet Unigenitus, qui est in sinu Patris, *conc.* Visione *intuitiva, neg.* Ita Chrysostomus *Hom. XIV. in* Joan. *Multo amplius, inquit, quam videre, est esse in sinu Patris. Nam qui solum videt, non accuratam omnino rei visae cognitionem habet.*

Inst. Ipsi Angeli desiderant videre Deum: *in quem desiderant Angeli prospicere. I. Pet. I.* 12. Ergo non vident.

℟. Etiam posita hac lectione (exemplaria enim Graeca, complura Latina, et versio Syriaca, Ambrosius, et Isidorus Pelusiota habent non *in quem*, sed *in quae*, h. e. in mysteria redemtionis Christi, quae per Ecclesiam Angelis innotuerunt, et quotidie innotescunt) *Dist. ant.* Desiderant prospicere desiderio excludente fastidium, *conc.* Excludente praesentiam, *neg. Desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur. Et satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio accenditur*, inquit *Gregorius M. Lib. XVIII. Moral. cap.* 54.

Objic. II. Multi PP. praesertim Graeci, et praecipue *Chrysostomus*, et *Theodoretus* negant, divinam naturam esse visibilem et hominibus, et Angelis. Chrysostomus *Hom. XIV. in Joan. Id quod est Deus, non modo Prophetae non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli.* Idem saepe repetit *Homil. II. III. IV. de Incomprehensibili Dei natura.* Unde Vasquez *in I. P. Disp. XXXVII.* non dubitavit *Chrysostomum* accensere iis, qui negarunt claram Dei visionem. *Theodoretus* vero *in Cap. XIII. I.* in ea verba *tunc autem facie ad faciem*, ait: *videbimus ejus, non quae sub aspectum non cadit, naturam, sed eam, quae de nobis sumta est.* Et *Dial. I.* cum *Eutychianis*: *Si ergo nec hominibus (dico ego nec Angelis) videri po-*

test divina natura, dic quomodo in terra visus est qui cerni, et conspici non potest? Et cum concederet *Eranistes*, etiam S. Patriarchis visum esse Deum per quandam συγκατάβασιν accomodationem, sive *condescensum*, ut Scholae loquuntur, hoc est quasdam revelationes, captui eorum accomodatas; inde infert Orthodoxus: *Sic ergo de Angelis intelligamus, audientes, quod semper vident faciem Patris vestri. Non enim vident divinam substantiam, quae nec comprehendi, nec circumscribi, nec mente percipi potest, et quae universa comprehendit; sed per speciem quandam ipsorum naturae accomodatam .... Post incarnationem vero visus est etiam Angelis ..... non in similitudine gloriae, sed vero, ac vivo utens quasi velamine, carnis integumento.* Ex quo vides, *Theodoretum* non aliam visionem attribuisse Angelis ante incarnationem, quam illam, quae etiam Patriarchis per quandam revelationem data est. Similia docent Auctor *Quaestionum ad Antiochum inter Op. Athanas. cap.* 20. Basilius *Lib. I. cont. Eunom.* Gregorius uterque, Nazianzenus *Orat. XXXIV.* et Nyssenus *Orat. XII cont. Eunom.* Ambrosius (*in Luc. initio*) Hieronymus *Epist. CXLVIII. ap. August.* Cyrillus uterque, Hierosolymitanus *Cathec. VI.* et Alexandrinus *Lib. XXXII. Thesauri* et alii bene multi, quorum loca vide apud *Witassium*. Ergo.

R. *Dist. ant.* Negarunt, divinam naturam esse visibilem visione exquisita, ac perfecta, quae *comprehensio* dicitur (de qua inferius,) *conc.* Visione *intuitiva neg.* Scribebant enim praecipue contra Anomoeos, qui naturam divinam se comprehendere affirmabant, *et stulte non minus, quam impie jactitabant, se ita Deum nosse, ac Deus ipse novit*, ut inquit ipse Chrysostomus *Hom. II. De incomprehens.* Unde visi sunt adversariis quasi in oppositum errorem declinasse, sicut et *Cyrillus* contra *Nestorium* scribens, visus est *Eutychianis* negare duas in Christo naturas: et *Augustinus* peccatum originale adstruens, visus est Pelagianis ad Manichaeos deflectere; sed quamvis aliquando loqui videantur paulo durius, benigne interpretandi sunt. Cum enim nemo de hac re dubi-

ta-

taret, ita intelligi se putaverunt, quomodo in catholica Ecclesia credebatur.

Quod ad *Chrysostomum* adtinet, mira est injuria *Vasquez*, qui erroris accusat tantum doctorem, excusat vero *Anomoeos*, cum ipse titulus Homiliarum *de incomprehensibili Dei natura* demonstret, intelligendas esse de visione perfectissima, sive comprehensione. Imo ipse *Chrysostomus* se explicat, cum ait *cit. Hom.XIV. in Joan. Substantiam ejus nemo novit, nisi is, qui ex ipso natus est. Cognitionem enim hic dicit certam visionem, ac comprehensionem, qualem Pater de Filio habet*, quibus verbis cum clare statum quaestionis aperiat, nullum relinquit dubitandi locum, nisi iis, qui sunt plus aequo litigiosi. Qualis autem fuerit ejus mens de clara Dei visione, ex aliis ejus scriptis manifestum est. Sic in *Parenesi I. ad Theodor.* in ea verba Petri *Matth. XVII. Bonum est, nos hic esse : Quid*, inquit, *dicetur, quando ipsa rerum veritas aderit ? Quando apertis Regiis aedibus, ipsum Regem conspicere licebit, non ultra in aenigmate, neque per speculum, sed facie ad faciem ? non ultra per fidem, sed per speciem?* Vide Natalem Alexand. *Saec. IV. cap.* 5. *art.* 30. Petavium *Lib. VII. cap.* 5. *et* 6 Dupinum *in Biblioth.*

Idem de *Theodoreto* dicas. Disputabat contra Eutychianos, qui naturam humanam in Christo absorptam a divinitate asserebant. Probat ergo, absorptam non esse, quia aliter Christus fuisset adhuc invisibilis, sive *incomprehensibilis*, cum contra Apostolus dicat, eum fuisse visum ab hominibus, et Angelis, quod non potest intelligi de natura divina, quae *nec comprehendi, nec circumscribi, nec mente percipi potest*. Ergo de humana. Quibus verbis satis ostendit; intelligenda esse ejus verba de visione exquisita, atque perfecta, qua humana tantum, non vero divina natura comprehendi potest. Quod autem claram Dei visionem in sanctis agnoverit, satis exponit *Comment. in epist. ad Ephes. Nunc*, inquit, *bonorum, quae sperantur, magnitudo est quidem omnino ignota fidelibus; per fidem enim ambulant, non per speciem: tunc* *au-*

autem vid. bunt facie ad faciem. (a). Neque vero te moveat, quod Patres dicunt, videri Deum ab Angelis per quandam συγκατάβασιν, sive accommodationem, sicut a Patriarchis; haec enim per *analogiam*, sive proportionem intelligenda sunt, ita ut pro diverso statu, et gratia intuentium, varia sit hujus accommodationis ratio, sicut Magister captui auditorum se semper accommodat, sed varie pro varietate ingeniorum.

Objic. III. Aliqua debet esse proportio inter facultatem, et *objectum*. Atqui nulla est inter intellectum creatum, et Deum clare conspiciendum. Ergo.

℞. *Dist. maj.* Proportio habitudinis, *conc.* naturae, sive *entitatis*, *neg.* *Dist.* etiam *min.* inter intellectum creatum, et Deum nulla est proportio naturae, sive *entitatis*, *conc.* Habitudinis, *subdist.* Nulla est proportio naturalis, *conc.* Supernaturalis, si lumine gloriae illustretur, *neg.*

PROPOSITIO III.

Natura divina nec naturaliter, nec supernaturaliter ab intellectu creato comprehendi potest. Est dogma fidei quoad primam partem.

Prob. I. *Job. IX.* 10. *Qui magna facit, et incomprehensibilia*, et *Cap. XI.* 7. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies?* Jerem. XXX. 19. *Magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu.* Rom. XI. 33. *Incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus.* Ergo etc.

Prob. II. *ex* PP. 1.° *Augustinus Serm. CXVII. al. XXXVIII. de verb. Dom.* *Quid mirum*, inquit, *si non comprehendis? Si enim comprehendis, non est Deus ... attingere aliquantum mente Deum, magna beatitudo est, comprehendere autem, omnino impossibile.* 2.° *Epiphanius Haeres. LXX.* docens, Deum a beatis videri quidem

(a) Vide Garnerium in *Auctario Operum Theodoreti Dissert. III.*

dem, sed non comprehendi, illud affert exemplum: *veluti si quis per angustum foramen caelum adspiciat, et dicat, video caelum, non utique mentietur; videt enim revera caelum: quod si quis acute ei dicat, non vidisti caelum, neque iste mentietur ... Quippe non vidit illius exporrectionem, neque altitudinem* (a): Addi possunt Patres, qui contra Anomoeos scripserunt. Hinc Concilium Lateranense IV. C. *Firmiter*, *De summa Trin. Credimus, quod sit Deus incomprehensibilis.*

Prob. III. ratione. Nulla creatura capax est actus infiniti. Atqui comprehensio Dei, qui infinitus est, et infinitorum possibilium causa, actus est infinitus, ac proinde solius Dei proprius, qui seipsum, quantum est visibilis, videt, et comprehendit. Ergo etc. (*b*).

Objectiones.

Objic. I. Apostolus *I. Cor. IX.* 24. ait: *Sic currite, ut comprehendatis*: et *Philip. III.* 12. *Sequor autem, si quo modo comprehendam.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Comprehendere enim ibi nihil aliud est, nisi apprehendere praemium, ad quod curritur.

Objic. II. Idem Apostolus *I. Cor. XIII.* 12. *Tunc autem*, inquit, *cognoscam*, *sicut*, *et cognitus sum*; Atqui cognitus erat a Deo cognitione exquisita, ac perfectissima, sive comprehensione. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Et adverbium *sicut* significat naturam cognitionis, *conc.* Significat quantitatem, et modum cognitionis, *neg.* Ait ergo Apostolus, sicut cognoscor, sic cognoscam, h. e. sicut cognoscor clare,

Hh

(a) Add. Irenaeus *Lib. IV. Cap.* 36. Clemens *Alex Lib. V. Strom.* Nazianzenus *Orat. XXXIV.* Chrysostomus *Hom. IX. cont. Anom.* Cyrillus Alex *Lib. XXX. Thesauri.* Marius Vict. *Lib. I. cont. Arium.* S. Thomas *Lib. III. cont. Gent. Cap.* 54. Gregorius M. *Lib. XVIII. Moral. Cap.* 28. etc.

(b) Vid. S. Thom. *in III. Dist. XIV. Q.* 1. *art.* 2. et *ad Annibald. Dist. XLIX. art.* 1.

re, sic clare cognoscam: sed non ait; quantum cognoscor, tantum cognoscam.

Objic. III. Deus est ens simplicissimum. Ergo aut comprehenditur, aut omnino non videtur.

℟. *Neg. cons.* Ex eo enim quod Deus ens est simplicissimum, illud tantum consequitur, Deum non posse videri, nisi totum; sed non sequitur, eum videri omni ea claritate, qua visibilis est; et cognosci etiam omnia possibilia, ad quae ejus omnipotentia se extendit. Utrumque autem ad comprehensionem pertinet. Causa enim universe cognosci non potest, nisi omnia ejus effecta noscantur.

Objic. IV. Anima Christi Deum non solum videt, verum etiam comprehendit. Ait enim Isidorus *Cap.* 2. *in Exod. Sola sibi integre nota est Trinitas, et humanitati susceptae.* Idem etiam variis in locis videtur sensisse *Fulgentius*. Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Damnata enim est haec propositio inter theses Augustini Romani a Concilio Basileensi *Sess.* XXII. ut dicemus *Lib. VI.* Patres ergo, si qui sunt, qui quandam comprehensionem animae Christi tribuere videantur, intelligendi commode sunt de visione excellentissima, et maxima, quam ulli creaturae concedere ordinarie possit Deus.

Scholion.

Deum naturaliter nec videri, nec comprehendi posse, fidei dogma est. Item dogma est fidei, beatos Deum non comprehendere actu; sed utrum ex potestate absoluta, et extraordinaria possit Deus creaturam suam ita roborare, ut Deum comprehendat, salva fide, inter Catholicos disputatur, et quidem Vasquez *in I. P. Disp. LII.* affirmantem sententiam defendit. Sed rationes superius explicatae contrarium evincunt.

§. III.

§. III.

Utrum aliqui in hac vita Deum clare viderint.

Adv. Quin Deus id concedere potuerit, et revera Christo concesserit, non est dubium. Disputatur ergo, utrum aliquis, praeter Christum, homo visione Dei aliquando sit donatus, praesertim Moyses, et Paulus. S. Thomas *I. P. Q. XII. art.* 11. *ad* 2. et 2a. 2ae. 2. *Q. CLXXV. art.* 3. id affirmat, eumque multi Theologi sequuntur. Sed communior Patrum, et Theologorum sententia negat.

PROPOSITIO.

Verisimilius est, nemini in hac vita claram Dei visionem esse concessam.

Prob. I. ex Scriptura, quae absolute pronunciat, neminem umquam vidisse Deum. *Deum nemo vidit umquam Joan. I.* 18. *Quem nullus hominum vidit I. Tim. VI.* 16. Joannis autem Evangelium, et Epistola ad Timotheum scripta sunt post Epistolam ad Corinthios, in qua Paulus dixerat, se raptum esse in Paradisum. *Exodi XXXIII.* 20. *Non videbit me homo, et vivet.*

Prob. II. ex PP. quorum plurima testimonia profert Carolus Witasse *Tract. de Deo Quaest. XI. art.* 2. *Sect.* 9. Nos paucis erimus contenti. 1.° Irenaeus *Lib. IV. cont. haeres. Cap.* 37. *Neque Moyses vidit Deum, neque Elias, neque Ezechiel, qui multa de caelestibus viderunt: quae autem ab iis videbantur, erant similitudines claritatis Domini* quod multis probat argumentis. 2.° Origenes *in Cap. I. Isaiae: Dei faciem non vidit Isaias, nec Moyses: posteriora viderunt, ut scriptum est.* 3.° Augustinus *Quaest. CXLIV. in Exod.* explicans illa verba *non videbit homo faciem meam, et vivet*, inquit: *ostendens huic vitae, quae agitur in sensibus mortalibus corruptilis carnis, Deum sicuti est, apparere non posse.* Et *Tract. III.*

in Joan. n. 17. in illud: *Deum nemo vidit umquam*, ait: *Quid vidit Moyses? vidit nubem, vidit Angelum, vidit ignem. Omnis illa creatura erat, typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini praesentiam exhibebat.* Idem alibi repetit (*a*). Similia docent Tertullianus *Lib. cont. Prax. cap.* 14. Clemens Alex. *Lib. V. Strom.* Cyrillus Hierosolymitanus *Catech.* IV. et alii (*b*).

Objectiones diluuntur.

Objic. I. Sacrae litterae *Exod. XXXIII.* 11. et *Num. XII.* 6. *et seq.* ostendunt, Moysen vidisse Deum *facie ad faciem, palam, et non per aenigmata, et figuras; ore ad os* locutum esse cum Deo, *sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Num. XII. 6. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, et per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses .... ore enim ad os loquor ad eum, et palam, et non per aenigmata, aut per figuras Dominum videt.* Exod. XXXIII. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, et v.* 18. *Ostende mihi*, inquit Moyses, *faciem tuam.* Cui respondit Deus: *Ego ostendam omne bonum tibi.* Atqui non aliis vocabulis utuntur sacrae litterae, cum asserunt Sanctis claram Dei visionem, sicut ait Apostolus *I. Cor. XIII.* 12. *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ergo aut neganda est sanctis visio beata, aut asserenda est Moysi, ac proinde merito *S. Thomas*, a cujus doctrina recedere non est tutum, docet, Moysen visione Dei clara per *actum transeuntem* esse donatum, neque ab hac sententia abhorret ipse Augustinus *Lib. XII de Genes. ad lit. cap.* 27. Hilarius *Lib. I. de Trin. cap.* 3. Basilius *Hom.* 1. *in*

(a) *Lib. II. De Trin. Cap.* 16. *Lib. III. cont. Maximin. Cap.* 12. *Lib. IV. De Symb. Cap.* 3.
(b) Athanasius, Nazianzenus, Nyssenus, Basilius, Epiphanius, Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Gregorius M., Bernardus, etc. apud Sylvium *I P. Q. XII. art. II.* Petavium *Lib. VII. Cap.* 12. Et Witassium *loc. cit.*

1. *in Hexam.* Rupertus *De Victor. verb. Dei Lib. III. cap.* 28.

℟. *Dist. maj.* Et tamen eadem Scriptura insinuat alibi, nec ipsum Moysen clare vidisse Deum, quia *Deum nemo vidit umquam*, et quia Moyses non cum Deo, sed cum Angelo, Dei vicem gerente, loquebatur *Act. VII.* 30. et *Galat. III.* 19. *conc.* Secus, *nego.* Imo ex ipsis locis, quae objiciuntur, concludi potest, Moysen non clare vidisse Deum, sed tantum clarius ceteris Prophetis, alioquin cur Deum postulasset: *Ostende mihi faciem tuam?* Cui quidem desiderio non annuit Deus, sed respondit: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, et vivet . . . Videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.* Quapropter *omne bonum* ostendit Dominus Moysi, quantum capax erat mortalis natura. Quod attinet ad *S. Thomam*, non negamus, contrariam sententiam esse verisimilem, praesertim propter auctoritatem tanti doctoris, et aliorum quorundam veterum, sed nostram, et verisimiliorem, et inter Patres communius receptam defendimus. Augustinus *loc. cit.* disputando, et inquirendo potius, quam affirmando, loquitur, ut fatetur *Lib. II. Retract. cap.* 24. *In quo opere plura sunt quaesita, quam inventa, et eorum, quae inventa sunt, pauciora firmata.* Quaenam vero ejus sententia fuerit, cum ex propria sententia definite locutus est, supra vidimus.

Objic. II. Paulus *raptus est in Paradisum II. Cor. XII.* 4.; atqui haec verba significant, eum clare Deum vidisse, sicut cum ait Christus Latroni *hodie mecum eris in Paradiso Luc. XXIII* 43. Praeterea idem privilegium B. Virgini, et S. Benedicto graves Theologi concessum esse affirmant. Ergo etc.

℟. *Neg. min.* Paradisi enim nomen varie in Scripturis intelligitur, sicut cum dicitur Adam positus in Paradiso, Enoch translatus in Paradisum, et Sodoma et Gomorrha fuisse olim, *sicut Paradisus Domini.* Nec valet comparatio Latronis; nam illi promissio facta est, post mortem implenda: Paulus adhuc in corpore mortali erat. Deus autem in Scripturis absolute pronuntiat: *Non videbit me homo,*

et

et vivet. De auctoritate vero Theologorum, jam diximus, rem esse in controversia positam.

§. IV.

Utrum Sancti plene purgati, seu quibus nihil expiandum superest, statim clara Dei visione fruantur, an vero judicii diem expectent.

PROPOSITIO

Dogma fidei est, Sanctos plene purgatos statim clara Dei visione frui.

Prob. I. ex Scriptura. Apostolus *II. Cor. V.* 1. *et seq. Scimus*, inquit, *quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in caelis ... Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino* (*per fidem enim ambulamus, et non per speciem*) *audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.* Nihil hoc loco clarius esse potest. Hortatur enim Apostolus fideles, ne morte terreantur, imo eam libenter oppetant, quoniam dum in corpore sumus, ambulamus per fidem, at soluti corpore, Deo praesentes erimus, et ambulabimus per speciem. Sed hoc falsum esset si visio Dei, quae fidem evacuat, ad resurrectionem corporum differretur. Ergo etc.

Sed et idem Apostolus *Philip. I.* 21. *Mihi*, inquit, *vivere Christus est, et mori lucrum. Quod si vivere in carne, hic mihi fructus est, et quid eligam ignoro. Coarctor autem e duobus: desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius, permanere autem in carne necessarium propter vos.* Si autem ad resurrectionem usque differretur visio Dei, non fuisset mori lucrum, nec dissolutio corporis consociasset Christo, etc. Ergo.

Prob. II. ex longa Patrum serie, quam texere possemus, excurrendo per omnia Ecclesiae saecula, nisi ob-

obstaret instituti brevitas. Primo saeculo Ignatius M. *Epist. ad Rom. Sinite*, inquit, *me ferarum escam fieri per quas liceat Deum adipisci . . . . sinite purum lumen haurire. Meus amor crucifixus est, et non est ignis amans ullam aquam, sed vivens, et loquens in me: veni ad Patrem.* Quod non diceret, nisi statim post mortem beatam vitam speraret. Idem docent Clemens Romanus *Epist. I. ad Corint.* Hermas *Lib. III. Pastoris Similit.* 8, nec ullus eo saeculo contrarium docuit.

Saeculo II. Athenagoras *Apolog. Persuasi sumus, nos hac mortali defunctos vita, alteram hac terrestri longe meliorem, nempe caelestem esse victuros, ut apud Deum et cum ipso simus.* Idem docent Polycarpus *ap. Euseb. Lib. III. Hist. cap.* 36. Auctor Actorum *S. Symphorosae* apud Ruinartum *in actis synceris p.* 20. *etc.* Ecclesia Smyrnensis *ap. Euseb. Lib. IV. Hist. Cap.* 15.

Saeculo III. Cyprianus *Exhortat. ad martyrium: Quanta dignitas, et quanta securitas exire hinc laetum, exire inter pressuras, et angustias gloriosum: claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur et Christus? Tam feliciter migrandi quanta velocitas! Terris repente subtraheris, ut in regnis caelestibus reponaris.* Idem docent Clemens Alex. *lib. V. Strom.* Origenes *Lib. II. Peri arch. Cap.* 12. *et Hom. V. De diversis.* Dionysius Alex. *apud Eusebium Lib. III. Hist. cap.* 28. Methodius Martyr apud *Photium.*

Saeculo IV. *et seqq.* tot sunt traditionis testes; ut etiam nomina, et loca citare longum esset. Sufficiat eorum recitare testimonia, de quibus aliqua extitit suspicio 1.° Ambrosius *Lib. De bono mortis cap.* 11. ait, animas corporibus solutas, aeternam possidere haereditatem. *Hinc remunerationem habent, ut videant faciem Dei, et lumen, quod illuminat omnem hominem. . Tunc revelata facie gloriam Dei speculari licebit.* 2.° Augustinus, licet antea de hoc dubitaverit, tamen *Lib. XII. De Genes. ad lit. cap.* 34. ait, *animam secretam, et remotam, atque omnino abreptam a sensibus carnis, atque mundatam; ea, quae in illo caelo sunt, et ipsam Dei substantiam, Verbum Deum, per quod facta sunt omnia, videre, et audire.* 3.° Bernardus *Serm. II.*

II. in S. Victorem. Jam caelos, inquit, *ingressus, vere nunc revelata facie speculatur gloriam Dei . . . beata visio, qua in eandem imaginem transformatur.* Idem docent *Athanasius*, *Basilius*, *Gregorius uterque Nazianzenus*, et *Nyssenus*, *Hilarius*, *Epiphanius*, *Chrysostomus*, *Hieronymus*, *etc.* (a), ita ut mira sit impudentia *Dallaei*, et aliorum, qui ut argumenta, e traditione deducta, enervent, falso asserunt, prioribus saeculis traditionem pro millenariis stetisse.

Prob. III. ex communi, et perpetuo sensu Ecclesiae, quae pro certo semper habuit, Sanctos in caelis jam nunc regnare, eorumque suffragia postulavit, ut suo loco demonstrabimus *Lib. VI. Legem autem credendi statuit lex supplicandi*, ut inquit Caelestinus I. *Epist. II. ad Episc. Gall.*

Prob. IV. ex Sum. Pontificum decretis, ut Innocentii III. *Cap. Apostolicam*: *De Presbyt. non baptiz.* Benedicti XII. in Extravag. *Benedictus Deus*, et aliorum.

Prob. V. ex Conciliis. Definita enim est haec controversia in duobus Conciliis Oecumenicis, Lugdunensi (*in formula fidei*), et Florentino *Sess. XXV.* Imo hoc dogma, ut jam definitum habuit Conc. Trid. *Sess. XXV.* agens de invocatione Sanctorum cum Christo regnantium.

Prob. VI. ex ratione Theologica. Deus ad miserendum pronior est, quam ad ulciscendum. Atqui impii statim post mortem addicuntur poenis; ut constat ex historia divitis *Luc. XVI.* 22. *mortuus est* enim *dives et sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis etc.* Ergo et pii plene purgati statim post mortem potiuntur praemio; unde dicitur *Eccl.*

(a) Athanasius *in vita Antonii.* Basilius *Orat. de Gord. Mart. et Orat. in XL. Mart. et de S. Julitha.* Nazianzenus *Orat. X XI.*, *et XX.* Nyssenus *Orat funeb. Pulcheriae*, *et Orat. II in XL Mart.* Hilarius *in Psalm. I.* Ambrosius *Epist. ad Thessalonic. de Acholio.* Epiphanius *Haeres. LXXVIII.* Chrysostomus *Hom. VIII. in 2. ad Cor.* Hieronymus *libro contra Vigilant. et Epist. ad Marcellam* Leo M. Gregorius M. etc.

Eccl. XI. 28. *Facile est Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.*

Solvantur Objectiones ex Scripturis.

Objic. I. Scriptura ubique spem piorum usque ad corporum resurrectionem producit, ac suspendit. Sic *Luc.* XXI. 28. describens Christus signa futuri judicii, ait: *His autem fieri incipientibus respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemtio vestra.* Similia habentur *Rom. VIII.* 23. *Matth. XXV.* 34. *II. Tim. IV.* 8. et alibi saepe. Ergo etc. Ita Calvinus *Lib. III. Inst. cap.* 25. *n.* 6.

℟. *Dist. ant.* Suspendit spem, et beatitudinem completam, et generalem, *conc.* non completam, et singularem, *neg.* Itaque beatitudo non completa solius animae separatae, et singularis uniuscujusque animae est, eum ab omni peccati labe expiata, ad beatam visionem admittitur. At beatitudo completa tum animae, tum corporis, et generalis omnium justorum in resurrectione erit. Scriptura vero praemium justorum describens, praecipue diem resurrectionis respicit, et commemorat, tum quia tunc erit gloria integra, et generalis totius corporis Christi, quod est Ecclesia, tum quia fideles corpore cruciati, et afflicti, in spem erigendi erant, proposita etiam corporis gloria.

Inst. Apostolus *I. Cor. XV.* 32. docet, frustra esse spem fidelium, si mortui non resurgunt. *Si ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* Quod etiam innuit auctor *Lib. II. Machab. Cap.* XIII. *v.* 44. *Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum orare pro mortuis.* Ergo nullum praemium ante resurrectionem.

℟. *Neg. cons.* Scriptura enim ostendit, inanem esse spem fidelium, si mortui non resurgant, non quia ante resurrectionem piorum animae beatitudine non fruuntur, sed duabus de causis, 1.° quia si mortui non resurgent, religio Christiana, quae hoc dogma

ma tenet, ut a Deo revelatum, falsa est, ac proinde falsa sunt praemia justorum, 2.° quia in Scripturis resurrectio mortuorum ponitur ut necessario connexa cum immortalitate animorum; ita ut si negetur resurrectio mortuorum, animorum etiam immortalitas, ac proinde omnis spes futurae gloriae negetur, oportet. Hinc Christus *Matth.* XXII. 31. probat contra Sadducaeos resurrectionem mortuorum ex immortalitate animae.

Objic. II. Apostolus *Heb. XI.* 13. de Patriarchis, et Prophetis ait: *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Ergo omnibus simul fidelibus servatur corona gloriae in resurrectione.

℟. *Dist. cons.* Gloria completa animae simul, et corporis, *conc.* gloria non completa solius animae, *subdist.* Et haec gloria dicitur ab Apostolo nondum data Patriarchis, quatenus eam non acceperunt ante Christi adventum, *conc.* Secus, *neg.* Docet igitur Apostolus, triplici ratione Patriarchas non accepisse repromissionem, primo quidem quia terram Chanaan ipsis promissam, non ipsi, sed eorum nepotes ingressi possederunt: deinde quia beata visione potiti non sunt ante Christi adventum: tertio quia completam gloriam nonnisi in extremo cum omnibus electis accepturi sunt. Vide Estium *Comment. in h. l.*

Objic. III. *Apoc. VI.* 9. haec habentur: ***Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium, quod habebant; et clamabant voce magna, dicentes: usquequo Domine . . . . . non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? Et datae sunt illis singulae stolae albae: et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut et illi.*** Ergo sancti, antequam compleatur numerus omnium electorum, patienter expectare debent promissum praemium, quod ardenter desiderant.

℟. *Dist. cons.* Expectare debent praemium completum, scilicet animae, et corporis, *conc.* incompletum solius

solius animae, *neg*. Animae enim illae apparuerunt subtus altare, super quod erat agnus, altare autem illud, quo humana Christi natura significatur, in caelo erat, et datae sunt illis singulae stolae albae, quod demonstrat; animas illas jam esse in caelo, et gaudere incompleta beatitudine (a).

Objic. IV. Matth. XX. 8. Denarius operariis non solvitur, nisi ad vesperam. Atqui per denarium significatur vita aeterna, per vesperam autem mundi finis. Ergo.

℟. *Dist. min.* Per denarium significatur vita aeterna, et per vesperam mundi finis, si sermo est de beatitudine completa, *conc.* si sermo est de beatitudine non completa solius animae, *neg.* Igitur si de beatitudine completa loquimur, vespera significat finem mundi, et ita hunc locum multi Patres sunt interpretati (b). Si vero de beatitudine incompleta solius animae, per vesperam intelligitur finis vitae uniuscujusque hominis, vel postrema mundi aetas, quae ab adventu Christi usque ad mundi finem excurrit, juxta illud *I. Joan. II.* 18. *Filioli novissima hora est.* Et ita alii Patres citatum *Matthaei* locum intellexerunt (c).

Solvuntur Objectiones ex Patribus.

Objic. I. *Papias* Hierapolitanus Episcopus, *Joannis* Apostoli discipulus, contrariam sententiam docuit, scilicet piorum gaudium differendum esse usque ad corporum resurrectionem, et tunc eos regnaturos cum Christo mille annis, teste Eusebio *Lib. III. Hist. cap.* 39. Ergo etc.

℟. *Neg.*

(a) Vide Dupinum *Analyse de l'Apocalypse Dissert. XI., et X.*

(b) Irenaeus *Lib IV. Cap.* 70. Origenes *Tract. X. in Matth.* Hilarius *in Cap. XX. Matth.* Optatus Milev. *Lib. V. cont. Parmen.* Gregorius M. *Hom. XIX. in Evang.* Beda etc.

(c) *Hieronymus*, *Chrysostomus*, *aliiq.*

℟. *Neg. cons.* 1.° quia non constat, utrum *Papias* auditor fuerit *Joannis* Apostoli, an alterius Joannis. Ait enim ipse *ap. Euseb. loc. cit.* se curiose interrogasse eos, qui Apostolos audiverant, et ab iis sciscitatum, *quid Andreas*, *quid Petrus*, *quid Joannes*, *quid Matthaeus dicere soliti erant.* Non ergo ipse audiverat Joannem, aut alios Apostolos; 2.° quia, teste Eusebio, vir fuit *mediocri admodum ingenio*, *qui male intellexit Apostolorum narrationes*, 3.° quia *Papias* secundi saeculi auctor est; inter Patres autem primi saeculi nemo, ut vidimus, eam sententiam tenuit; ac proinde nostrum dogma est *prius traditum*, Papiae vero *posterius immissum*; ideoque falsum, juxta illud Tertulliani: *verum*, *quod prius traditum*, *falsum*, *quod posterius immissum*, 4.° quia quae *Papias* docuit, non traditione nituntur, sed verbis *Apocalypsis*, quam ipse suo *mediocri ingenio* interpretari conatus est.

Objic. II. *Justinus*, *Irenaeus*, *Tertullianus*, *Lactantius*, *Victorinus Petabionensis*, *Sulpitius Severus* Papiae sententiam amplexi sunt. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Eam sententiam amplexi sunt, ut probabilem, *conc.* ut dogma fidei, *transeat.* Quare *neg. cons.* Dixi *transeat*, quia licet pauci isti Scriptores, *Papiae* auctoritate decepti, putassent, suam sententiam ad fidem pertinere ex Apostolica traditione, non possent tamen contra universae Ecclesiae sententiam praevalere. Sed ipsi suam sententiam proponebant, ut probabilem, quia fatebantur, alios catholicos contraria sentire. Sic Justinus *Dial. cum Tryph. Confessus sum*, inquit, *tibi*, *et ante me quidem et alios eadem mecum sentientes*, *arbitrari id futurum* (nempe millenarium regnum post resurrectionem), *multosque etiam*, *qui purae*, *piaeque Christianorum sunt sententiae*, *hoc non agnoscere.* Similia docet Irenaeus *Lib. V. cap.* 35. *Tertullianus* a communi lege excipiebat martyres. *Lactantius*, eloquentia quidem fuit celebris, at non rerum Theologicarum admodum peritus. *Victorinus eruditionis expers*, ex Hieronymo *Epist. ad Magnum.* *Severus Sulpitius* non sibi constat;

re

de *S. Martino* enim scribit: *Martinus hic pauper, et modicus caelum dives ingreditur* (a).

Objic. III. Hilarius, cujus opera *inoffenso pede decurri* posse, docet Hieronymus *Epist. ad Laetam*: *in Pslam. CXXXV.* ad ea verba: *si descendero in infernum ades*, ait: *Humanae lex necessitatis est, ut consepultis corporibus, ad inferos animae descendant, quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Lex est, ut animae descendant ad inferos, mox evasurae, *conc.* In inferis mansurae usque ad diem judicii, *neg.* Putavit enim Hilarius post Tertullianum *Lib. de anima cap.* 55. quod sicut Christus non recusavit ad inferos descendere, ita omnium Christianorum animae eodem descendere debeant, brevi tamen tempore ibidem mansurae, quae tamen singularis est sententia, nec alios Patres suffragatores habet; quia tamen ab Ecclesia damnata non erat, *inoffenso pede* decurri *Hilarii* opera, merito affirmavit *Hieronymus.*

Inst. Hilarius in *Psalm. CXX.* docet, animas *in sinu Abrahae interim collocari . . . . quousque introeundi rursus in regnum caelorum sit potestas*, et *Lib. XI. de Trin. n.* 39. de die judicii loquens, et respiciens ad verba Apostoli I. *Cor. XV.* 24. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, et Patri*, ait: *Tradet autem Christus Deo Patri regnum, et tunc quos regnum Deo tradiderit, Deum videbunt.* Ergo antea in regnum Dei non introierant, nec Deum viderant.

℟. *Neg. cons.* Distinguit enim Hilarius regnum Christi, quod usque ad resurrectionem duraturum est, a regno Dei, et Patris, quod in aeternum durabit; non quod ante resurrectionem Deus, et Pater non regnaverint, aut post resurrectionem Christus regnare desinat, *cujus regni non erit finis*; sed quia in extremo judicio Christus publice agnoscetur ab omnibus filius Dei, a quo omnis potestas, et imperium

(a) Vide Nicolaum le Nourry *in Apparatu ad Biblioth. Patr. Dissert. I.*

rium, et ipse filius procedit. Sed non excludit a regno Christi ante resurrectionem visionem Dei. Ait enim *in Psalm. I. n* 9. omnes justos cum pio latrone in paradiso esse, hoc est, ut ipse explicat, *in possessione regni Dei*: et *in Psal. LIII. habeat innocens religio fiduciam* . . . . . *excedentem habitaculo corporis animam, sciat, in Dei susceptione requiescere.*

Objic. IV. Augustinus *Serm. CCLIX.* docet, animas piorum post resurrectionem *Sabatismum* in terra cum Christo acturas, antequam in caelum admittantur. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Id docuit Augustinus initio saecerdotii, quando errabat cum *Millenariis*, ut ipse fatetur *Lib. XX. de Civ. cap.* 7. *conc.* Semper, *neg.* Millies enim contrarium docuit. Sic *Lib. XX. de Civ. cap.* 9. ait, animae justorum *postquam mortalia membra posuerunt, cum Christo utique regnaverunt, et regnant.* Idem docet *Lib. IX. Confess cap.* 7. *Lib. V. de Bapt. cap.* 18. *Tract, CXXIV. in Joan. Lib. IV. cont. Julian. cap.* 8. *et alibi.*

Inst. Augustinus *Cap.* 109. *Enchirid.* ait: *Tempus, quod inter hominis mortem, et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet.* Idem ante Augustinum scripserat Ambrosius *Lib. De bono mortis cap.* 10. In his receptaculis utrum beatitudinem possideant cum Sanctis Angelis, aliquando dubitat, ut *Lib. I. Retract. cap.* 14. *Angeli quidem sancti, quod ibi sint, nulla quaestio est: Sed de sanctis hominibus jam defunctis, utrum ipsi saltem in illa possessione consistant, merito quaeritur.* Aliquando vero absolute pronuntiat, sanctos nondum in possessione beatitudinis consistere, ut *Enarrat. in Psalm. XLIII. Illa visio facie ad faciem liberatis in resurrectione servatur.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* In locis citatis Augustinus dubitat de loco, ubi sunt illa receptacula, *conc.* de beatitudine Sanctorum, *subdist.* De beatitudine completa, et perfecta, quam vocat *visionem facie ad faciem, possessionem beatitudinis*, *conc.* De beatitudine non completa, et imperfecta, *neg.* Dubitavit itaque Augustinus de loco

loco, ubi sunt interim animae sanctorum: licet de earum felicitate certus esset, quam felicitatem putavit in resurrectione fore perfectam.

Et de loco quidem Augustinus definit, illum non esse in inferis *Lib. XX. de Civ. cap.* 13. *Profecto*, inquit, *deinceps boni fideles effuso illo* (sanguinis Christi) *pretio jam redemti prorsus inferos nesciunt.* Vocat autem saepe *sinum Abrahae*, quem sinum aliquando distinguit a regno caelorum, ut *in Psalm. XXXVI. Serm.* 1. *Post vitam*, inquit, *istam parvam non dum eris, ubi erunt sancti, quibus dicetur: venite benedicti patris mei . . . . nondum ibi eris, quis nescit? Sed jam poteris ibi esse, ubi illum quondam ulcerosum pauperem dives ille superbus in tormentis vidit a longe requiescentem.* Aliquando vero sinum Abrahae cum regno caelorum confundit, ut *Lib. II. Quaest. Evangelic. Quaest.* 28. *n.* 1. *Sinus Abrahae requies est beatorum pauperum, quorum est regnum caelorum, in quo post hanc vitam recipiuntur*, et *n.* 5. *Sinus Abrahae intelligitur secretum Patris, quo post passionem resurgens Dominus assumtus est.* Aliquando rem dubiam relinquit, ut *Lib. IX. Confess. cap.* 3. *quidquid illud est, quod illo significatur sinu*; *et Lib. XII. de Gen. ad lit. cap.* 32. postquam de sinu Abrahae, de paradiso, et de tertio caelo fuse disseruit, subjungit: *si tamen non aliquid est diversis nominibus appellatum unum, ubi sunt animae beatorum.*

Quod autem pertinet ad felicitatem justorum, putavit Augustinus cum pluribus veteribus, eam in resurrectione fore perfectam, quia ante resurrectionem animae justorum propter inclinationem, qua propendent ad resumenda corpora (quae tamen propensio eas non angit, nec miseras reddit, propter voluntatem Dei, cui perfectissime obsequuntur) non toto impetu in Deum ferri possunt, unde simplicem Dei visionem, a possessione beatitudinis distinguebat. Ita semetipsum explicat S. Doctor *Lib. XII. de Genes. ad lit. cap.* 35., ubi quaerens, *quid opus sit spiritibus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere, si potest et sine corporibus summa illa beatitudo praeberi?* respondet? *Minime dubitandum est, et raptam hominis a carnis sensibus mentem, et post mortem ipsam, carne de-*

po-

posita . . . non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut Sancti Angeli vident, sive alia latentiore causa, sive ideo quia inest ei naturalis quidam appetitus corporis administrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum caelum, quamdiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat. S. Thomas quidem *Augustinum* intelligit eo sensu, quod beatitudo in resurrectione erit major quoad extensionem, quatenus scilicet gaudium animi refundatur etiam in corpus, sed fortasse laudatus *Augustini* locus hunc sensum pati non potest.

Objic. V. Bernardus *Serm. II. in Festo omnium Sanctorum* haec habet: *Consummato militiae tempore, gaudium habent Sancti etiam in spiritu suo, donec adveniat dies illa, qua introire mereantur in gaudium Domini sui, gaudium habituri et in ipso corpore suo. Adhuc ergo signatum est super eos lumen vultus dominici et licet non plenam, habent tamen laetitiam multam in corde suo, donec veniat dies illa, qua implebit eos laetitia cum vultu suo.* Et rursus *Serm. IV. in Dedicatione* tres distinguit animarum mansiones, in tabernaculis, sive in hac vita, in atriis, sive post mortem ante resurrectionem, in domo Domini post resurrectionem: et ait: *In tabernaculis est gemitus poenitentiae, in atriis est gustus laetitiae, in te (h. e in domo Domini) satietas gloriae.* Ergo censuit *Bernardus*, differri visionem Dei ad resurrectionem.

℟. *Dist. cons.* Differri quoad ultimum perfectionis gradum, *conc.* quoad *substantiam*, *neg.* Censuit enim ut *Augustinus*, post resurrectionem majus fore gaudium beatorum, sive *extensive*, ut omnes fatentur, sive *intensive*. Ait enim *Serm. III. de Omn. SS. Adeo viget in eis desiderium hoc naturale*, (resurrectionis) *ut necdum tota eorum affectio libere pergat in Deum.* Et *Serm. LXXXVII. de Diversis*: *In hoc statu positi Sancti, bibere quidem possunt, sed inebriari non possunt, quoniam a perfectissima contemplatione divinitatis quodammodo retardantur: dum adhuc sui corporis resurrectionem in fine saeculi praestolantur.* Agnoscit ergo visionem Dei, sed non perfectissimam, nisi in resurre-

rectione; quod etiam ex aliis locis clarioribus constat, ex quibus explicari debent, si quae obscurius alibi dixit. Ait enim loco supra laudato *Serm. II. in S. Victorem*: *Jam caelos ingressus, vere nunc revelata facie speculatur gloriam Dei . . . beata visio, qua in eandem imaginem transformatur.* Et *Serm. XIX. de divers. Hauriunt* (Sancti) *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et nudis, ut ita dicam, oculis divinitatis intuentur essentiam.* Idem alibi docet (a). Ita ut male nonnulli, inter quos *Durandus*, et *Petavius*, S. Doctorem contrario errori patrocinatum esse putent.

Objic. VI. Joannes XXII. teste Okamo (*in Compendio errorum Papae Joannis*), *libellis*, *et constitutionibus* definivit, animas piorum non videre Deum ante resurrectionem. Testatur etiam post eundem Okamum Hadrianus VI. *in IV. Sentent. Tract. de Confirm.* eundem Pontificem statuisse; ne quis in Academia Parisiensi Magistri gradum adipisceretur, nisi prius jurasset, se eam sententiam defensurum. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Licet enim Joan. XXII. ut *doctor privatus* disputando in contrarium errorem inclinaverit; numquam eum *ex cathedra* definivit, et docuit, ut constat ex variis testimoniis apud *Raynaldum* ad ann. MCCCXXXIII. imo ex publica protestatione ejusdem Pontificis, facta anno MCCCXXXIV. *die* 3. *Januarii apud eundem Rayn.* et ex duabus Bullis *Benedicti* XII. ejus successoris, quarum una incipit *Sicut habet*, apud *Raynaldum* an. MCCCXXXIV. altera incipit *Benedictus Deus*, *ap. Bzovium ad an.* MCCCXXXVI. Imo et morti proximus, ea ipsa, quae non definiendo, sed disputando dixerat, retractavit his verbis, quae recitat Raynaldus *ad ann.* MCCCXXXIV. *Fatemur, et credimus, quod animae purgatae, separatae a corporibus, sunt in caeli caelorum regno, ac paradiso, et cum Christo in consortio Angelorum congregatae, et vident*

I i

(a) *Lib. De diligendo Deo Cap.* 10. *In Vita S. Malachiae Cap. ult. Serm. V. De Dedicat. Serm. VI. in Cant. Epist. CCLXVI. etc.*

dent Deum, ac divinam essentiam facie ad faciem clare. Non ergo habenda fides est *Okamo*, infensissimo *Joannis* hosti, quippe qui adhaesit *Ludovico Bavaro* Imperatori, et Antipapae *Petro de Corbaria*, quos nemo nescit, fuisse acerbissimos ejus Pontificis inimicos. Imo ipse *Okamus*, a quo postea *Hadrianus VI.* ducentis post annis scribens, deceptus est, testatur, se ex aliorum rumoribus rem retulisse (*a*).

Objic. VII. In veteribus Liturgiis tum Graecis, tum Latinis pro omnibus animabus defunctis sine ulla exceptione orat Ecclesia; imo quaedam Liturgiae habent orationes pro animabus Sanctorum. Sic antiqua Missalia Romana, teste Innocentio III. *Cap. Cum Marthae, De Celebr. Miss.* in festo *S. Leonis* habebant: *Annue quaesumus, Domine, ut animae B. Leonis haec prosit oblatio.* In *Liturgia Gregorii Naz.* et *Cyrilli* orat Sacerdos pro animabus *Patriarcharum, Apostolorum, martyrum, Confessorum, et ipsius B. Virginis, Ignatii, Julii, Athanasii ut animae eorum requiescant* in Paradiso. Similia habentur in *Liturgia Mosarabica, Syriaca, Æthiopica*, quas vide apud *Renaudotium Collect. Liturg. Tom. II.* Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Orat pro omnibus animabus, quae nondum aeternam beatitudinem adeptae sunt, *conc.* Pro omnibus omnino, *subdist.* diverso sensu, *conc.* eodem sensu, *neg.* Quippe SS. Patres, qui illius utebantur liturgiis docent, animas sanctorum in paradiso esse: et injuriam irrogare Sancto, qui pro eo orat, ut requiescat. Sic Augustinus *Serm. CLIX. Injuria est*, inquit, *pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Itaque orabat, et orat Ecclesia pro omnibus defunctis diverso sensu, ita scilicet, ut qui nondum in beata vita sunt, ad requiem perveniant; qui vero jam ibi sunt, habeant non solum gloriam corporis, et

(a) Longiori Dissertatione opus esset pro Joan. XXII. Sed satis est, ipsum Natalem Alex. ndtum *Dissert. XII. in Hist. Saec. XIV. art.* 2. patrocinium illius suscepisse copiose, et erudite. Vide etiam P. Berti *Lib. III. Cap.* 11.

et cum ea beatitudinem perfectam, sed etiam gloriam *accidentalem* apud homines, quae gloria in majorem Dei gloriam, et hominum utilitatem redundat.

Objic. VIII. Christus non ascendit in caelum ante resurrectionem. Ergo nec justi, qui sunt ejus membra, quae capiti assimilari debent.

℟. *Neg. cons.* 1.° Quia Christus etiam ante resurrectionem visione Dei fruebatur; ideoque ubicumque esset, beatus erat; 2.° quia licet justi Christo capiti assimilari debeant quoad tolerantiam passionis in terra, et gloriam in caelo; tamen non in omnibus assimilari debent, quae Christo capiti peculiaribus ex causis conveniebant.

Objic. IX. Anima simul cum corpore meretur, non enim meretur anima seorsim, sed totus homo. Ergo totus homo praemium referre debet, ideoque nonnisi post resurrectionem.

℟. *Transeat ant.* Meritum enim proprie est in animo, qui movet corpus, multisque etiam interioribus actibus sine corpore meretur. *Neg. cons.* Cum enim anima corpore utatur, ut instrumento bonorum operum; ideoque primas in merendo partes habeat, et aliunde capax sit beatae visionis, etiam a corpore sejuncta, non est absurdum, eam fieri beatam ante resurrectionem, cum impiorum animae etiam ante resurrectionem poena afficiantur, licet anima simul cum corpore peccaverit.

§. V.

Utrum admittendum sit regnum Christi millenarium post resurrectionem.

PROPOSITIO

Dogma fidei est, non esse agnoscendum regnum Christi millenarium nec in sensu Cerinthi, nec in sensu Papiae, et aliorum.

Prob. 1.° Haec propositio ex iis, quae superius demonstrata sunt *in §. IV.*, manifeste consequitur.

 Si

Si enim Sancti plene purgati, jam ante resurrectionem cum Christo regnant, et post resurrectionem, resumtis corporibus, gaudium habebunt perfectum in visione Dei, et gloria corporis, fictitium est hoc aliud mille annorum regnum. 2.° Regnum Christi non est terrenum *Joan. XVIII.* 36. *Regnum meum non est de hoc mundo*; nec habet finem: *Regni ejus non erit finis Luc. I.* 33. quae verba Symbolo inserta sunt a Concilio Constantinopolitano contra Apollinaristas, qui, praeter alia absurda, etiam millenariorum dogma sunt amplexi. Ergo.

Supervacaneum autem videtur confutare *Cerinthi* dogma putidum, et obscenum, qui hoc millenarium regnum in voluptatibus carnis transigendum putavit. *Non est regnum Dei esca, et potus Rom.* XIV. 17. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in caelo Matth.* XXII. 30.

Objectiones.

Objic. Apocalypsis Cap. XX. 4. *Vidi*, inquit Joannes, *animas decollatorum propter testimonium Jesu .... et regnaverunt cum Christo mille annis. Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consumentur mille anni. Haec est resurrectio prima. Beatus, et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei, et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas etc.* Et *vidi mortuos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt etc.* Ergo docet Joannes, duas fore resurrectiones, unam sanctorum, quae est resurrectio prima, post quam justi regnabunt cum Christo mille annis, quibus expletis, solvetur satanas, veniet *Antichristus*, resurgent impii, judicabuntur, et morte aeterna plectentur, quae est *mors secunda.* Hic erat millenariorum *Achilles.*

R. Neg. cons. Sacrae enim litterae ubique pronuntiant, unam fore simul corporum resurrectionem tum piorum, tum impiorum; *in momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, et mortui resurgent,*

gent. I. *Cor.* XV. 52. Idque ex eo manifestum est, quod si primo resurgerent omnes justi, et regnarent per mille annos, quibus expletis veniret *Antichristus*, et resurgerent impii, sequeretur, per eos mille annos nullum fore in terra hominem justum, qui mortalem adhuc vitam ducat, ideoque perituram Ecclesiam militantem ante finem mundi; *Antichristum* non persecuturum Sanctos, qui nulli erunt, quae omnia absurda sunt, et Scripturis contraria. Millenarii ergo fictitium illud regnum statuere debebant post generalem omnium resurrectionem, ac proinde post adventum Antichristi. At Joannes docet, regnum illud mille annorum praecedere adventum Antichristi. Non ergo favet millenariis, sed sensus est, homines pios resurgere a peccato ad vitam spiritalem, et post mortem, si perseverant, regnare cum Christo mille annis, hoc est per longum temporis intervallum, quod fluit ab eorum morte usque ad resurrectionem. Justificatio enim dicitur in Scripturis resurrectio, juxta illud Apostoli: *si consurrexistis cum Christo Colos. III.* 1. et longum temporis spatium per numerum *mille* exprimi solet, juxta illud *Psal. CIV. verbi, quod mandavit in mille generationes.* Unde Augustinus *Lib. XX. de Civ. cap.* 7. *mille annos pro annis omnibus hujus saeculi posuit.*

Loca autem Scripturae, quibus promittitur justis manducare, bibere, ac saturari in Regno Dei, praetermittimus. Cum enim non sit *Regnum Dei esca, et potus*, loca illa per metaphoram intelligenda esse, perspicuum est.

§. VI.

Quonam modo Beati clare Deum videant.

Adv. Cum mens naturaliter Deum clare videre nequeat, ut supra §. *II.* h. e. contra Eunomianos, et Beguardos probavimus, certum est, requiri ad videndum Deum supernaturale auxilium, quod *lumen gloriae* dicitur: *lumen* quidem, quia Deum menti manifestat, *omne autem quod manifestatur, lumen est*, ut

ait Apostolus *Ephes. V.* 3. *gloriae* vero, quia in illa visione, et lumine, est gaudium, et gloria beatorum. Unde in *Psal. XXXV.* dicitur: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos; quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.* Sed quid sit lumen gloriae, et utrum praeter illud requiratur ad videndum Deum species aliqua *impressa*, vel *expressa*, magnas agitant Scholastici controversias, quas leviter attingemus, cum non possint ex Scriptura, aut traditione ad liquidam veritatem pervenire.

Quaerunt itaque 1.° utrum lumen gloriae *habituale* sit, an *actuale*. Et verisimilius est, esse habituale, quia in aeternum in beatis durabit; posset tamen Deus illud per actuale, et transiens auxilium supplere.

Quaerunt 2.° an lumen gloriae sit habitus a charitate distinctus. *Scotus in III. dist.* 3. censet, nullum alium habitum esse necessarium ad videndum Deum, praeter charitatem, quae tunc augetur, et concursum Dei extraordinarium, et actuale. Reliqui verisimilius docent, lumen gloriae esse habitum a charitate distinctum, quo intellectus elevetur ad videndum Deum, quem naturali facultate videre non poterat; charitas enim est in voluntate, visio in intellectu. Sed ii rursus in duas partes dividuntur; *Petavius* enim, *et Thomassinus* docent, lumen gloriae esse ipsum Deum animae beatorum perpetuo assistentem, quia, inquiunt, Scripturae, et Patres docent, Deum esse lumen beatorum. Alii vero probabilius putant, esse qualitatem quandam a Deo in anima creatam, neque alia de causa Deum dici lumen beatorum, nisi quia luminis illius causa est effectrix, quae *metonymia* est in Scripturis frequentissima. Hanc vero qualitatem Thomistae volunt, esse *realiter* ab anima distinctam; alii vero modificationem, sive dispositionem ipsius animae, supernaturaliter a Deo inditam, quod verisimilius est.

Quaerunt. 3.° Utrum sicut in aliorum *objectorum* cognitione est quaedam objecti *species*, sive similitudo menti *impressa*, quaecumque tandem illa sit, qua mo-

movetur ad cognoscendum objectum, et quaedam *species*, sive verbum, sive *idea* ab ipsa mente *expressa*, atque formata, per quam objectum sibi repraesentat, ita etiam in clara Dei cognitione *species impressa*, et *expressa* sit. Et impressam quidem speciem communiter rejiciunt, ut inutilem; Deus enim menti beatorum praesentissimus non indiget vicaria sui specie, ut mentem moveat ad sui cognitionem. Sed de expressa specie non convenit inter Theologos. Nonnulli eam propugnant propter illud Augustini *Lib. IX. de Trin. cap.* 11. *Quemadmodum cum per sensus corporis vidimus corpora, fit eorum aliqua similitudo in animo nostro .... ita cum Deum novimus, fit aliqua Dei similitudo illa cognitio*. Sed alii verba Augustini, intelligentes de visione Dei naturali, melius docent, nullam expressam speciem in visione beata agnoscendam. Species enim illa expressa est aliquid finitum, et creatum; nulla autem finita res Deum, ut in se est, repraesentare potest. Unum enim est Verbum, quod vere, et ad vivum divinae substantiae est imago, quod est Verbum divinum, a Patre ab aeterno productum, ut docent Patres (*a*).

§. VII.

Quid Beati in Deo videant.

PROPOSITIO I.

Objectum primarium beatae visionis est essentia Dei, ejusque attributa tum absoluta, tum relativa.

Prob. 1a. *pars*. Visio Dei beata tendit ad videndum Deum, sicut in se est. Atqui non potest eo modo videri, nisi videatur ipsa Dei essentia. Ergo.

Prob.

(a) Si quem delectant ejusmodi quaestiones, adeat *Genetum*, aliosque Scholasticos.

Prob. 2a. *pars.* Essentia Dei, ut in se est, non distinguitur reipsa ab attributis tum absolutis, tum relativis. Ergo non potest videri, ut est in se, quin simul attributa omnia tum absoluta, tum relativa videantur;

Corollarium.

Ergo recte Thomistae post ipsum S. Thomam 2a 2ae. Q. *II. art.* 8. *ad* 3. docent contra Scotistas, ne ex potentia quidem Dei absoluta posse beatos videre divinam essentiam sine attributis, aut unum attributum sine alio, aut personam unam sine alia.

PROPOSITIO II.

Objectum secundarium beatae visionis sunt etiam creaturae, quarum cognitio ad perfectionem, et beatitudinem sanctorum pertinet, non tamen omnes creaturae possibiles; imo non omnes existentes.

Prob. 1a. *pars.* Beatitudo est status, omnium bonorum aggregatione perfectus. Sed talis non esset, si aliqua deesset notitia ad perfectionem, et beatitudinem, vel *essentialem*, vel *accidentalem* pertinens. Ergo. Hinc *Ambrosius in Orat. funeb. de Theodosio* ait, Theodosium in caelis filiorum ejus Arcadii, et Honorii tutelam suscepturum. Gregorius M. *Lib. XII. Moral. cap.* 17. docet, Sanctos videre, et diligere fratres suos in terris periclitantes, et de eorum salute esse sollicitos: et S. Thomas *P. III. Q. X. art.* 2. *Nulli*, inquit, *intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia, quae ad ipsum spectant.* Ergo etc.

Quae autem ad beatorum perfectionem, et beatitudinem spectant, sunt non solum mysteria omnia, quae in terris crediderunt, ut advertit Augustinus *Lib. XX. de Civ. Cap.* 21. et rerum omnium existentium notitia quoad species, verum etiam multarum singularium rerum, in quibus Dei gloria elucet, et praecipue quae ad ipsos pertinebant, dum in terris agerent, et preces, quae ad eos diriguntur; *maxime enim*

enim decet eorum excellentiam, ut cognoscant petitiones ad eos factas vel voce, vel corde, ut inquit *S. Tomas* 2a. 2ae. *Q. LXXXIII. art.* 4. Praeterea vident beati se se invicem, et suos in patria agnoscunt, sine qua cognitione nulla esset Sanctorum societas. Hinc Tertullianus *Lib. de Monogam. cap.* 10. *In meliorem statum*, inquit, *destinamur resurrecturi in spirituale consortium, agnituri tam nosmetipsos, quam nostros.* Et Cyprianus *Lib. De Mortalitate*: *Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum ... ad horum conspectum, et complexum venire, quanta et illis, et nobis in commune laetitia est?*

Prob. 2a. *pars.* Beati non comprehendunt omnipotentiam Dei, ut supra ostendimus *Cap. IX. §. II. prop.* 3. Atqui comprehenderent, si omnia possibilia in Deo viderent. Ergo.

Prob. 3a. *pars.* Licet beati videant creaturas omnes, prout *eminenter* sunt in Deo tamquam in causa, imo videant scientiam, et decreta Dei, prout sunt unum cum essentia Dei, non sequitur, eos videre creaturas omnes, prout in seipsis sunt. Sic Angeli ignorant judicii diem *Matth. XXIV.* 36. et solus Agnus in caelo potuit solvere librum, in quo signata erant futurorum decreta *Apoc. V.* 3. Cujus rei ea ratio est, quia licet decreta, et scientia Dei sint unum cum Dei essentia; libere tamen a Deo diriguntur ad hos, vel illos effectus, quos Deus pro suo arbitrio beatis revelat, aut abscondit.

Scholion.

Thomistae nonnulli putant, non esse impossibile, beatos videre omnia possibilia, non quidem in Deo, tamquam in causa, hoc enim esset Deum comprehendere, sed in seipsis per Dei revelationem. Cum enim omnes creaturae possibiles sint aliquid minus, quam Deus est, et in seipsis finitae, qui illas hoc modo cognosceret, non simul ipsum Deum comprehenderet. Nos istae de rebus possibilibus controversiae non multum delectant.

PRO-

PROPOSITIO III.

Beati vident creaturas in Verbo, et in seipsis.

Prob. Auctoritate PP. Augustinus *Lib. IV. de Genes. ad lit. cap.* 24. duplicem distinguit in beatis cognitionem, *matutinam*, et *vespertinam*; illam, qua creaturas clarius vident in Verbo, sive in ipsa Dei essentia: hanc vero, qua obscurius eas vident in seipsis. *Quapropter*, inquit, *cum Sancti Angeli, quibus post resurrectionem coaequabimur, semper videant faciem Dei, Verbo ejus unigenito filio, sicuti Patri aequalis est, perfruantur, procul dubio universam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius noverunt, in quo sunt omnium, etiam quae temporaliter facta sunt, aeternae rationes, tamquam in eo, per quod facta sunt omnia ... Ac deinde in ipsa creatura, quam sic noverunt, tamquam infra despicientes, eamque referentes ad laudem illius, in cujus incommutabili veritate rationes, secundum quas facta est, principaliter vident.* Idem docet Bernardus *Lib. V. de Consider. Cap.* 1.

Utrum autem beati uno actu, an vero *successive* videant omnia, quae in Verbo vident, quaestio est, de qua disputat Augustinus *Lib. XV. de Trin. cap.* 16. *et Lib. XII. Confess. cap.* 13. Certe quae non viderunt ab initio, sed tractu temporis a Deo revelantur, non simul vident.

Scholion.

Licet Beati, praeter Deum, alia etiam tum in Deo; tum in seipsis videant; in sola tamen visione Dei eorum essentialis beatitudo est, juxta illud Augustini *Lib. V. Confes. cap.* 4. *Beatus est qui te novit, etsi alia nesciat: qui autem te, et alia novit, non est propterea beatior, sed propter te solum.* Aliarum vero rerum cognitio ad accidentalem beatitudinem pertinet.

§. VIII.

§. VIII.

Utrum beata visio sit aequalis in omnibus.

Adv. Licet visio beata sit ejusdem speciei in Angelis, et beatis omnibus, quia idem est in omnibus principium, et *objectum formale* visionis; quaeritur tamen, utrum sit in omnibus aequalis. *Jovinianus Saec. IV.* asseruit, aequalia esse merita, et praemia Sanctorum, teste *Hieronymo Lib. II. cont. Jovin.* Quem errorem *Saec. XVI.* renovarunt Protestantes.

PROPOSITIO I.

Dogma fidei est, inaequalem esse visionem beatorum.

Prob. I. *Joan. XIV.* 2. *In domo Patris mei mansiones multae sunt.* Et *I. Cor. XV.* 41. *Alia claritas solis, alia claritas lunae; alia claritas stellarum. Stella enim differt a stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum.* Et *II. Cor. IX.* 6. *Qui parce seminat, parce et metet.* Ergo etc.

Prob. II. *ex* PP. 1.° Tertullianus *in Scorpiac. Quomodo multae mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum?* 2.° Augustinus *Lib. de Sancta Virginitate*, in illud Apostoli: *stella differt a stella: Haec sunt*, inquit, *merita diversa Sanctorum.* 3.° Irenaeus *Lib. IV. cap.* 72. *Si plus dilexerimus, clariores erimus apud Deum.* Et Fulgentius *Lib. de Trin. Tantum amplius alius alio in alia vita Deum videbit, quantum amplius in hac vita eum dilexit.*

Consonat ratio Theologica. Sicut enim pro varietate peccatorum varia sunt supplicia, ut ex eo loco perspicuum est *Apoc. XVIII.* 7. *quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum*; ita etiam pro varietate meritorum varia esse debent praemia.

Hinc merito Concilium Mediolanense, de quo meminit Ambrosius *Epist. XLII.* contrarium *Vigilantii* errorem damnavit, et *Conc. Trid. Sess. VI. can.* 31.

Si

Si quis dixerit, hominis justificati bona opera non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, atque etiam gloriae augmentum, anathema sit.

Objic. Matth. XX. unus denarius datur omnibus, qui inaequaliter in vinea laboraverant. Ergo par omnibus tribuetur gloria.

℟. *Neg. cons.* Unus quidem erit denarius, una merces omnibus, nempe idem Deus beata visione possidendus, sed inaequaliter pro inaequalitate meritorum. Una igitur erit merces *objective*, ut Scholae ajunt, non *formaliter*, et in eodem gradu, sicut in eadem mensa idem omnibus apponitur ferculum, quamvis inaequaliter inde cibum capiant convivae, ita ut omnes saturentur, nec qui minus sumit plus sumentibus invideat. *Id etiam*, ait Augustinus *Lib. XXII. de Civ. cap.* 30. *beata illa Civitas magnum in se videbit, quod nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut nunc non invident Archangelis Angeli ceteri; nollet enim esse unusquisque quod non accepit, sicut nec in corpore vult oculus esse qui est digitus.*

Ergo, inquies, parum refert, utrum quis majora, vel minora opera faciat; dummodo enim ad patriam illam perveniat, non minus erit sorte sua contentus qui minimum laboravit, quam qui maxime.

℟. *Neg. sequel.* Licet enim inferiores superioris gloriam non desiderent, quia alioquin non diligerent Dei justitiam, tamen admirantur sapientiam, et iustitiam Dei in distributione praemiorum, et qui despiceret majorem gloriam, ad quam a Deo destinatus, ac vocatus est, non diligeret Deum.

PROPOSIO II.

Causa moralis hujus inaequalitatis est inaequalitas meritorum, causa vero physica est inaequalitas luminis gloriae.

Prob. 1a. *pars.* Causa moralis est, quae causam efficientem movet ad operandum. Atqui inaequalitas meritorum est ratio, cur Deus inaequale praemium beatis distribuat *ex Prop.* 1. Ergo.

Prob.

Prob. 2a. pars. Solum gloriae lumen, non vero naturale acumen ingenii mentem elevat ad videndum Deum, quam visionem, cum mens necessario rapiatur, ne per liberum quidem arbitrium aut augere potest, aut minuere. Ergo sola inaequalitas luminis gloriae inaequalem visionem efficit. Merito igitur Academia Parisiensis anno MCCXL. hanc propositionem damnavit: *Cujus meliora fuerint naturalia, necessario major erit gratia, et gloria.* Quod et ulterius probatur, quia alioquin qui inaequali ingenio sunt, aequali lumine gloriae inaequaliter Deum viderent, ac proinde gloria non pro ratione meritorum, sed ingenii daretur, quod absurdum est.

CAP. X.

De perfectione Dei.

Adv. I. NUnc de attributis affirmantibus, sive positivis agendum est; et primo de perfectione Dei. Perfectio est qualitas (*a*) aliqua, vel proprietas entis: perfectum autem aliquod dici potest vel *absolute*, quod scilicet in omni genere perfectum est, vel *secundum quid*, quod scilicet est in genere aliquo perfectum. Si ergo de perfectione *secundum quid* loquamur, constat omnia entia perfecta esse, quia unumquodque est in suo genere perfectum, h. e. nihil ei deest de perfectionibus ad ejus naturam necessariis. Si vero de perfectione absoluta, haec solius Dei propria est.

II. Perfectiones in scholis dividuntur in classes duas. Aliae enim dicuntur perfectiones *simpliciter simplices*, aliae vero simplices, et *secundum quid*. Priores sunt, quae nullam involvunt *imperfectionem*, nec cum aequali, aut majori perfectione pugnant, ut sunt sapientia, bonitas, vita, ideoque dicuntur ab Anselmo *Monolog, Cap.*14. *meliores ipsae, quam non ipsae.*

(a) *Schol. entitas.*

ipsae. Posteriores vero sunt, quae aequali, vel majori perfectioni adversantur, ut sunt, extensio, motus, ratiocinatio, et ceterae creaturarum differentiae *specificae*, et individuae; quae omnes dicuntur *non meliores ipsae, quam non ipsae*. Sed hae rursus in duo genera a nonnullis dividuntur; aliae enim ita cum aequali perfectione pugnant, ut nihil imperfectum contineant, ut *paternitas*, *filiatio*, *spiratio*; aliae vero ita cum aequali perfectione pugnant, ut aliquid admixtum habeant imperfecti. His positis quaeritur 1.° utrum Deus sit absolute perfectus: 2.° utrum omnes creaturarum perfectiones in se habeat; 3.° utrum Deus cum creaturis sit aliquid perfectius, quam solus Deus.

PROPOSITIO I.

Deus, et quidem solus, est absolute perfectus.
Est dogma fidei.

Prob. 1a. *pars*. 1.° Deus est ipsum *esse*, ut supra ostendimus *Cap. II. prop. 4.*, hoc est in eo est plenitudo totius *esse*. Ergo est absolute, seu in omni genere perfectus. 2.° Deus est infinitus, ut supra dictum est. Atqui non esset hujusmodi, si non esset absolute, seu in omni genere perfectus. Ergo. 3.° Deus est totus in actu, nullatenus vero *in potentia*, ut supra docuimus. Ergo est in omni genere perfectus, alioquin esset in potentia quoad illud, quod ei deesset. Ergo etc. Hinc Augustinus *Tract. XIV. in Joan. Deus*, inquit, *nec crescit, nec minuitur, si enim crescit, perfectus non est, si minuitur, Deus non est.* Et a Dionysio *Lib. de divin. nom. Cap.* 13. dicitur Deus αυτοτελης, hoc est *per se absolutus, ac perfectus*, et υπερτελης, hoc est *perfectionem omnem excedens.*

Prob. 2a. *pars*. Solus Deus est *ipsum esse*, est infinitus, et purus actus. Ergo etc. Vide S. Thomam. *I. P. Q. IV. Art. I. et seq.* et *Lib. I. cont. Gent. Cap.* 28. *et* 38.

PRO-

PROPOSITIO II.

Omnes creaturarum perfectiones vel simpliciter simplices, vel simplices quidem, sed quae nullam imperfectionis mixtionem habent, sunt in Deo formaliter, reliquae in Deo sunt eminenter, vel virtualiter.

Prob. 1.a *pars.* Esse aliquid in aliquo *formaliter* est esse in eo secundum propriam sui naturam, sicut ratio (*a*) formaliter est in homine. Atqui perfectiones simpliciter simplices, et quae nihil imperfectum involvunt, ut sapientia, bonitas etc. sunt in Deo secundum propriam sui naturam, alioquin Deus non esset in omni genere perfectus. Ergo etc. Hinc Deus dicitur formaliter justus, sapiens, bonus etc. licet alio modo quam creaturae, quia ab ipsa Dei essentia non distinguuntur perfectiones illae.

Prob. 2.a *pars.* Esse aliquid in aliquo *eminenter* vel *virtualiter* est esse in eo non in propria sui natura, sed nobiliori modo, et tamquam effectus est in sua causa, sicut domus est in mente artificis modo spiritali, et intelligibili, fructus est in semine, vel in sole tamquam in causa. Atqui perfectiones *secundum quid* non sunt in Deo secundum propriam sui naturam, sed modo nobiliori, et tamquam effectus in causa. Non sunt quidem secundum propriam sui naturam, quia cum hujusmodi perfectiones imperfectionem aliquam naturaliter includant, vel cum majori perfectione pugnent; si essent in Deo secundum propriam naturam; ponendae etiam essent in Deo imperfectiones illae, vel majores perfectiones excludendae. Sunt vero in Deo *eminenter*, vel *virtualiter*, quia illae perfectiones habent aliquam ratio-

(a) Scholast. *Rationalitas.*

tionem boni, licet imperfecti; ac proinde cum in Deo sit quidquid boni rationem habet; nihil vero imperfectum; sequitur, perfectiones illas esse in Deo secundum rationem boni, quam habent, et non secundum id, quod habent imperfecti. Ergo sunt in Deo nobiliori modo, sive eminenter. Sunt vero etiam in Deo virtualiter quia Deus est prima causa, ex qua perfectiones omnes ortum habent. Hinc Augustinus *in Psal. XLIX. Quid enim*, inquit, *cum illo non est? cum illo ager, cum illo species terrae, cum illo species caeli, cum illo omnia volatilia, quia ipse omnia.* Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Deus simul cum creaturis non est neque secundum intentionem, neque secundum extensionem, sive neque intensive, neque extensive perfectior, quam si seorsim consideretur.

Prob. 1a. *pars.* 1.° Si Deus cum creaturis esset *intensive* perfectior, non esset ipse ens perfectissimum; quippe aliquid ei deesset, quo perfectior fieri posset. 2.° Nulla est in creaturis perfectio, quae non sit in Deo vel *formaliter*, vel *eminenter*, hoc est nobiliori modo, quam sit in creaturis, ut ostendimus *in prop.* 1. Ergo.

Prob. 2a. *pars.* contra *Durandum.* 1.° *Augustinus Tract. XI. in Joan. Si fueris*, inquit, *sine Deo, minor eris. Si fueris cum Deo, major Deus non erit. Non ex te ille major, sed tu sine illo minor.* 2.° Finitum additum infinito, in quo eminenter, vel virtualiter continetur, majorem extensionem non facit, sicut tempus additum aeternitati, alioquin illud non fuisset vere infinitum. At perfectiones creaturarum finitae sunt; Dei vero perfectiones sunt infinitae, et illae in istis eminenter, vel virtualiter continentur. Ergo.

Dices. Perfectiones creaturarum reipsa distinguuntur a perfectionibus Divinis. Atqui quae reipsa distinguuntur, si simul addantur, majorem numerum, et

et extensionem, efficiunt. Ergo perfectiones creaturarum, additae perfectionibus divinis, majorem numerum, atque extensionem efficiunt, ac proinde Deus cum creaturis est extensive perfectior. Ergo.

℟. *Conc. min.* quoad numerum, quoad extensionem vero, *Dist. min.* Quae reapse distinguuntur, si simul addantur, majorem extensionem efficiunt, si unum in altero non contineatur, *conc.* Secus, *nego.* Porro perfectiones creaturarum continentur in divinis, tamquam finitum in infinito, a quo productae sunt.

Corollarium.

Ergo solus Deus est propter se diligendus, reliqua in ipso, et propter ipsum, utpote quae sint emanationes, et participationes infinitae illius perfectionis. Nec qui Deum cum creaturis possidet, beatior est, quam si solum Deum possideat, in quo, quidquid in creaturis est amabile, nobiliori modo existit. Qui ergo minus se felicem putat, quod creata bona, quibus frui concupiscit, non possidet, contra ordinem charitatis peccat.

C A P. XI.

De bonitate et sanctitate Dei.

Ad. BOnum triplex est *absolutum*, *relativum*, et *morale.* Absolutum idem est, ac perfectum, seu id, cui nihil deest, sive ex principiis *essentialibus*, sive ex principiis *accidentalibus.* Relativum est, quod est alteri conveniens, seu rem alteram perficiens, sicut sapientia bona est homini. Morale est firma adhaesio voluntatis summo bono, a quo qui voluntarius recedit, in malum morale incidit. Bonitas autem moralis sanctitas etiam dicitur.

PROPOSITIO

Deus est summe bonus bonitate absoluta, relativa, et morali. Est dogma fidei.

Prob. 1a. *pars.* Bonum absolutum idem est, ac esse perfectum. Atqui Deus est summum *esse*, et summe perfectus ex dictis. Ergo summe bonus est. Hinc Boëtius *Lib. III. de Consol. pros.* 10. *Deum*, inquit, *rerum omnium principem, bonum esse, communis humanorum conceptio probat animorum*, etiam Gentilium, ut supervacaneum sit, Scripturas, et Patres in re tam aperta recitare.

Prob. 2a. *pars.* Bonum relativum est, quod rem alteram perficit. Atqui quidquid bonitatis, et perfectionis est in creaturis, a Deo est. Ergo.

Prob. 3a. *pars.* Deus firmissime adhaeret, hoc est infinite diligit summum bonum, idest semetipsum, nec quidquam operatur, nisi bonum, et propter summum bonum, hoc est propter semetipsum. *Prov. XVI.* 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Hinc in Scripturis dicitur *magnificus in sanctitate.* Et *I. Reg. II.* 2. *Non est sanctus, ut est Dominus*: quia creaturae, utcumque sanctae, non habent, nisi particulam sanctitatis a Deo derivatam; Deus vero sanctitatem habet essentialem. Et *Isai. VI.* 3. Angeli assidue clamant *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, quia per hoc attributum sanctitatis accessum habent ad Deum, cui creaturae, nisi sanctae, placere non possunt. Ergo.

Objic. Si Deus esset summe bonus in omni genere, non permitteret malum morale; atqui etc. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Si non esset adeo omnipotens, et sapiens, et bonus, ut sciret, et posset de malis bona facere, *conc.* secus, *neg.* Cum ergo creatura sit natura sua mutabilis, Deus vero provisor universalis, qui aliquando potest ad majus bonum mala permittere subditorum, dedit quidem ipsis, vel praeparavit auxilium, sine quo peccatum vitare non possent, sed melius judicavit de malis bona facere, quam

quam mala nulla esse permittere, ut inquit *Augustinus*.

Inst. Cum Deus sit omnipotens, poterat majora bona, et meliora facere de bonis, quam de malis. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Alterius generis, *conc.* Ejusdem generis, *neg.* Quomodo enim fuisset ex. gr. patientia martyrum sine injusta persecutione tyrannorum? Hoc igitur Deus judicavit melius, quam meliora, et alterius generis bona facere sine permissione mali.

Quaeres, utrum solus Deus sit bonus *per essentiam*.

℟. Si esse bonum *per essentiam* intelligatur eo sensu, quod ipsi *essentiale* sit existere, et infinitam habere bonitatem, solus Deus est *per essentiam* bonus, unde Christus *Luc. XVIII.* 19. *Nemo*, inquit, *bonus nisi solus Deus.* Si vero accipiatur pro eo, cui nihil deest de proprietatibus essentialibus, quidquid est, bonum est per essentiam. Unde demonstrat *S. Thomas*, *bonum*, et *ens* idem esse *I. P. Q. V. art.* 1. Ex quo rursus ostenditur, Deum esse summum bonum, quia est summum ens.

Porro quae de perfectione, bonitate, et sanctitate Dei diximus, cum non possint a Dei existentia sejungi; facilius enim inveniuntur, qui negaverint esse Deum, quam qui eum perfectum, bonum, sanctum negaverint; hinc eatenus pertinent ad fidem, quatenus ad fidem pertinere Dei existentiam, supra diximus.

CAP. XII.

De Omnipotentia Dei.

Adv. I. Omnipotentia est absoluta potestas faciendi quidquid placet.

II. *Petrus Abaëlardus*, teste Bernardo *Epist. CXC.* docuit, Deum non posse facere meliora iis, quae facit, imo non posse facere aliud, quam quod actu vult, et facit; quem errorem Estius *in I. Dist.* 43. Calvino etiam, et Bucero tribuit; licet illi haeretici non adeo perspicue id videantur asseruisse. Certe eam *Abaëlardi* sententiam nonnulli recentiores

 phi-

philosophi secuti sunt, quorum systema *Optimismus* appellatur.

PROPOSITIO I.

Deus est omnipotens. Est dogma fidei.

Prob. I. *Genes. XVII.* 1. Dicit Dominus: *Ego Deus omnipotens.* Exod. XV. 3. *Omnipotens nomen ejus.* Eccli. I. 8. *Unus est Altissimus Creator Omnipotens.* Job. XLII. 2. *Scio quia omnia potes.* Matth. XIX. 26. *Apud Deum omnia sunt possibilia.* Luc. I. 37. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Et alibi saepe Scriptura omnipotentiam Dei commendat, quae maxime ad nostram fidem, et spem excitandam, et ad mundanum timorem expellendum valet. Idem docent uno ore Patres omnes, quos *Petavius* fusius laudat *Lib. V. Cap.* 5. imo et ipsi Gentiles Philosophi, quorum testimonia collegit Huetius *Lib. II. Quaest. Alnet.* ita ut vere dixerit Augustinus *Serm. CXXXIX. De Temp. Non dico da mihi Christianum, da mihi Judaeum, sed da mihi Paganum, idolorum cultorem, daemonum servum, qui non dicat, Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest: negare Deum omnipotentem non potest.* Ergo etc.

Prob. II. Deus est ens summe perfectum, atqui omnipotentia est excellens perfectio.

Objic. Deus non potest mentiri, non potest efficere, ut praeterita facta non sint, et alia ejusmodi, quae dicuntur absolute impossibilia. Ergo non potest facere quidquid vult.

℟. *Neg. cons.* Quae enim impossibilia sunt, Deus velle non potest, quia illa dicuntur impossibilia, quae *contradictionem* involvunt; *ex. gr.* mons sine valle, circulus quadratus, quae se mutuo destruunt, ac proinde non possunt esse *objectum* nec scientiae, nec voluntatis Dei. Contradictionem autem implicat, Deum mentiri, mori, etc. Quia Deus est ens perfectissimum, mentiri autem, et alia hujusmodi maximam imperfectionem significant. Hinc Augustinus (*Serm. CIX. de tempore*): *Multa*, inquit, *Deus non*

po-

potest facere, et tamen omnipotens est, imo ideo omnipotens, quia ista non potest . . . non potest mori, non potest peccare, non potest falli, tanta non potest, quia si posset, non esset omnipotens.

Scholion.

Docent etiam Patres, et Theologi, non posse Deum ea efficere, quae licet contradictionem non involvant, tamen Dei sapientiam, bonitatem, ac providentiam non decent. Quo sensu nos quoque *Lib. I. Cap.* 6. diximus, non posse Deum vim, et potestatem permittere daemonibus miracula patrandi; idque etiam in aliis passim libris usurpabimus. Quod quidem non Dei omnipotentiam coarctat, cum Deus ea facere absolute possit, sed sapientiam, ac bonitatem commendat.

PROPOSITO III.

Deus potest facere meliora iis, quae facit. Est. dogma fidei.

Prob. Praeter ea, quae Deus fecit, mente concipi alia possunt meliora, et meliora in infinitum, quae nullam involvunt contradictionem. Ergo si Deus ea facere non posset, non esset omnipotens. At Deum esse omnipotentem, supra est demonstratum *Prop. I.* Ergo. Hinc Apostolus *Ephes. III.* 20. *Potens est*, inquit, *Deus omnia facere superabundanter, quam petimus, et intelligimus.*

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Deus est optimus; ergo efficere debet optima; ac proinde non potest facere meliora. Hinc Damascenus *Lib. II. de Fid. Orth. cap* 29. *Necesse est*, inquit, *omnia, quae Dei providentia fiunt, secundum rectam rationem, et optima, et Deo decentissima fieri, ita ut nequeant meliora fieri.*

℟. *Dist. ant.* Debet facere optima quoad modum, sive

sive ad finem ipsi propositum, ideoque in omnibus, quae efficit, propter efficiendi modum elucet ejus sapientia, et potentia infinita *conc.* Optima absolute, *neg.* Non aliud sibi vult Damascenus. *Deus ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis: quae parva non sua granditate, nam nulla est: sed artificis sapientia metienda sunt*, inquit. *Augustinus Lib. II. de Civ. Cap.* 22.

Objic. II. Augustinus *Lib. LXXXIII. Quaestionum Quaest. L.* probat, Filium Dei esse Patri aequalem, quia, inquit, alioquin Pater fuisset invidus, si quem poterat aequalem gignere, noluisset. *Deus, quem genuit, quoniam meliorem se gignere non potuit (nihil enim Deo melius) generare debuit aequalem. Si enim voluit, et non potuit, infirmus est: si potuit, et non voluit, invidus* est. Ergo *a pari* si Deus potuisset facere meliora, et non fecisset, esset invidus.

℟. *Neg. cons. et parit.* Dispar enim ratio in eo est, quod Filio debetur aequalitas cum Patre, quam si Pater dare noluisset, fuisset invidus. At creaturis non debentur optima, alioquin creaturae deberent esse infinite bonae, quod repugnat, quia, posito quocumque bono finito, aliud melius cogitari posset.

PROPOSITIO III.

Deus potest facere alia ab iis, quae actu vult, et facit. Dogma fidei est.

Prob. I. *ex Scriptura.* Dan. III. 17. *Deus noster potest nos eripere de camino ignis, et de manibus tuis liberare; quod si noluerit* etc. II. Machab. VIII. 18. *Deus potest uno nutu universum mundum delere.* Matth. XXVI. 53. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Et Matth. III. 9. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.* Potest igitur Deus alia facere, quae non facit. Unde Athanasius *Lib. III. cont. Arian. Poterat*, inquit, *etsi numquam advenisset Christus, solummodo loqui Deus, et maledictionem solvere.* Idem alii constanter affirmant. Ergo.

Prob.

Prob. II. Deus a nulla creatura pendet. Sic ergo circa eam operatur, ut possit non operari. Adde quod non esset omnipotens, si non posset alia facere, quam quae facit.

Objic. Deus est immutabilis, ac proinde non potest nunc nolle quod ab aeterno voluit, nec velle quod ab aeterno noluit. Ergo non potest alia facere, quam quae actu ab aeterno vult. Hinc in Scripturis dicitur Deus non posse, quae noluit. *Non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc*, ait Dominus ad Loth. *Gen. XIX.* 22, et Christus *Matth. XXVI.* 39 Patrem orans ait, *si possibile est, transeat a me calix iste.* h. e. *si vis.*

℟. *Dist. cons.* Non potest in *sensu composito*, *conc.* in *sensu diviso*, *neg.* Hoc est, posito hoc quod aliquid ab aeterno voluerit, non potest nunc velle contrarium, ac proinde nec facere. Cum enim immutabilis sit, ideoque idem nunc velit, quod ab aeterno voluit, si posset nunc velle, et facere contrarium, posset idem simul velle, et nolle; facere, et non facere quod contradictionem implicat. Sed potuit ab aeterno nolle quod voluit, aut velle quod noluit, si agitur de creaturis, cum nullum bonum finitum necessario movere ejus voluntatem potuerit. Vide Estium *in I. Dist. XLIII.* Sylvium *Q. XXV. art. V.* Thomam Valdensem *Tom. I. Lib. I. art. I.* Petavium, etc.

C A P. XIII.

De Scientia Dei.

De scientia Dei quatuor hic quaerenda sunt; 1.° de ejus existentia, et proprietatibus; 2.° de ejus *objecto*; 3.° de *medio*; 4.° de varia ejus divisione.

§. I.

De existentia, et proprietatibus scientiae Dei.

Adv. Cum scientia ab Aristotele definiatur cogni-

tio certa, et evidens, adquisita per demonstrationem, in ea duo sunt distinguenda; ipsa nimirum certa, et evidens cognitio, et demostratio, per quam adquiritur.

PROPOSITIO I.

Est in Deo agnoscenda intelligentia, et scientia, sed sine ratiocinatione. Est dogma fidei.

Prob. 1a. *pars.* I. *Reg. II.* 3. *Deus scientiarum Dominus est.* Job. XII. 13. *Apud ipsum est sapientia, et fortitudo, ipse habet consilium et intelligentiam*, Prov. III. 19. *Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit caelos prudentia.* Esther. XIV. 14. *Qui habes omnium scientiam.* Rom. XI. 33. *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei* (a). Id etiam evidenti ratione monstratur. Deus enim est id, quo melius cogitari non potest. At ejusmodi non esset, si ipsi deesset scientia, ut cuique manifestum est. Hinc ipsi Ethnici Philosophi Dei scientiam praedicarunt. Sic Menander *ap. Clement. Alex. Lib. V. Strom.* Deum appellat *oculum omnia cernentem.*

Secunda pars patet; cum enim ratiocinatio sit a re nota ad rem ignotam progressus, imperfectionem arguit, quae a Deo ableganda est. Videt ergo Deus conclusiones in principiis, sed non eruit ex principiis conclusiones.

Dices. Ea est essentia, et natura scientiae, ut adquiratur per ratiocinationem. Ergo aut in Deo non est proprie dicta scientia, aut est ratiocinatio.

℟. *Neg. ant.* Scientiae enim natura id tantum requirit, ut cognoscantur evidenter effectus in causis, consectaria in principiis: quod autem mens nostra per gradus quosdam cognoscat ex caussis effectus, et ex principiis conclusiones, id ex ejus infirmitate est.

PRO-

(a) Adde *Job. XXVIII.* 12. *Ps. CXXXVIII. Sap. XII.* 15. *Eccli. XXII.* 19. *Coloss. II.* 3.

PROPOSITIO II.

Scientia Dei est actus simplicissimus, immutabilis, infinitus, et causa omnium rerum. Tres priores prop. partes ad fidem pertinent.

Prob. 1. *pars. Sap. VII.* 22. dicitur de Sapientia Dei: *Est in illa Spiritus Intelligentiae Sanctus, unicus, et multiplex*, h. e. qui unico obtutu multiplicia objecta pervadit.

Prob. 2a. *pars.* Ipse Deus immutabilis est, ut supra docuimus *Cap. VI.*, et perfectissimus. Ergo mutari non potest ejus scientia, quae est idem reapse cum ejus essentia; alioquin vel novam scientiae perfectionem adquireret, vel amitteret quam habebat, quod utrumque imperfectum est, ac Deo repugnat, Hinc Augustinus *Lib. XIII. Confes. cap.* 16. *Sicut*, inquit, *omnino tu es, tu scis solus, qui es incommutabiliter, et scis incommutabiliter, et vis incommutabiliter.*

Prob. 3a. *pars. Psal. CXLVI. Sapientiae ejus non est finis, non est numerus.* Infinita ergo est non solum *extensive*, ut ajunt, propter infinita objecta, quae cognoscit, verum etiam *intensive*, quia certissima, et evidentissima est, et objecta omnia intime pervadit, et comprehendit. Unde ait Augustinus *Lib. XII. De Civ. cap.* 20. *In una Dei sapientia esse immensos quosdam, atque infinitos thesauros rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles, atque incommutabiles rationes rerum etiam visibilium, et mutabilium.* Tres autem istae priores propositionis partes ad fidem pertinent.

Prob. 4a. *pars.* I. ex Scriptura. *Prov. VIII.* 30. Sapientia de seipsa loquens ait: *cum eo eram cuncta componens.* Et Joan. I 3. *Omnia per ipsum facta sunt*, nempe per Verbum, quod est sapientia Patris.

Prob. II. ex. PP. *Gregorius. M. Lib. XX. Moral. cap.* 23. *Quae sunt*, inquit, *non ab aeternitate ejus ideo videntur, quia sunt, sed ideo sunt, quia videntur.* Quod et docuit Augustinus *Lib. XV. de Trin. cap.* 13. Diony-

nysius *Lib. De Div. Nominib. cap.* 7. aliique (a).

Prob. III. ratione *D. Thomae*. Se habet scientia divina ad res omnes, sicut ars in artifice ad res effectas. Unde dicitur *Sap. VII.* 21. *Omnium artifex est Sapientia.* Atqui scientia artificis est causa operis simul cum voluntate, et potentia artificis. Ergo et scientia Dei simul cum ejus voluntate, et omnipotentia est causa rerum. Praeterea si scientia Dei non esset rerum causa, res ipsae causa essent scientiae Dei. Repugnat autem, res creatas esse causas scientiae divinae. Ergo.

Corollaria.

I. Cum ergo Deus per suam voluntatem, et omnipotentiam non solum res omnes creaverit; verum etiam ad omnes creaturarum actiones concurrat, hinc scientia etiam Dei causa est non modo rerum omnium, sed et omnium motuum cujuscumque creaturae saltem *per concursum.*

II. Cum in peccato (quod est etiam quidam creaturae motus) duo sint, actio scilicet *physica*, ac materialis, et ipse defectus; qui est *formale* peccati, patet, scientiam Dei non esse causam peccati, quoad ejus formalem rationem, quia in ea ratione non est aliquid *positivum*, sed *negativum*, quod non oritur a causa efficiente, sed deficiente, ut suo loco dicemus.

Objecta diluuntur.

Objic. I. *cont.* 4. *partem.* Patres multi videntur asserere, ideo res a Deo praesciri, quia futurae sunt, non ideo futuras esse, quia praesciuntur. Sic Origenes *in Cap. VIII. Ep. ad Rom: Quia futurum est*, inquit, *aliquid, ideo scitur a Deo antequam fiat.* Et Justinus, seu quivis auctor *Lib. Quaest. ad Orthod. Quaest. LVIII.*

(a) Ambrosius *Lib.* 1. *Hex m. Cap.* 2. Maximus Mart. *in Schol. ad Cap.* 5.

LVIII. Non est praenotio causa ejus, quod futurum est, sed quod futurum erat, causa est praenotionis. Hieronymus *Dial. III. cont. Pelagian. Non ideo peccavit Adam, quia Deus hoc futurum noverat, sed praescivit Deus quod ille erat propria voluntate facturus.* Similia docent *Cyrillus Alex. Damascenus, Chrysostomus,* et alii, quos congerit *Suarez.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Laudati enim Patres vel loquuntur de peccatis, quorum scientia Dei causa non est, vel si de omnibus actionibus loquuntur, intelligendi de scientia mere speculatrice, quae non est conjuncta cum voluntate, et omnipotentia ad opus efficiendum: sed opera jam effecta contuetur; de qua scientia dicitur *Gen. I. 31. Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.* Quae quidem scientia mere speculatrix, licet in Deo reipsa non distinguatur a practica; distinguitur tamen ratione.

Objic. II. Prius est rem esse, quam cognosci. Ergo.

℟. *Dist. ant* prius est rem esse, quam cognosci scientia mere speculatrice, *conc.* Scientia practica, qualis est scientia artificis, *neg.*

PROPOSITIO III.

Praescientia Dei ita est caussa rerum, ut caussis liberis necessitatem non imponat. Fidei dogma est.

Prob. prop. contra *Joannem Hus* in Concilio Constantiensi damnatum, et veteres Stoicos. Ille enim post Manichaeos, et Priscillianistas, posita Dei praescientia, negavit hominum libertatem: isti e contrario, posita hominum libertate, Dei praescientiam negarunt, quam falso putabant, cum libertate hominis stare non posse. Stoicorum insaniam secutus est Socinus. Ita etiam sensit Cicero *Lib. II. De divin.* Unde Augustinus *Lib. V. De Civ. cap.* 9. *Tullius,* inquit, *erepta Deo praescientia, ne libertatis damnum homo sentiret, homines dum vult facere liberos, fecit sacrilegos.*

Prob. itaque *prop.* I. ex iis Scripturarum, et Patrum,

trum testimoniis, quibus suo loco adstruemus Angelorum, et hominum libertatem. Cum enim omnia a Deo praescita sint, et tamen creaturae illae spiritales libere operentur, manifestum est, Dei praescientiam non imponere illis necessitatis jugum.

Prob. II. *ratione.* Cum praescientia Dei, et sapientia, quae est omnium artifex, sit immutabilis, ut supra ostendimus, ac proinde falli nescia, necesse est, ut cuncta in tempore eveniant eo modo, quo Deus ab aeterno praescivit, et ordinavit. Atqui praescivit, et ordinavit, quaedam eventura necessario, quaedam autem libere, ac proinde quibusdam effectibus aptavit caussas necessarias, aliis vero liberas. Ergo tantum abest, ut praescientia Dei imponat caussis liberis necessitatem, quin potius ab ipsa Dei praescientia oritur, et servatur earum libertas. Movet enim certissime Deus creaturam suam, secundum naturam, quam ipse creavit, et servat. Simili ratione utitur S. Thomas *I. P. Q. XIX. art.* 8. ut probet, voluntatem Dei, quae semper cum praescientia juncta est, non imponere caussis liberis necessitatem. Alias rationes vide apud Anselmum *Lib. De Concordia praescientiae Dei cum libertate*, Augustinum *Lib. III. de lib. arb. Cap.* 3. 4. *et Lib. V. De Civ. Cap.* 10. Boetium *De consolat. Lib. V. Prosa* 4.

Solvuntur objectiones.

Objic. I. Quod Deus ab aeterno praescivit, non potest non evenire, alioquin Dei praescientia falleretur. Ergo necessario evenit.

℟. *Dist. ant.* Non potest non evenire eo modo, quo Deus praescivit, *conc.* Alio modo, *neg.* Cum Deus praesciverit ab aeterno, quaedam libere eventura, profecto si illa in tempore necessario evenirent, tunc Dei praescientia falleretur; non fallitur autem cum eveniunt libere.

Inst. 1°. Contradictionem implicat dicere, aliquid non posse non evenire libere. Quod enim liberum est, potest non evenire, quod autem non potest non evenire, liberum non est. Ergo.

℟. *Dist.*

℟. *Dist. ant.* Si loquamur *absolute*, *conc.* Si loquamur *hypothetice*, *neg*. Absurdum enim esset absolute dicere: Petrus non potest non currere libere. Sed facta hypothesi, quod Petrus jam libere currit, recte dicere possumus: Petrus non potest non currere libere, quia non potest simul currere, et non currere. Cum ergo Deus ab aeterno praesciverit, et ordinaverit, quaedam certissime, sed libere eventura; posita hypothesi illa, contradictionem non implicat, ea non posse non evenire libere. Est igitur haec necessitas *hypothetica*, et *consequentiae*.

Inst. 2.° Si libere eveniunt, fieri potest hypothesis, ut actu non eveniant; in hac autem hypothesi Dei praescientia falleretur, quod est absurdum. Ergo.

℟. *Nego. seq. maj.* Hoc enim posito, quod Petrus libere currat, idque ab aeterno praesciverit Deus, fieri nequit hypothesis, quod simul non currat.

Inst. 3.° *Possibili posito in actu, nihil sequitur absurdi*, ut commune habet effatum. Ergo fieri potest hypothesis, ut quae possunt non evenire, non eveniant.

℟. *Dist. ant.* Eo modo, quo possibile est, *conc.* Alio modo, *neg*. Porro possibile non est, ut Petrus libere currat, et simul non currat. Potest quidem dum currit non currere in *sensu diviso*, hoc est potentia cum actu conjuncta.

Inst. 4°. Antequam Petrus currere inciperet, poterat actu non currere? Tunc ergo falsa fuisset Dei praescientia.

℟. *Neg. cons.* Nam si Petrus actu non cucurrisset, hoc ipsum praescisset Deus.

Objic. II. Praescientia Dei est necessaria, aeterna, immutabilis; ergo quae a Deo praevidentur, cuncta sunt necessaria.

℟. *Dist. ant.* Est necessaria quoad *substantiam*, *conc.* quia quidquid est in Deo, est ipse Deus, purus, simplex, et necessarius actus. Est necessaria quoad *connotationem*, ut ajunt, sive *relationem* ad objecta, *neg*. Unus enim, idemque actus Dei necessarius infinita respicit objecta, quorum alia sunt necessaria, alia libera, alia possibilia.

§. II.

§. II.

De Objectio Scientiae Divinae.

PROPOSITIO

Objectum scientiae Dei est primo Deus ipse, deinde caetera omnia praeterita, praesentia, futura absoluta, et conditionata, possibilia, et ipsae internae cordium cogitationes.

Est dogma fidei.

Prob. 1.° Deus seipsum, et attributa omnia absoluta, et relativa cognoscit, et comprehendit. Cum enim scientia Dei perfectissima sit, habeat necesse est objectum perfectissimum, quod est ipse Deus. Hinc scientia ista in Scripturis tribus personis Divinis, tamquam ipsis propria tribuitur. *Luc. X.* 22. *Nemo scit quis sit Filius, nisi Pater, et quis sit Pater, nisi Filius*, I. Cor. II. 11. *Quae Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

2.° Caetera omnia. *Heb. IV.* 13. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda sunt, et aperta oculis ejus.*

3.° Praeterita, praesentia, et futura absoluta. *Psal. CXXXVIII. Tu cognovisti omnia novissima, et antiqua.* Eccli. XXIII. 29. *Deo antequam crearentur omnia sunt agnita.* Rom. IV. 17. *Vocat ea, quae non sunt, tamquam ea quae sunt.* Et *Isaiae XLI.* 23. praescientia futurorum contingentium, tamquam proprius divinitatis character ponitur. *Annunciate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia Dii estis vos.* Unde Tertullianus *Apolog. cap.* 20. *Idoneum testimonium divinitatis est veritas divinationis*, et *Lib. II. cont. Marc. cap.* 5. *Praescientia Dei tantos habet testes, quantos fecit Prophetas* (a).

4.°

(a) Franciscus Junius contrarium Socini errorem late confutat in *Refutat. Praelimin. Socini Tom. II. Praelect. Theolog.* Idem praestat Hornebekius in *Socinianismo Confutato.*

4°. Etiam futura conditionalia. *Matth. XI.* 21. *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro, et Sydone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cinere, et cilicio poenitentiam egissent.* Et I. *Reg. XXIII.* interroganti Davidi, an cives *Ceilac* ipsum tradituri essent *Sauli*, si ibi David morari pergeret, respondit Dominus *Tradent*.

5°. Possibilia. Si enim seipsum, suamque omnipotentiam comprehendit, utique omnia possibilia videt.

6°. Denique internas cordium cogitationes. *Psal. CXXXVIII. Intellexisti cogitationes meas de longe. I. Paralip. XXVIII.* 9 *Omnia corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit.* Jerem. XVII. 10. *Ego Dominus scrutans cor, et probans renes* Eccli. XXIII. 28. *Oculi domini multo plus lucidiores sunt super solem. . . . . hominum corda intuentes in absconditas partes.* Ergo etc. Mittimus alia innumera Scripturae loca, et Patrum testimonia.

Objectiones solvuntur.

Objic. **I. Deus aliquando de futuris dubitando loquitur, ut ex. *gr. Ierem. XXVI.* 3. *Noli subtrahere verbum, si forte audiant, et convertantur,*** Ergo.

℟. *Dist. ant.* Id facit, ut explicet, rem esse apud homines liberam, dubiam, et difficilem, *conc.* apud Deum, *neg.* Hieronymus *in Cap. XXVI. Jerem. Verbum*, inquit, *ambiguum* forsitan *majestati divinae non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium.* Simili ratione rem explicat Augustinus *in Psal. II. et Tract. XXXVII. in Ioan.*

Objic. II. Nonnulla praedixit Deus, quae postea non evenerunt, ut *IV. Reg. XX.* 1. per Isaiam praedixit Ezechiae: *Praecipe domui tuae; morieris enim tu, et non vives*, qui tamen ab infirmitate convaluit. Et *Jonae III.* 4. *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*; quae tamen subversa non est. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et ea Deus praedixit eventura, spectato caussarum ordine, *conc.* Spectato decreto, et praescientia Dei, *neg.* Ezechias enim revera moriturus erat, spectata vi morbi, et Ninive subverten-

da

da propter peccata ; sed sciebat Deus, se daturum praeter ordinem causarum secundarum Ezechiae vitam propter orationem, et Ninivitis veniam propter poenitentiam. Ita *S. Thomas* 2a. 2ae. *Q. CLXXI art* 6. *ad* 2.

Objic. III. Deus in Scripturis dicitur peccata non videre. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum. Habacuc.* I. 13. Et merito ; peccatum enim in sua *formali* ratione non est aliquod positivum, sed mera privatio boni ; *quid est aliud, quod malum dicimus, nisi mera privatio boni?* inquit Augustinus, *Enchirid. cap.* 11. Atqui mera privatio videri non potest. Ergo.

℞. *ad* 1m. *Dist. ant.* Dicitur peccata non videre, quatenus ea non approbat, aut non cito in hac vita castigat, *conc.* quatenus ea non cognoscit, *neg.* Deus itaque in Scripturis saepissime dicitur peccata omnia videre. *Videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, Genes. VI.* 5. *Delicta mea a te non sunt abscondita: Psal. LXVIII.* etc. sed tamen aliqua dicitur non cognoscere, quae non probat, ut *Matth. VII.* 23. *Numquam novi vos, discedite a me qui operamini iniquitatem*: et *Matth. XXV.* 12. *Amen dico vobis, nescio vos.* Vide *Augustinum Quaest. CLII. in Exod. et in Psal.* C. sicut e contrario dicitur cognoscere quae diligit, et probat, ut *Psal. I. Novit Dominus viam justorum*, et *Rom. XI.* 2. *Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit.* Aliquando etiam dicitur non cognoscere quae nondum castigat ; ita enim se gerit, quasi ea ignoraret. *Projecisti, inquit, post tergum tuum omnia peccata mea.* Is. *XXXVIII.* 17. *Omnium iniquitatum ejus non recordabor, Ezech. XVIII.* 22.

Ad 2. *dist. min.* Mera privatio videri non potest per se ipsa, *conc.* per bonum sibi oppositum, *neg.* *Per hoc ipsum*, inquit *S. Thomas* I. *P. Q XIV. art.* 10. *quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscuntur tenebrae.* Et revera cum Deus sit supremus judex, qui *reddet unicuique secundum opera ejus Rom.* II. 6. absurdum est, eum ignorare mala, quae pro merito punit. Imo e contrario ipse solus peccati malitiam comprehendit, quia ipse solus summum bonum comprehendit, cui peccatum adversatur.

Objic.

Objic. IV. *Genes. XXII.* 12. ait Deus Abrahae: *Nunc cognovi, quod times Deum*; ergo antea internam Abrahae justitiam non plene cognoverat.

℟. *Neg. cons.* Ea enim locutio metaphora est. Quia enim apud homines occulta cordium per opera externa noscuntur, ideo dicitur Deus cognoscere Abrahae obedientiam, cum per externos actus se prodidit. *Cognovi* igitur idem est, ac *feci manifestum*, sicut dicitur etiam *Rom. VIII.* 26. *Spiritus postulat pro nobis*, hoc est postulare facit.

Scholion.

Etsi Augustinus *Lib. V. de Civ. cap.* 9. dicat: *confiteri esse Deum, et negare praescium futurorum, apertissima insania est*; tamen *Lib. II. ad Simplic. Quaest.* 2. ostendit, praescientiam Dei longe esse ab humana dissimilem duabus rationibus; 1.° enim quae homines praesciunt, remota ab ipsis sunt; Deo autem omnia sunt praesentissima; 2.° cum res, quas praevidebamus, eveniunt, accedit aliquid perfectionis notitiae nostrae, at contra nihil in tempore potest addi scientiae Dei. *Scit ergo Deus*, inquit, *et praescit Deus ineffabili modo.*

§. III.

De medio scientiae Dei.

Adv. I. Videndum modo est, quo in *medio* videat Deus ea, quae superiore articulo scientiae divinae objecta esse diximus. *Medium* autem scientiae Dei vocant Theologi id, in quo, tamquam in causa, Deus aliquid cognoscit. Et quidem in quo Deus videat seipsum, et omnia creata, imo et omnes actus creaturarum necessarios, facile erit edocere. At gravissima controversia est inter Theologos, quo in medio Deus actiones creaturarum liberas cognoscat. Quae quidem quaestio cum pendeat ab alia,

 quae-

quaenam scilicet sit causa, creaturas libere movens ad agendum, potius rejicienda esset ad Tractatum de Gratia Dei. Sed quia Theologi omnes eam hic agitant, de illa nos etiam paucis hic agemus; uberiorem enim ejus notitiam, nisi pertractatis de Gratia quaestionibus, tirones accipere non possunt.

II. Cardinalis *Cajetanus*, cui accessit etiam *Gonet*, aliique putant, actiones creaturarum liberas praevideri a Deo in reali eorum *coëxistentia* cum aeternitate, non quod illae extiterint ab aeterno, sed quia ipsa aeternitas non habet *prius*, et *posterius*, sed est interminabilis vitae tota simul, et perfecta possessio, indivisibilis, omnia simul tempora comprehendens. Quae quidem sententia manifeste aberrat a veritate. Futura enim non existunt ab aeterno, ergo non coexistunt aeternitati. Licet autem aeternitas indivisibilis sit, tamen *virtualia* quaedam puncta, seu *instantia* sunt, quae praecedunt futurorum existentiam. Sicut et humana Christi natura, ut suo dicendum est loco, licet conjuncta sit Verbo, quod est simplicissimum, et indivisibile; tamen non *coëxistit* ubique, ubi Verbum existit. Ergo *antequam res fierent, erant in Dei scientia, non erant in sua natura*, inquit *Augustinus Lib. V. de Gen. ad lit. cap.* 18.

III. At Thomistae fere omnes putant, actiones omnes creaturarum rationalium videri a Deo in decreto, quo statuit ab aeterno illa *physice praemovere* ad agendum; docent enim ipsi, nullum fieri posse a creatura rationali actum sine physica Dei praemotione.

IV. Pugnant ex adverso *Ludovici Molinae* sectatores, qui nullam agnoscunt *praemotionem*, docentque actus omnes creaturarum, sive sint naturales, sive supernaturales; sive in statu naturae integrae, sive in statu naturae lapsae videri a Deo in seipsis; quatenus in essentia divina tamquam in speculo repraesentantur.

V. Theologi, quos *Augustinianos* vocant, media incedunt via. Distinguunt enim inter actus naturales, et supernaturales: item inter actus supernaturales naturae integrae, et actus supernaturales naturae

rae lapsae. Et quoad actus quidem naturales, et supernaturales naturae integrae *Molinae* assentiuntur; Thomistis vero quoad actus supernaturales naturae lapsae.

PROPOSITIO I.

Deus in nullo medio essentiam suam, et attributa videt.

Prob. 1. *pars.* Medium divinae scientiae illud est, in quo tamquam in causa videt Deus objectum. At nullum fingi potest medium quod sit, etiam nostro intelligendi modo, prius essentia divina, aut illius caussa, aut radix. Ergo.

Prob. 2.° *pars.* Etsi attributa divina nostro intelligendi modo fluere concipiantur ab essentia, non ita tamen ea videt Deus, sed ut sunt in seipsis, nempe reipsa idem cum essentia sua, unusque simplicissimus actus; ac proinde si essentiam in nullo medio videt, idem de attributis dicendum est, quidquid alii Theologi in contrarium afferant.

PROPOSITIO II.

Deus videt cetera omnia in seipso.

Prob. I. *ex PP.* 1.° Dionysius *de divin. nominibus, cap.* 7. *Divina*, inquit, *Sapientia seipsam cognoscens, scit omnia.* 2.° Ambrosius *Tract. in Symbol. cap.* 1. *Nihil extra intelligere, sed singula intueri dicitur.* 3.° S. Thomas *I. P. Q. XIV. ar.* 5. *Deus seipsum videt in seipso, alia autem a se videt non in ipsis, sed in seipso* (a).

 Prob.

(a) Add. Maximus M. *in Scholiis ad Dionys.* Augustinus *Lib.* 83. *Quaest. Q. XLVI.* et *Lib. XI. De Civ. cap.* 7. *et alibi*, Anselmus *Monolog. cap.* 9 *et* 33. Concinunt ipsi Philosophi. Plotinus *Ennead. V. Lib.* 9. *Cap.* 5. Alcinous *Lib de Dogm. Plat.* Ammonius *in Arist. Lib. Peri ermeniias.*

Prob. II. ratione 1.° Operationes intellectus speciem, et perfectionem accipiunt ab *objecto* primario. Si ergo Deus non in scipso videret res alias, sed in se ipsis, essent illae primarium objectum divinae operationis, ac proinde haec ab illis speciem, ac perfectionem acciperet. *Hoc autem*, inquit S. Thomas *Lib. I. cont. Gent. cap.* 48. *est impossibile, cum ejus operatio sit ejus essentia, et haec, quippe ens a se, nequeat ab alio distincto speciem accipere. Sic igitur impossibile est, quod intellectum a Deo primo, et per se sit aliud ab ipso.*

2.° Res, quae a Deo noscuntur, vel sunt possibilia, vel creaturae, vel creaturarum actiones necessariae, vel liberae. Si sunt possibilia, vel creaturae, vel earum actiones necessariae; patet, Deum illas videre tum in sua ipsius scientia; tamquam in arte sua, tum in decreto, quo ab aeterno statuit illas producere talibus instructas proprietatibus, ex quibus certae actiones necessario prodeunt. Si vero sunt actus liberi; licet inter creaturarum naturam, illosque liberos actus non sit necessaria connexio, est tamen (positis circumstantiis) infallibilis nexus, quem nos non videmus, sed videt Deus, cui intime perspecta est natura rerum. Ergo etiam in systemate *Moliniano* verum est, Deum omnia videre in seipso; a fortiori igitur in systemate Thomistarum, et Augustinianorum.

Corollarium.

Habet ergo Deus in seipso omnium rerum tum existentium, tum possibilium *ideas*, hoc est similitudines intelligibiles, quibus tamquam in speculo res omnes repraesentantur, quae quidem ideae non sunt ab ipsa Dei substantia distinctae. Id aliquo pacto veteres Philosophi cognoverunt, in primis Plato, qui ex Clemente Alex. *Lib. V. Strom.* duplicem distinguebat mundum, intelligibilem in Deo, et materialem extra Dei, sicut in mente Architecti est exemplar spiritale operis, extra Architectum est opus ipsum materiale. In eo tamen ab *Aristotele* reprehen-

henditur *Lib. I. Metaphys.* quod ideas illas posuerit a mente divina distinctas, licet *Platonem* nonnulli defendant, *Aristotelem* calumniae postulent (a). *Boetius Lib. III. de Consol. metr.* 9.

. . . . Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique ab imagine formans.

Damascenus Lib I. de Fide cap. 3. *Deus omnium auctor est; ergo omnium, quae sunt, rationes in se, et caussas, hoc est ideas jam ante in ipso praehabet.* Mundum hunc intelligibilem *Philo* Judaeus (*de Mundi Opificio*) appellat ipsum Verbum Dei. Joannes in Evangelio *Cap. I.* 4. *quod factum est in ipso* (Verbo) *vita erat.* Verbum enim Dei est ipsa *substantialis*, et subsistens Sapientia, et Intelligentia Patris, in qua sunt rerum omnium aeternae rationes, et ideae. Cum autem Dei sapientia una sit, hinc revera unica est in Deo rerum omnium idea, *virtualiter* multiplex, propter infinita *objecta*, quae repraesentat.

Dices. Si Deus omnia cognosceret in seipso, ejus cognitio non esset *intuitiva*, sed obliqua, et ut ajunt, *abstractiva*, sicut cum videmus effectum non in ipso, sed in causa. Falsum consequens, quia visio *abstractiva* imperfecta est. Ergo.

℞. *Dist. ant.* Si Deus res alias cognosceret in seipso secundum rationes generales, et non in propria ipsarum idea, *conc.* Si secundum rationes individuas, et in propria ipsarum idea *neg.* Nos itaque oblique, et imperfecte videmus effectum in causa, *ex. gr.* in arbore brumali frigore veluti emortua futuros fructus, quia non videmus fructus ipsos, nisi secundum generales quasdam rationes, nec in propriis singulorum fructuum ideis. At Deus in seipso videt usque ad minutissimas rerum omnium atomos, et quidem in propriis, et perfectissimis earum ideis.

PRO-

(a) De ideis Platonis vide Petavium *Lib. IV. Cap.* 9. *Brukerum Histor. Phil.* Klozium *in Theolog. natur. Disp. XII.*

PROPOSITIO III.

Futura libera ordinis supernaturalis in statu naturae lapsae videt Deus in suo decreto efficaci; reliqua vero in essentia sua tamquam in idea, quae voluntatem creatam, omnesque ejus motus certissime repraesentat.

Prob. 1a. *pars.* Deus ab aeterno decrevit, se facturum per gratiam efficacem, ut homines in statu naturae lapsae actus illos supernaturales exerceant. Ergo in eo decreto actus illos vidit. *Prob. ant. Ezech. XXXVI.* 26. *Auferam*, inquit, *cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum; et spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis.* Et Apostolus *Ephes. I.* 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui praedestinavit nos .... secundum propositum voluntatis suae in laudem gloriae gratiae suae .., in quo etiam et nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Et *Cap. II.* 8. *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis glorietur; ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.* In quae verba sole clariora scribit Augustinus *Lib. de Praedest. Sanct. cap.* 17. *Haec est immobilis veritas praedestinationis, et gratiae .... ait Apostolus: Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti; quod profecto si propterea dictum est, quia praescivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes, contra istam praescientiam loquitur Filius dicens: non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Electi sunt itaque ea praedestinatione, qua Deus utique sua futura facta praescivit .... elegit .... non quia sancti, et immaculati futuri eramus, sed elegit, praedestinavitque, ut essemus.* Sed de his fusius in Tract. de Gratia.

Prob. 2a. *pars.* Reliquae actiones creaturarum libe-

berae vel sunt supernaturales in statu naturae innocentis, vel naturales in utroque statu. At neutras Deus efficaci motione operatur in tempore, ac proinde neutras decrevit, se operaturum ab aeterno. Ergo non videt in suo decreto efficaci. *Prob. min.* de actibus supernaturalibus naturae innocentis. S. Augustinus *Lib. de Corrept. et grat. cap.* 10. 11. *et* 12. docet, Angelos, et homines in statu innocentiae non fuisse a Deo motos auxilio *quo* certissime operarentur, sed auxilio versatili, *sine quo* non possent. *Istam*, inquit, *gratiam non habuit homo primus, qua numquam vellet esse malus, sed sane habuit, in qua si permanere vellet, numquam malus esset, et sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset ... tale quippe erat adjutorium, quod desereret cum vellet, et in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet. Haec est gratia; quae data est primo Adam, sed haec potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit, ut homo habeat justitiam, si velit; secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit ... Fortissimo quippe permisit, atque dimisit, facere, quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante, invictissime quod bonum est vellent, et hoc deserere invictissime nollent.* Quod fuse prosequitur loco citato, nosque uberius suo loco tractabimus. Si autem ad actus supernaturales naturae innocentis decretum efficax non fuit necessarium, *a fortiori* ad actus naturales. Ergo.

Prob. II. ead. 2a. *pars.* Decretum divinum *physice praemovendi* voluntates creatas ad actus liberos naturales requirit *exigentiam*, ut ajunt, creatarum voluntatum, ne destruat liberum earum arbitrium. Ergo decretum illud non est sufficiens *medium*, quo Deus videat futuros creatae voluntatis actus liberos, sed recurrit quaestio, in quonam medio Deus illam videat *exigentiam*.

Cum ergo Deus non videat eos actus in suo decreto efficaci, et aliunde eos videat in seipso, ut supra est demonstratum, sequitur, Deum illos videre in sua essentia, in qua tamquam in arte sua, et universali omnium rerum idea, videt omnes creatas vo-

voluntates, earumque propensiones, et motus, qui inde certissime, licet libere eveniunt.

Dices. Effectus, qui pendet a duplici caussa, non potest in una earum certissime videri; atqui actus supernaturales, tum a Gratia Dei, tum a creata voluntate pendent. *Non ego autem*, inquit Apostolus I. *Cor. XV.* 10. *sed gratia Dei mecum.* Ergo.

℟. *Dist. maj.* Si una caussa alteram non *determinet*, *conc.* Secus, *nego.* Porro in statu naturae lapsae gratia certissime voluntatem movet; in statu innocentiae, ut suo loco monstrabimus, secus se res habuit.

PROPOSITIO IV.

Futura conditionalia, quae tamen non erunt, quia non ponetur conditio, videt Deus in sua essentia tamquam in idea, qua cuncta possibilia cognoscit.

Prob. Futura illa, de quibus loquimur, essent quidem, si conditio poneretur, sed quia scit Deus, conditionem numquam extituram, videt ut mera possibilia. Ergo.

§. IV.

De divisione scientiae Dei.

Adv. I. Licet unica, et simplicissima sit scientia Dei, tamen, nostro intelligendi modulo, propter multiplicia objecta, multiplex ejus divisio est.

I. Dividitur ergo 1.° in speculatricem, sive *speculativam*, et *practicam.* Prior respicit objecta non producenda a Deo, ut cognitio sui ipsius, et rerum possibilium; altera res a Deo producendas, ut cognitio hujus universi.

II. Dividitur 2.° in necessariam, et liberam. Prior est de objectis, quae a libero Dei decreto non pendent, ut cognitio possibilium: altera est de objectis, quae a decreto illo pendent, ut cognitio rerum existentium.

III.

III. Dividitur 3.° in scientiam *simplicis intelligentiae*, et scientiam *visionis*. Prior est de rebus mere possibilibus, quae nec fuerunt, nec futurae sunt: altera vero de rebus existentibus in aliqua *differentia* temporis, h. e. sive praeteritis, sive praesentibus, sive futuris.

IV. De hac postrema scientiae Dei divisione gravis extitit Saec. XVI. controversia inter Theologos. *Ludovicus* enim *Molina Lib. de Conc. Quaest. XXIII. art.* 4. docet, *adaequatam* non esse divisionem ejusmodi, sed inter scientiam simplicis intelligentiae, et visionis *mediam* quandam agnoscendam esse *scientiam*, qua praevidentur a Deo res, quae non sunt mere possibiles, nec futurae, sed futurae essent sine efficaci Dei decreto, si aliqua conditio poneretur, ut *ex. gr.* conversio Tyriorum, si apud ipsos Christus miracula patrasset. Haec Molinae doctrina arctissime conjuncta est cum ea, quam articulo superiore confutavimus, atque ideo sicut pro scientia media, tamquam pro aris, et focis Molinistae certarunt, ita in eam totis viribus insurrexerunt Thomistae simul, et Augustiniani; nisi quod posteriores isti concedunt, agnosci posse scientiam mediam de actibus naturalibus; imo et supernaturalibus Angelorum, et hominum in statu naturae innocentis.

PROPOSITIO.

Adaequata est scientiae Dei divisio in scientiam simplicis intelligentiae, et visionis, ideoque tamquam commentum rejicienda est scientia media.

Prob. I. Quidquid ab aeterno cognoscit Deus, vel erit, vel non: ipsa etiam conditio, sub qua nonnulla dicuntur futura, vel vera erit aliquando, vel non: nihil medium est. Atqui si res erit, pertinet ad scientiam visionis; si non erit, est utique mere possibilis, et ad scientiam simplicis intelligentiae pertinet. Ergo nulla agnoscenda est media scientia.

Prob. II. speciatim de actibus supernaturalibus in statu naturae corruptae. Augustinus disputans contra Pe-

Pelagianos, et Semipelagianos non solum rejicit, ac refellit abusum scientiae mediae, quo illi haeretici explicare nitebantur, cur e duobus parvulis morientibus unus baptizetur, alter sine baptismo pereat (quippe effutiebant illi, ideo hoc accidere, quia praevidebat Deus unius mala opera, alterius vero bona, si ad aetatem adultam uterque pervenisset): verum etiam ipsam scientiam mediam. Ait enim, in hoc statu Deum nulla bona opera hominum supernaturalia praescire, nisi quae ipse decrevit futura: *praedestinatione quippe ea praescivit, quae fuerat ipse facturus.* *Lib. De praedest. Sanct. cap.* 10. Addit etiam *Lib. de dono persev. cap.* 19. nomine praescientiae in Scripturis, et PP. si agitur de vocatione electorum intelligendam praedestinationem. *Quid prohibet quando apud aliquos verbi Dei tractatores occurrit praescientiae nomen, et agitur de vocatione electorum, eandem praedestinationem intelligere?* Atqui hoc omnino destruit scientiam mediam, qua ponitur, Deum aliqua praescire sub conditione futura, sine ejus efficaci decreto. Ergo etc.

Solvuntur Objectiones.

Objic. **I.** Inter rem mere possibilem, et rem absolute futuram, aliquod est medium, nempe res non quidem absolute futura, nec mere possibilis, sed futura sub conditione. Sic *ex. gr.* interroganti Davidi, utrum *Ceilitae* eum in manu Saul essent tradituri, non respondit Dominus *tradere poterunt*, id enim jam sciebat David; sed *tradent*: et Christus increpans Corozaitas, et Bethsaitas, non ait, Tyrios, et Sydonios *potuisse* agere poenitentiam, si sua miracula vidissent, sed *poenitentiam egissent*, at contra neutrum erat absolute futurum, quia revera neutrum accidit. Ergo ec.

℟. *Neg. ant.* Deus enim per scientiam simplicis intelligentiae proditionem Davidis, et conversionem Tyriorum ut mere possibilem videbat; sed per scientiam visionis noscebat etiam pravam Ceilitarum mentem, et minus obduratum cor Tyriorum, ex quo futu-

futurum certo fuisset, ut illi Davidem proderent, si apud ipsos morari pergeret, isti converterentur, si apud ipsos Christus miracula patrasset, cum quibus gratiam quoque efficacem conjunxisset, ut fusius dicemus in Tractatu de Gratia, ubi alias etiam Molinistarum objectiones refutabimus.

Objic. II. Sunt nonnulli Augustiniani Theologi, qui docent, poni posse scientiam mediam de actibus humanis mere naturalibus, imo et de supernaturalibus in statu innocentiae. Ergo non videtur rejicienda omnino.

℟. *Neg. cons.* Licet enim de naturalibus operibus, imo et de supernaturalibus in statu innocentiae, quae ab efficaci Dei decreto non pendebant, quaestio mere Philosophica sit, utrum agnoscenda sit scientia media, qua in quaestione licuit Theologis illis quod sibi verisimilius videbatur sentire; tamen etiam de iis operibus verum est, quod diximus, aut conditionem aliquando exstituram, aut non: si primum, rem videri a Deo per scientiam visionis; sin alterum, per scientiam simplicis intelligentiae; atque idcirco universim rejiciendam esse scientiam mediam. Vide rem copiose tractatam apud Gonetum, *Tom. I. Disp. VI. et Lib. IV. Cap.* 10.

C A P. XIV.

De voluntate Dei.

Adv. I. Esse in Deo voluntatem, tota Scriptura praedicat. *Omnis voluntas mea fiet Is. XLVI.* 10. *Fiat voluntas tua Matth. VI.* 10. Definitum etiam est in Conc. VI. generali contra Monothelitas, esse in Christo duplicem voluntatem, divinam, et humanam; idque etiam ratio demonstrat; cuilibet enim enti sua naturalis in finem inclinatio est, quae in mente praeditis voluntas appellatur. Quamvis autem voluntas Dei una sit, simplicissima, nec ab ejus essentia reapse distinguatur; tamen propter varia *objecta*, quae respicit, varie a nobis dividitur, variasque nobis contemplandas exhibet proprietates. Igitur

tur quaeremus 1.° quodnam sit divinae voluntatis objectum; 2.° quae divisio; 3.° quae proprietates.

§. I.

De objecto divinae voluntatis.

Adv. I. Objectum cujuscumque voluntatis duplex in Scholis distinguitur, *materiale*, et *formale*. Materiale est res ipsa, quam volumus; formale est ratio movens, seu *motivum*, sive id propter quod volumus; sicut medicina est materiale objectum voluntatis aegroti; sanitas vero est ejus objectum formale. Objectum autem voluntatis sive materiale, sive formale non potest esse, nisi bonum, ut in Metaphysicis ostenditur, sicut objectum intellectus non potest esse, nisi verum. Videamus ergo quodnam sit voluntatis divinae objectum tum materiale, tum formale.

PROPOSITIO I.

Objectum materiale primarium divinae voluntatis est ipse Deus, secundarium vero sunt creaturae omnes sive praeteritae, sive praesentes, sive futurae.

Prob. 1a. *pars.* Omnis voluntas primario suam appetit beatitudinem. At Dei beatitudo alia esse nequit, nisi ipse Deus summum bonum, alioquin esset aliud melius, quo Deus perficeretur, et beatus esset, quod est absurdum. Ergo.

Prob. 2a. *pars*, quae ad fidem pertinet, 1.° ex Scriptura, *Sap. XI.* 25. *Diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti.* 2.° ratione. Quidquid est extra Deum, nonnisi ex voluntate Dei est, alioquin vel esset a seipso, vel ab alio principio praeter Deum, quod est absurdum. Deinde quidquid est, quatenus est, bonum est, unde ens, et bonum idem sunt, ut supra docuimus *Cap. XII.* Atqui voluntas divina, cum sit infinita, omne bonum existens complectitur. Ergo. *Co-*

Corollarium.

Hinc sequitur, creaturas mere possibiles non esse divinae voluntatis objectum.

PROPOSITIO II.

Objectum formale divinae voluntatis est ipsa Dei bonitas.

Prob. I. Proverb. XVI. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Ergo etc.

Prob. II. Motivum voluntatis divinae non potest esse, nisi aliquod perfectissimum. Ergo nonnisi ipse Deus. Praeterea si *objectum formale* divinae voluntatis esset aliquid praeter Deum, sequeretur, voluntatem Dei moveri ab alio extra se, et ab illo speciem accipere: voluntas enim ab *objecto formali*, sive *motivo* speciem sumit. Atqui utrumque absurdum est. Ergo. Apposite S. Thomas *I. P. Q. XIX. art.* 2. *ad* 2. *In his, quae volumus*, inquit, *propter finem, tota ratio movendi est finis, et hoc est quod movet voluntatem, sicut qui vult sumere potionem amaram, nihil in ea vult, nisi sanitatem. Unde cum Deus alia a se non velit, nisi propter finem, qui est sua bonitas, non sequitur, quod aliquid aliud moveat voluntatem ejus, nisi bonitas sua. Et sic, sicut alia a se intelligit intelligendo essentiam suam, ita alia a se vult volendo bonitatem suam.*

Solvuntur objectiones.

Objic. I. Si Deus omnia vellet propter seipsum, non amaret creaturas rationales amore amicitiae, quae tendit in amicum propter ipsum, sed amore concupiscentiae, qui alia appetit propter seipsum. Atqui falsum consequens; ait enim Christus *Joan. XV.* 15. *Jam non dicam vos servos . . . . . vos autem dixi amicos*: ut nos alibi fusius dicemus. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Si diligeret rationales creaturas propter

pter suam ipsius utilitatem, et non esset in hoc posita creaturarum utilitas, ut diligerentur a Deo propter seipsum, *conc.* Si ideo diligeret propter seipsum, quia hoc in ipsarum creaturarum utilitatem redundat, *neg.* Sicut igitur amor noster perversus esset, si non diligeremus aut nos ipsos, aut amicum propter Deum; ita si Deus non diligeret amicos suos propter seipsum, esset amor ejus inordinatus, atque perversus. Et sicut nos tunc vere diligimus amicos, cum eos diligimus propter Deum, quia tunc verum bonum illis volumus, quando optamus, ut Dei gloria in illis manifestetur; sic Deus ideo vere diligit creaturas rationales, quia vult, ut in eis sua bonitas refulgeat, in quo sita est ipsarum creaturarum utilitas. Quodnam enim est creaturarum bonum, nisi Deus? Amor autem concupiscentiae est alia appetere propter utilitatem nostram; at Deo nihil utilitatis potest ex creaturis accedere; cum bonorum nostrorum non egeat. Pulchre Bernardus *Serm. III. Pentec. Omnia propter semetipsum fecit Deus, omnia propter suos: aliter tamen propter se, aliter propter suos. Omnia fecit propter seipsum, gratuita scilicet bonitate; omnia propter electos, pro eorum scilicet utilitate.*

Objic. II. Negari non potest, Deum aliquas creaturas fecisse propter alias; sicut dicit Apostolus *II. Cor. IV.* 15. *Omnia propter vos.* Ergo habet aliud objectum formale praeter solam bonitatem suam.

℟. *Dist. ant. Propter alias*, idest in commodum, et utilitatem aliarum, *conc.* Propter alias, tamquam finem, et *motivum* suae voluntatis, *neg.* Quod breviter explicat S. Thomas *I. P. Q. XIX. art.* 5. *Vult ergo*, inquit, *Deus esse hoc propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.* Sicut artifex vult, primum scalae gradum ducere ad alterum, sed non propter alterum gradum, tamquam propter finem, gradum primum format, et aptat, quin etiam primum, et omnes reliquos scalae gradus ad alium finem dirigit. Et sicut Deus intelligit conclusiones fluere ex principiis, et effectus ex caussis creatis, sed principia, et caussae creatae non sunt ei ratio intelligendi conclusiones, et effectus; ita vult unam creaturam alteri inservire

vire, sed altera creatura non est ei ratio, cur velit primam.

Corollarium.

Ergo divina bonitas est prima rerum omnium caussa, fons, et origo. Cujuscumque enim operis primæ caussa est finis, qui agentem movet; ac proinde cum sola bonitas Dei sit finis, et ratio suae voluntatis; quia scilicet, cum nihil possit adquirere Deus, amat bonitatem suam effundere extra se, ut advertit S. Thomas *cit. Q. XIX. art.* 2. sequitur, ipsam esse rerum omnium caussam, et originem. Hinc Augustinus *Lib. I. De Doct. Christ. cap.* 32. *Quia Deus*, inquit, *bonus est, sumus, et in quantum sumus boni sumus.* Ex quo ulterius consequitur, non posse Deum esse mali auctorem, cum enim omnium Divinorum operum prima caussa sit ejus bonitas, magis repugnat, posse inde manare malum, quam ex igne frigus, ex luce tenebras.

§. II.

De divisione divinae voluntatis.

Adv. I. Voluntas Dei, quae unus est, et simplex actus, nostro intelligendi modo dividitur. 1.° in voluntatem *signi*, et *beneplaciti*, 2.° in voluntatem *antecedentem*, et *consequentem*, 3.° a nonnullis Theologis in *absolutam*, et *conditionalem*.

II. Voluntas signi per metaphoram dicitur signum aliquod, per quod Deus exterius aliquod se velle significat, sicut cum Deus aliquid

Praecipit, aut prohibet, permittit, consulit, implet

(seu operatur), quinque enim hisce signis aliquid se velle ostendit; signa autem per metaphoram accipiunt nomen ipsarum rerum, quarum signa sunt. Voluntas vero beneplaciti est ipsum Dei decretum, seu ipsa in Deo *volitio*, qua aliquid ab aeterno statuit. Licet vero voluntas signi semper cum aliqua voluntate beneplaciti conjuncta sit, alioquin signum esset

esset mendax, ut advertit S. Thomas *I. P. Q. XIX. art.* 11. *et* 12. non semper tamen conjuncta est cum ea voluntate beneplaciti, quam nos putamus. Sic cum Deus praecepit Abraham, ut filium Isaac immolaret, putabat ille, Deum velle ejusmodi sacrificium; cum tamen vellet Deus, manifestam fieri Abrahami fidem, et obedientiam.

III. Voluntas antecedens est, qua Deus aliquid vult, quatenus in se, et sine singularibus ejus circumstantiis bonum est: sic Judex vult omnes cives vivere, et mercator omnes servare merces, quatenus utrumque in se, et sine peculiaribus circumstantiis, bonum est. Voluntas vero *consequens* est, qua Deus aliquid, inspectis omnibus singularibus circumstantiis, absoluta decernit. Sic mercator tempestate deterritus, et periculo naufragii, voluntate consequenti merces in mare projicit, et judex civem homicidam morte damnat.

IV. Porro haec divinae voluntatis divisio in antecedentem, et consequentem apud omnes Theologos invaluit, imo nec Patribus fuit ignota. Ait enim Chrysostomus *Homil. I. in Epist. ad Ephes. Prima* (voluntas) *est, ut non pereant, qui non peccarunt. Voluntas secunda est, ut qui facti sunt mali, pereant.* Et clarius Damascenus *Lib. II. de Fid. cap.* 29. *Prima quidem voluntate Deus vult omnes homines servari, et regni sui compotes fieri; neque enim supplicii, aut cruciatus causa, verum ad hoc, ut bonitatis ipsius participes simus, nos effinxit: ut justus autem iis quoque, qui peccant, poenam infert. Prima voluntas dicitur antecedens . . . . secunda autem consequens.*

V. Sed duplex agitatur inter Theologos controversia. Prima, utrum voluntas Dei ideo dicatur antecedens, et consequens, quia vel antecedit, vel sequitur praevisum voluntatis humanae consensum. Secunda, utrum voluntas antecedens sit voluntas beneplaciti, an signi.

VI. Et in priori quidem quaestione *Ludovicus Molina*, qui statuit contra veterum doctrinam nullum esse decretum Dei efficax, et absolutum de actionibus creaturarum liberis, ut supra diximus, docet;
ideo

ideo voluntatem Dei dici antecedentem, aut consequentem, quia nostro intelligendi modo vel antecedit, vel consequitur praevisum creatae voluntatis consensum. Quam doctrinam Thomistae, et Augustiniani totis viribus oppugnant.

VII. In posteriori vero controversia *Estius in I. Dist. XLVI*, §.3. Sylvius *in I. Part. Q. XIX. art* 6. *Bannez*, aliique Thomistae putant, voluntatem antecedentem esse in Deo *metaphoricam*, seu *signi*. Alii omnes docent, eam esse proprie voluntatem beneplaciti.

PROPOSITIO I.

Voluntas Dei non eo sensu dicitur antecedens, aut consequens, quia antecedit, aut consequitur praevisum voluntatis humanae consensum, sed ideo potius, quia nostro intelligendi modo antecedit, vel sequitur considerationem singularium circumstantiarum, in quibus versatur creatura rationalis.

Prob. 1a. *pars*. In statu enim naturae lapsae, ut supra docuimus *Cap. XIII*. §. 3. et uberius demonstrabimus in *Tract. de Gratia*, actus humani ad salutem aeternam pertinentes non antecedunt, sed sequuntur voluntatem Dei, suntque ejus voluntatis effectus. Ergo voluntas consequens non est illa, quae consequitur praevisum voluntatis humanae consensum cum ipse consensus voluntate Dei consequente sit posterior.

Prob. 2a. *pars*. ex S. Thoma *I P. Q. XIX. art.* 6. ubi, posita divisione voluntatis antecedentis, et consequentis, haec habet: *Ad cujus intellectum considerandum est, quod unumquodque secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo: aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum, vel malum, quod tamen, prout cum aliquo adjuncto consideratur, quae est consequens consideratio ejus, e contrario se habet. Sicut hominem vivere, est bonum, et hominem occidi, est malum, secundum absolutam considerationem, sed si addatur circa aliquem hominem, quod*

 sit

sit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est, eum occidi, et malum est, eum vivere; unde potest dici, quod judex justus antecedenter vult hominem vivere; sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult, omnem hominem salvari, sed consequenter vult, quosdam damnari secundum exigentiam suae justitiae.

PROPOSITIO II.

Voluntas antecedens, ex. gr. salvas faciendi omnes rationales creaturas, est in Deo vera, sincera, et beneplaciti.

Prob. I. Cum voluntas Dei vera, et propria infinita sit, complectitur quidquid est bonum, et optabile, ut supra diximus. Atqui omnes rationales creaturas, in finem supernaturalem a Deo ipso creatas, et ordinatas, salvas fieri bonum est, si creaturae considerentur in se ipsae et sine peculiaribus peccatorum circumstantiis. Ergo id Deus vere, et proprie vult.

Licet autem Deus non possit considerare objecta sine circumstantiis; quia capax non est hujusmodi *praecisionum*, et *abstractionum*, quae fingit humana mens, non valens uno obtutu omnes simul objecti proprietates, et circumstantias intueri; tamen certum est, voluntatem divinam veram, et propriam, quamvis simplicissimam, esse *virtute* multiplicem, pro varietate scilicet objectorum. Cum ergo in creatura rationali duo sint, et quod natura est a Deo condita ad finem supernaturalem; et quod peccatrix est; quidni voluntas Dei vera, et sincera erga creaturam hanc sit virtute multiplex, ita ut naturam velit salvam fieri, et naturam peccato infectam damnari, quorum primum est voluntas antecedens, posterius consequens?

Prob. II. auctoritate S.Thomae *Lect. I. in Cap. II. 4. I. ad Timoth.* ubi antecedentem Dei voluntatem comparat cum voluntate mercatoris, qui omnes merces servare cupit voluntate antecedente, quas tamen consequente voluntate in mare projicit metu naufragii: constat autem, illam mercatoris volun-

tatem

tatem veram esse, atque sinceram. Et *Quaest. XXIII. de Verit. art.* 3. ait, voluntatem beneplaciti *dividi per antecedentem, et consequentem.* Et *in IV. Sent. dist.* 47. *Possumus*, inquit, *loqui de voluntate beneplaciti vel signi, et de voluntate beneplaciti vel antecedente, vel consequente.* Ergo voluntas antecedens *beneplaciti* est. Et S. Bonaventura *in I. Dist. XLVI. quaest.* 1. *Deus voluntate beneplaciti vult omnes homines salvos fieri; voluntate antecedente vult omnium salutem.* Idem docet Scotus *in I. Dist. XLVI. q. unic.* Et ante hos idipsum SS. PP. tradiderant. Prosper *in Resp. ad* 2m. *Object. Vincent.* Hieronymus *in I. ad Tim.* Chrysostomus *Homil. in cap.* 2. *I. ad Tim.* Augustinus *Lib. de Sp. et lit. Cap.* 33. *et* 34. Damascenus *Lib. II. de Fid. Orth. cap.* 29. Adde etiam Patres ex hac voluntate Dei servandi omnes erigere fideles in spem, et fiduciam suae salutis, quod nullius esset roboris, si voluntas illa Dei vera, et sincera non esset. Ergo etc.

Prob. III. Verba Apostoli *I. Tim. cap. II.* 4. *Deus vult omnes homines salvos fieri*: si ad litteram intelligantur, de vera, et sincera voluntate accipienda sunt, ut patet. Atqui verba Scripturae revera ad literam sunt accipienda, quando sic intellecta nihil continent absurdum, aut bonis moribus, aut aliis Scripturae textibus contrarium ex generali regula Augustini *Lib. III. de Doct. Christ. cap.* 15., 16. Ergo.

Objectiones solvuntur.

Objic. I. Augustinus saepe docet, verba illa Apostoli quae supra posita sunt: *Deus vult omnes homines salvos fieri*: intelligenda esse vel in sensu *metaphorico*, quia scilicet facit nos id velle, sicut *Rom. VIII.* dicitur Spiritus Sanctus postulare pro nobis, quia postulare facit, *Lib. de corr. et gr. cap.* 15. vel per distributionem accommodam, quia scilicet omnes, qui salvi fiunt nonnisi ejus voluntate salvi fiunt, sicut dicitur, Magistrum docere omnes pueros civitatis, quia nullus docetur nisi ab ipso: *Enchirid. cap.* 13. vel *de generibus singulorum*,

 non

non de singulis generum, sicut dicitur de Pharisaeis: *decimatis omne olus*; *De corrept.*, *et grat. cap.* 14. Ergo ex Augustino voluntas Dei salvos faciendi omnes, et singulos homines, vera, ac propria non est: idem dicas de omni voluntate antecedente.

℟. *Dist. cons. quoad* 1m. *partem.* Si loquamur de voluntate absoluta, et consequente, de qua loquebatur Augustinus, contra Pelagianos, et Semipelagianos disputans, *conc.* si de voluntate antecedente, *neg.* ac proinde altera consequentiae pars, qua inferebatur: *idem dicas de omni voluntate antecedente*; absolute *neganda est.* Illi ergo, contra quos disputabat S. Doctor, negabant gratuitam electorum praedestinationem, docentes, Deum aeque omnes velle salvos, si ipsi per liberum arbitrium legem servent, aut saltem habeant fidei initium; ideoque laudatis Apostoli verbis abutebantur. Augustinus ergo, qui praedestinationem sanctorum ex aliis Scripturae locis demonstraverat, respondebat, ex laudato Apostoli loco non erui contrarium; quia si de voluntate absoluta, et consequenti intelligatur, ut adversarii intelligebant, in sensu figurato intelligendus est, alioquin omnes revera salvi fierent. Ceterum, quando Augustinus non respondet objectionibus haereticorum, sed sententiam proponit suam, non abnuit, verba Apostoli intelligi posse de voluntate Dei vera, et sincera salvos faciendi omnes. *Vult autem Deus*, inquit *Lib. de Sp. et lit. cap.* 33. *omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes, justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno, et summo bono, malisque poenalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in bonis misericordiam contemserunt.*

Objic. II. S. Thomas in Summa retractavit quod junior scripserat de voluntate antecedenti. Ait enim *I. P. Q. XIX. art.* 6. *ad* 1. voluntatem antecedentem esse voluntatem *secundum quid*, esse meram *velleitatem*: *magis*, inquit, *potest dici velleitas, quam simplex voluntas*. Ergo. ℟. *Neg.*

℟. *Neg. ant.* Ad *confirm.* ℟. *dist. ant.* Vocat voluntatem *secundum quid*, et *velleitatem*, si comparetur cum voluntate consequenti, quae fertur in obiectum cum omnibus suis circumstantiis, semperque est efficax, *conc.* si spectetur in seipsa, *neg.*

Objic. III. Voluntas, quae fertur in objectum sine circumstantiis, otiosa, et imperfecta est. Ergo non est in Deo.

℟. *Dist. ant.* Otiosa est in Deo, *neg.* In hominibus, *suddist.* aliquando, *conc.* semper *neg.* Itaque in hominibus quidem haec voluntas aliquando otiosa est, ut in peccatore, qui salvus esse vellet, nihil boni agendo: sed non semper, ut videre est in mercatore, qui quantum potest conatur, ne merces in mare projiciat; semper tamen aliquid imperfectionis, involuntarii, et infirmitatis adjunctum habet, sicut ipse mercator invitus merces projicit quia servare non potest. At in Deo voluntas antecedens otiosa non est, quia ex illa Deus vel praebet, vel saltem praeparat hominibus etiam reprobis auxilia, quibus salvi esse possent, nec arguit aliquid involuntarii; aut imbecillitatis, quia ita vult, omnes salvos fieri, ut sciat etiam, et velit, et possit eos, qui misericordiam noluerunt, justitia punire, ut observat Augustinus *loc. cit. de Sp. et lit.*

PROPOSITIO III.

Si per voluntatem conditionalem intelligatur Dei decretum, absolutum quidem in ipso Deo, sed adjunctam habens conditionem, libere a creatura implendam, quod Scholae dicunt absolutam ex parte subjecti, et conditionatam ex parte objecti, non est absurda divisio voluntatis divinae in absolutam, et conditionalem.

Prob. I. contra *Vasquesium*, *Annatum*, aliosque ex Scriptura, quae saepe commemorat hujusmodi conditionalia decreta. Ita Samuel Sauli inobedienti denuntiat: *Si non fecisses, jam nunc praeparasses regnum tuum super Israel in sempiternum; nunc autem nequaquam regnum tuum ultra consurget I. Reg. XIII.* 13.

13. Et *Lib. IV. Reg. XIII.* 19. Eliseus sic alloquitur Joas Regem Israel, qui jussus a Propheta terram baculo percutere, ter percusserat : *si percussisses quinquies, aut sexies, aut septies ; percussisses Syriam usque ad consumptionem.* Et Jeremias *Cap. XXXVIII.* 17. Sedeciae Regi ait : *Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua, et civitas haec non succendetur igni.* Durissimum autem est quod reponunt adversarii, verba ista Samuelis, Elisei, et Jeremiae non esse ipsis a Deo revelata, sed addita ab ipsis Prophetis ex humano more, et conjectura loquentibus. Ergo.

Prob. II. ex auctoritate S. Thomae *in I. Dist. XLVI. Q.* 1. *art.* 2. *ad* 2. *Voluntas antecedens potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinae.*

Prob. III. ratione. Decet supremum rerum Dominum creaturis suis imponere modum, et conditiones quibus sua velit beneficia largiri. Ergo.

Objic. Voluntas conditionalis est voluntas ab eventu suspensa, et a conditione pendens. Atqui repugnat Deo hujusmodi voluntas. Ergo.

R. *Dist. maj.* Si sit voluntas conditionalis in subjecto, seu, ut ajunt, *subjective*, et conditio ab alio sit imposita, *conc.* Si sit tantum *objective* conditionalis, et conditio ab ipso volente sit imposita, *neg.* Fatemur quidem, voluntatem *subjective* conditionalem non esse voluntatem *actu*, *sed in potentia*, suspensam scilicet ab eventu, ut si quis dicat : nolo Romam proficisci, sed si me amicus itineris socium cupiet, ad proficiscendum me inducet. Item voluntas, quae adjunctam conditionem habet ab alio impositam, ab ipsa conditione pendet. At Deus *actu* voluit, Saulis Regnum esse in sua familia perpetuum ; si non esset inobediens, quae conditio ab ipso Deo, ut donorum suorum supremo Domino fuit apposita, ac proinde ejus voluntas fuit tantum *objective* conditionalis, nec ullo modo a conditione pendens.

Co-

Corollarium.

Ergo voluntas Dei antecedens salvos faciendi omnes homines, si in bono perseverent, dici merito potest *conditionalis*. Et quamvis homines nequaquam in bono perseveraturi sint, nisi Deus ipse det illis speciale perseverantiae donum, ut suo loco dicemus; non sequitur tamen, nugatoriam esse Dei voluntatem quoad reprobos, quasi velit eos salvos facere, posita conditione, quae a solo Deo pendet, quamque Deus ipse ponere non vult. Deus enim non denegat, vel saltem praeparat ipsis auxilia, quibus perseverare possunt, quae auxilia si ipsi actu non accipiunt, ut parvuli in utero materno morientes, id oritur ex aliis causis, quas Deus ut generalis rerum moderator impedire non debet, si vero accipiunt, et non utuntur, eorum culpa est. Vide ista fusius ap. *Gonet. Tom. I. Disp. V.*

§. III.

De voluntatis divinae proprietatibus.

Adv. Cum multae sint voluntatis divinae proprietates, nos hic de quatuor pertractabimus; 1.° utrum sit causa rerum omnium; 2.° utrum semper impleatur; 3.° utrum sit libera; 4.° utrum in ea locum habeant justitia, misericordia, tristitia, amor, odium, ira.

PROPOSITIO I.

Voluntas Dei est caussa rerum omnium.
Est dogma fidei.

Prob. Sap. XI. 26. Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Psalm. CXXXIV. *Omnia quaecumque voluit, fecit.* Et *Ephes. I.* 11. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Etiam mala naturae, et poenae a Dei voluntate proficiscuntur *Amos III.*

III. 6. Si est malum in civitate, quod Dominus non fecerit? Isaiae XLV. 7. *Ego Dominus faciens pacem, et creans malum.* Eccli XI. 14. *Bona, et mala, vita, et mors, paupertas, et honestas a Deo sunt.* Hinc Augustinus *Lib. XIII. de Trin. cap.* 4. omnes tum creaturas, tum creaturarum motus, et actiones a voluntate Dei, tamquam a prima caussa pendere docet; excepto tamen *formali* peccato, quod nihil est, nisi privatio boni, ut supra docuimus *Cap. XIII. §. 1. prop. 2. corol.*

PROPOSITIO II.

Voluntas Dei consequens semper impletur: non item voluntas antecedens, et voluntas signi. Est dogma fidei quoad primam partem.

Prob. 1a. *pars. I. Isaiae XLVI.* 1. *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* Dan. IV. 32. *Juxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus caeli, quam in habitatoribus terrae, et non est qui possit dicere ei: quare fecisti?* Esther XIII. 9. *Non est qui possit tuae resistere voluntati.* Psal. *CXXXIV. Omnia quaecumque voluit fecit in caelo, et in terra.* Ergo.

Prob. II. *ex PP.* Augustinus *Enchirid. Cap.* 96. *Neque veraciter*, inquit, *ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturae voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Idem docent unanimi consensu Patres alii.

Prob. III. *ratione.* Si voluntas Dei consequens non impleretur, id accideret, vel quia ipse Deus sententiam mutavit, vel quia non potuit exequi quod voluit, vel quia creaturae ejus effectum impedierunt. Atqui omnia haec absurda sunt, ut patet. Nam de ejus immutabilitate, et omnipotentia jam diximus supra *Cap. VI.* et *XII.* Creaturam vero impedire posse voluntatem omnipotentis, indignum dictu est. *Quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit*, inquit, *Augustinus Enchir. Cap.* 96.

Prob. 2a. *pars. Matth. XXIII.* 37. *Quoties volui congre-*

gregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? I. Tom. II. 4. *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*; constat tamen non omnibus id contingere. Ergo.

PROPOSITIO III.

Voluntas Dei libera est, non quidem ad amandum ipsum Deum, sed ad creaturas. Est dogma fidei.

Prob 1a. *pars.* Si voluntas Dei libera esset ad ipsum amandum, posset illum non amare, hoc est deficere a summo bono, quod est absurdum. Ergo.

Prob. 2. *pars.* I. ex Script. Ephes I. 11. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae*, ac proinde non ex necessitate. *I. Cor. XII.* 11. *Dividit singulis prout vult*, quod explicans Ambrosius *Lib. de Fide Cap.* 3. ait: *idest libero voluntatis arbitrio, non necessitatis obsequio.*

Prob. II. ex unanimi Patrum consensu, qui omnes uno ore docent, Deum potuisse mundum non condere, quem condidit, et potuisse facere alia, quae non fecit; item potuisse non incarnari etc. *Nullam necessitatem patitur Deus, neque necessitate facit, quae facit, sed summa, et ineffabili voluntate, ac potestate*, inquit Auctor Libri *de Fide contra Manichaeos. Inter Opp. S. August. ad calc. Tom. VIII.* (a)

Prob. III. *ratione.* Finis, et ratio, sive *motivum* voluntatis Dei, ut supra ostendimus §. *I. prop.* 2. est ipsa bonitas sua, quam, necessario amat, creaturae vero non sunt, nisi instrumenta, sive *media* ad hunc finem. Atqui creaturae non sunt ad finem instrumenta necessaria, et *motivum* divinae voluntatis, alioquin Deus eas condidisset ab aeterno, nec esset sine ipsis in seipso beatus. Ergo eas non vult necessario. Absur-

(a) Addi potest Basilius *Hom. I. in Hexam.* Ambrosius *Lib. I. Hexam. Cap.* 5. Heronymus *in Epist. ad Philem.* Augustinus *Lib. De fide cont. Manich. Cap.* 3. Damascenus *Lib. II. De fid. Cap.* 3. Bernardus *Lib. de grat. et lib. arb.*

Absurdum est enim amare necessario, quod cum fine non est necessario connexum; et e contrario eximia perfectio est, quae Deo negari non potest, amare res pro earum merito, hoc est non necessario, quae cum fine non sunt necessario connexae, et inter eas eligere. *Omnis enim natura, cui inest ratio, inest etiam volendi, nolendique libertas*, inquit *Honorius* Augustodunensis *Lib. De Praedest. et Lib. arb.*

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. *cont.* 1m. *part. Augustinus* saepe docet, Deum non necessario, sed libere amare seipsum suamque justitiam. Sic *Lib. I. Op. Imperf. cont. Julian.* dicenti Juliano: *Liberum non est, nisi quod duo potest velle, bonum, et malum*, reponit Augustinus: *Liber ergo Deus non est, qui malum velle non potest, de quo etiam ipse dixisti: Deus nisi justus esse non potest. Siccine Deum laudas, ut ei adimas libertatem?* Et Bernardus *Lib. de Grat. et Lib. arb. cap.* 4 *Deus ipse permanet libere bonus, propria videlicet voluntate, non aliqua extrinseca necessitate.* Concinit S. Thomas *De potentia Q. X. art.* 2. *ad* 5. docens, Spiritum S. *libere procedere*; procedit autem Spiritus S. ex amore divinae bonitatis. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et *Augustinus* ibi necessitatis nomen adhibet pro coactione, et libertatem pro libertate naturae, quo sensu etiam intelligendi sunt *Bernardus*, et *Thomas*, *conc.* Adhibet necessitatis nomen pro intima, ac necessaria adhaesione voluntatis ad objectum sine potentia eligendi contrarium, et libertatem pro libertate arbitrii, *neg.* Augustinus ergo, sicut et *Bernardus necessitatis* nomen aliquando usurpant latius pro coactione, quae ab exteriori caussa infertur. Ita *Lib. de Nat. et Grat. cap.* 46. ait, Deum *non necessitate*, sed *voluntate* amare justitiam, ubi manifeste voluntatem coactioni opponit. Praeterea libertas apud Augustinum, aliosque Patres duplex est, alia naturae, alia arbitrii. Prior est facultas attingendi finem sine impedimento, sicut dicimus, aquam libere fluere, cum nihil obstat, ne in proclive feratur. Altera est facul-

cultas, qua, positis omnibus ad agendum requisitis, potest quis agere, vel non agere.

Objic. II. cont. 2m. part. Actus divinae voluntatis est necessarius; est idem cum Dei essentia. Ergo liber non est.

℟. *Dist. ant.* Est necessarius *quoad entitatem*, *conc.* quoad externam relationem ad creaturas, *neg.* Quemadmodum enim Deus actum hunc necessarium, qui est sua voluntas, et sua essentia, non retulit ad creaturas possibiles, poterat non referre ad eas, quas creavit.

Inst. 1°. Non potest idem actus esse simul necessarius, ac liber. Atqui *ex concessis* actus divinae voluntatis necessarius est. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Sub eodem respectu, *conc.* Sub diverso, *neg.* Responsio patet, exemplo avari, qui beatitudinem suam in divitiis ponit. In eo enim unus, et idem actus, quo divitias amat, necessarius est, quatenus amat beatitudinem; liber est, quatenus in divitiis beatitudinem constituit.

Inst. 2°. Ad rationem libertatis requiritur *indifferentia.* Atqui actus divinae voluntatis, cum sit ex concessis secundum *entitatem* necessarius, non est *indifferens*.

Confirmatur. Qui jam aliquod objectum elegit, non est amplius erga illud indifferens. Deus autem ab aeterno; quae vult, voluit, nec ullum fuit momentum, quo ea, quae vult, nondum voluerit. Hinc Damascenus *Lib. II. de Fid. Orth. cap.* 22. docet, in eo non esse electionem. Ergo.

℟. Ludovicus Thomassinus *Tract. X de Incarn.* aliique Teologi Lovanienses docent, indifferentiam non pertinere ad libertatis essentiam, licet fateantur, ad meritum, et demeritum in statu naturae lapsae indifferentiam requiri, ut effugiant censuram ab Innocentio X. latam contra tertiam *Jansenii* propositionem: *Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate.* Verum rejecta ea doctrina, de qua alibi commodius;

℟. *Dist. maj*: *Indifferentia activa, conc.*, Indifferentia su-

suspensa (ut ita dicam) (a), *neg.* Suspendere actum ante electionem, ut inquirantur rationes eligendi, non est perfectio, sed defectus libertatis; demonstrat enim, mentem non videre uno ictu rationes omnes, quibus res aut eligi mereatur, aut rejici. Hic autem defectus a mente divinâ abest, ac proinde ab aeterno vidit uno actu, elegitque, quae voluit.

Pari ratione *ad confirmationem* respondeo, eum, qui jam voluntate in aliquo fixus est, non habere amplius indifferentiam *suspensam*, sed habere *activam*; hoc est ita esse in voluntate sua fixum, ut potuerit non eligere, quod elegit. Et hoc sensu Damascenus ait, in Deo non esse electionem, hoc est, non esse eam, quae in nobis est, judicii, et electionis suspensionem.

Inst. 2°. Qui post electionem ab ipso factam pergit habere *activam* indifferentiam, potest mutare sententiam, atque ab actione cessare. Atqui Deus ita est ab aeterno in voluntate sua fixus, ut mutare sententiam non possit. Ergo neque *activam* habet indifferentiam.

℟. *Dist. maj.* Potest mutare sententiam propter imbecillitatem mentis, quae novas in objecto detegit rationes, quas ante non viderat, vel in seipsa experitur mutationem aliquam, ex qua objectum non est amplius ipsi conveniens, ut acute docet S. Thomas *I. P. XIX. art.* 7. *conc.* Potest mutare sententiam, quia mutabilitas haec pertinet ad rationem, seu essentiam libertatis, et indifferentiae, *neg.* Posse igitur mutare sententiam non perfectio, sed defectus libertatis est. Unde quanto mens perfectior est, tanto minus potest a proposito dimoveri. Quod quidem in hominibus plerumque in vitio est, oriturque ex superbia, qua se putant, omnia recte vidisse, ac perpendisse. Sed exinde nonnulli Theologi concludunt, Angelos in eo, quod semel elegerunt, immutabiles esse, quod nos suo loco expendemus. Ceterum mens divina, cum perfectissima sit, mu-

(a) Scholast. *Suspensiva.*

mutationis non est capax, nec id destruit, sed perficit ejus libertatem, et indifferentiam, quia si liber, et indifferens fuit ab aeterno, talis in aeternum manet respectu creaturarum.

Ergo Dei libertas est modus, quo extrinsecus tendit in objectum; qui quidem modus est Deo intimus, licet ipsa relatio sit exterior. Hinc non sequitur ex nostra sententia, Deum esse liberum per *denominationem extrinsecam*, ut nonnullis Scholasticis visum est post *Aureolum*.

PROPOSITIO IV.

In Dei voluntate non est, stricte intellecta, justitia commutativa, sed tantum distributiva, et vindicativa, et vera; et propria misericordia.

Prob. 1a. *pars.* Justitia commutativa, stricte intellecta, in aequalitate dati, et accepti posita est, quae quidem aequalitas postulat, ut quod datur, sit ex propriis bonis, nec alio titulo debitis. Atqui nihil habent de suo creaturae, quod aut priores Deo dent, aut post accepta beneficia ad aequalitatem rependant, quodque non sit ipsius Dei donum, illique alio titulo debitum. Ait enim Apostolus *Rom. XI.* 35. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* et S. Thomas *I. P. Q. XXI. art.* 1. *Cum omnia nostra ex Deo sint, nec quisquam quidpiam dederit, pro quo sibi a Deo retribuatur; jure ergo in ipso justitia commutativa non est* (a). Est tamen latiori sensu haec justitia in Deo, quia tanta ejus est bonitas, ut voluerit esse merita nostra, quae sunt dona sua, ut observat *Augustinus.*

Quoties ergo docuere Patres; aut etiam sacrae litterae, Deum ex justitia aliquod facere debuisse, latiori sensu justitiae nomen usurparunt ad significandum, quod decet sapientiam, et bonitatem suam; eo fide-

(a) Adverte, non hic posita asse. S. *Thomae* verba, sed sensum.

fidelitatem in promissis. Quo sensu *Heb. VI.* 10. dicitur: *non injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri boni.* Et Augustinus *Lib. IV. cont. Jul. cap.* 3. *Deus ipse*, inquit, *quod absit, erit injustus, si ad ejus regnum verus non admittatur justus.*

Prob. 2a. *pars.* Justitia *distributiva* est constans voluntas retribuendi cuique pro merito. Atqui talis est Dei voluntas. Inquit enim Apostolus *II. Tim. IV.* 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Et *Rom. II.* 6. *Reddet unicuique secundum opera ejus.* Ergo etc.

*Prob.*3a. *pars.* Justitia *vindicativa* est constans supremi provisoris voluntas criminibus poenam infligendi. Atqui voluntas divina est hujusmodi. *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit; tantum date illi tormentum* Apoc. XVIII. 7. *Revelatur ira Dei de caelo super omnem impietatem* Rom I. 18. *Mihi vindictam, et ego retribuam* Rom. XII. 19. *Ibunt in supplicium aeternum Matth. XXV.* 46. Denique plenae sunt singulae Scripturarum paginae tum testimoniis, tum exemplis divinae justitiae vindicantis in impios; ut supervacaneum sit hic ulterius immorari.

Prob. 4a. *pars.* Misericordia est voluntas alienam miseriam sublevandi. Atqui in Deo est hujusmodi voluntas, imo Deus in Scripturis de hac voluntate, tamquam de praeclarissimo inter omnia attributa sua millies gloriatur. *Dominator Domine Deus misericors, et clemens, patiens, et multae miserationis . . . . qui custodis misericordiam in millia Exod. XXXIV.* 6. Et *Psal. CXLIV. Miserator, et misericors Dominus, longanimis, et multum misericors. Miserationes ejus super omnia opera ejus.* II. Cor. I. 3. *dicitur Pater misericordiarum.* Ephes. II. 4. *dives in misericordia etc.* Ergo. Non est tamen misericordia Dei conjuncta cum imperfectione, quae in nobis est, nempe cum animi tristitia, quae in Deum cadere non potest.

*Dices cont.*2m. *part.* Cujuscumque justitiae ratio in eo sita est, ut reddatur debitum. Atqui in Deo nullum potest esse debitum. Ergo nec justitia *distributiva.* *Dist.*

℟. *Dist. min.* Nullum potest esse debitum, ortum ex jure creaturae, cui Deus obligetur, *conc.* Nullum potest esse debitum, ortum ex naturali rectitudine, et lege aeternae sapientiae (quae est ipse Deus) ex qua supremus Moderator debet praemia pro meritorum ratione tribuere, *neg. Debitum est Deo* inquit S. Thomas *I. P. Q. XXI. art. I. ad* 3. *ut. impleatur in rebus id, quod ejus sapientia, et voluntas habet, et quod suam bonitatem manifestet, et secundum hoc justitiam Dei respicit decentiam ejus, secundum quam reddit sibi, quod sibi debetur.*

Urgebis. Ergo justitia Dei est ad seipsum, non ad alterum. Atqui hoc destruit strictae justitiae rationem. Ergo.

℟. *Neg. seq. maj.* Licet enim finis, et *motivum* justitiae Dei sit ipsa Dei bonitas, quae est *objectum formale* voluntatis ejus, revera tamen *ad alterum* diffunditur, nempe ad creaturas.

PROPOSITIO V.

In Dei voluntate est vere, et proprie amor boni, et odium mali, sive culpae; desiderium vero, tristitia, et ira nonnisi per metaphoram.

Prob. 1a. *pars.* Esse in Deo amorem tum erga creaturas, tum erga seipsum, est ex Scripturis, et Patribus manifestum. *Sap. XI.* 25. *Diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti.* Matth. III. 17. *Hic est Filius meus dilectus.* Hunc autem amorem esse verum, non *metaphoricum*, sic probat S. Thomas *I. P. Q. XX. art.* 1. *et I. cont. Gent. cap.* 91. Quicumque habet voluntatem, habet et amorem proprie dictum; amor enim est primus voluntatis motus, a quo ceteri omnes affectus oriuntur. Atqui in Deo est voluntas, ut supra ostendimus. Ergo et amor. Praeterea amare est bene alteri velle. Atqui Deus bene vult tum creaturis, quibus tribuit existentiam et cetera bona, tum sibi ipsi. Ergo etc. Ex quo sequitur 1°. amorem Dei esse efficientem, actuosum, et ut ajunt, *effectivum*, quia cum voluntas ejus conse-

sequens sit efficax, imo etiam antecedens, saltem quoad instrumenta, sive *media*, quae praeparat ad salutem; ii, quibus absolute bene vult, bene etiam facit; 2°. creaturas possibiles non esse objectum divini amoris, quia illis existentiam non tribuit, nec habet erga illas, nisi (ex sententia nonnullorum) meram quandam complacentiam.

Prob. 2a. *pars.* Esse in Deo odium Scriptura testatur. *Sap. XIV.* 9. *Odio sunt Deo impius, et impietas ejus.* Esse autem hoc odium verum, probatur contra Thomistas. Odium est animi aversio a malo illo, quod bono vehementer amato adversatur. Atqui in Deo necessaria est hujusmodi aversio a malo culpae, quod bono summe dilecto, nempe sibi ipsi opponitur. Ergo etc. Diximus *a malo culpae*, quia non potest in Deum cadere odium inimicitae erga res, vel personas a se creatas, quae, quatenus sunt, bonae sunt, ideoque a Deo diliguntur juxta illud *Sap. XI.* 25. *Diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti*; nec ullo pacto possent existere, nisi eas Deus diligendo conservaret, etiam tum cum poena rebelles plectit non odio personarum, sed amore justitiae.

Prob. 3a. *pars.* Desiderium etiam Deo tribuit Scriptura. *Oseae X.* 10. *Juxta desiderium meum corripiam eos*: sed hoc per metaphoram accipiendum, evincitur contra nonnullos Theologos, ex eo quod desiderium est boni absentis. Atqui nullum bonum Deo abest, qui omnia in se habet vel *formaliter*, vel *eminenter*. Ergo.

Prob. 4a. *pars.* Tristitia est dolor animi ob bonum amissum, vel ob malum praesens. Atqui Deus dolere non potest, cum sit in seipso infinite beatus, nec ullum possit aut amittere bonum, aut subire malum. Ergo etc. Hinc per metaphoram dicitur contristari *Ephes IV.* 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum*: et poenitere *Genes. VI.* 6. *Poenituit eum, quod hominem fecisset.*

Prob. 5a. *pars.* Ira est appetitus vindictae propter tristitiam, ex injuria illata conceptam. Atqui in Deum cadere non potest desiderium, nec tristitia, ut

ut paulo ante ostendimus. Ergo nec ira. Quoties ergo in Scripturis dicitur Deus irasci, tristari, desiderare, per metaphoram id est intelligendum, quia scilicet id exterius operatur, quod homines, qui desiderant, tristantur, irascuntur, facere consueverunt. Ita S. Thomas *Lib. I. cont. Gent. cap.* 89. *et I. P. Q. XX. art.* 1. *ad* 2. *Deus*, inquit Chrysologus *Serm. XLV. nec subjacet passioni, nec ira accenditur, nec furore turbatur, sed ira Dei est delinquentium poena, furor Dei est supplicium peccatorum.*

Dices. Odium proprie dictum necessario personam respicit, cui optatur malum *sub ratione mali*, quod enim personam non respicit, potius abominatio, quam odium dicitur. Atqui Deus nullum personae creatae potest velle malum sub ratione mali. Non quidem personae, quia persona, ut est res aliqua subsistens, bona est; non etiam potest ei velle malum sub ratione mali, quia unica ratio, et *motivum* divinae voluntatis est sua bonitas; ac proinde nihil cuiquam sub ratione mali velle potest. Ergo.

℟. Nos de nomine non movere quaestionem. Si ergo odium definiatur esse id, quod respicit personam aliquam, cui malum sub ratione mali optetur, fatemur, illud in Deo non esse. Sed quia abominatio illa, qua quis aversatur id, quod bono amato opponitur, non immerito vocatur odium, ideo illud in Deo agnovimus.

C A P. XV.

De Providentia Dei.

Adv. I. PRovidentia duplici ratione spectari potest vel in mente Provisoris, vel in exteriori gubernatione. Priori modo spectata definitur a Boetio *Lib. IV. de Consol. Prosa* 6. *Æterna ratio in summo Principe constituta, qua cuncta disponit*: posteriori modo est ipsum exterius Dei regimen, et ordo rerum in finem.

II. Et quia rerum omnium finis vel naturalis est, vel supernaturalis, duplex quoque distinguitur a Theo-

logis providentia: naturalis scilicet, quae cuncta regit, et dirigit in finem naturalem, et supernaturalis, quae creaturas rationales ad finem dirigit supernaturalem, nempe ad Deum clare videndum, ac possidendum in patria.

III. Rursus providentia supernaturalis species sub se habet duas *praedestinationem*, *et reprobationem*. Praedistinatio est efficax Dei decretum perducendi electos ad gloriam. Reprobatio vero est Dei decretum, quo statuit, impios non eligere ad gloriam, sed poenis addicere sempiternis. Hinc Theologi passim hoc in loco de Praedestinatione, et Reprobatione disserunt. Nos, quia ea doctrina satis perspecta tironibus esse non potest, nisi pertractatis quaestionibus de Gratia, quae cum praedestinatione intimo nexu juncta est, satius duximus uno, eodemque libro de gratia, et praedestinatione disputare. Quapropter hic contenti erimus, ipsam generatim Dei providentiam asserere contra Epicureos, qui omnia fortuito atomorum concursui tribuebant; Stoicos, qui fatum ineluctabile adstruebant ex siderum motu, atque influxu; et recentiores quosdam Graeculos, qui scelerum suorum vindicem Deum metuentes, quanta maxima vi potuerunt, ejus providentiam saltem ab acie mentis suae removere conati sunt; vel saltem ei relinquunt generalem quandam superiorum caussarum motionem, quae infima non attingat.

PROPOSITIO

Summa est in Deo providentia, eaq. ad minutissima quaeque extenditur, nec umquam falli potest.

Est fidei dogma.

Prob. 1a. *pars.* I. ex Scriptura. *Sap. XII.* 13. *Non est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus*: Et *cap. XIV.* 3. *Tua .. Pater, providentia ab initio cuncta gubernat.* Psal. CXVIII. *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.* Hanc providentiam ad liberos etiam hominum motus extendi, Scriptura docet *Prov. XVI.* 9. *Cor hominis disponit viam*

viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus. Et *Cap. XX.* 24. *A Domino diriguntur gressus viri.* Imo ad ipsa peccata, quae Deus non facit, sed vertit, atque ordinat in bonum. *Exod. IX.* 16. ait Dominus Pharaoni: *Posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in gentibus*; et *Petrus* de morte Christi, quae omnium scelerum extitit maximum, ait *Act. II.* 23. *Hunc, definito consilio, et praescientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes, interemistis.* Denique ad illa ipsa, quae nobis maxime fortuita videntur. *Prov. XVI.* 33. *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.* Ergo etc.

Prob. II. *ex PP. Quis operator*, inquit Ambrosius, *negligat operis sui curam? quis deserat, et destituat quod ipse condendum putavit? Si injuria est* (a) *regere, nonne major injuria fecisse, et non curare? cum aliquid non fecisse, nulla injustitia sit, non curare quod feceris, summa inclementia Lib. I. de Offic. cap.* 13. Augustinus *Lib. de utilit. credendi cap.* 16. *Si Dei providentia non praesidet rebus humanis, nihil est de Religione satagendum.* Supervacaneum est proferre omnes. Lege praecipue aureum *Salviani* librum *De providentia*, et *Theodoretum* de eodem argumento (*b*).

Prob. III. *ratione.* Quicunque intellectu, et voluntate agit, utique agit propter finem, quem primo elegit, et ad quem omnia opera sua dirigit. Atqui Deus intellectu, et voluntate cuncta creavit, et conservat. Ergo ea suum ad finem dirigit. Sed haec directio providentia est. Ergo etc. Tam perspicua est haec veritas, ut ipsis innotuerit Gentilibus Philosophis, imo totius humani generis consensione fir-

 ma-

(a) Hoc est, si videtur Deo indecorum minima curare.

(b) Lectu digna est Editio *Salviani* cum notis *Baluzii*, Paris: an. 1669. quae recusa fuit Bremae anno 1688. cum notis *Rittershusii*, *Veitzii*, *Adami*, etc. Add. Tertullianus *Lib. II. cont. Marc. cap.* 24. Origenes *Lib. VI. cont. Cels.* Nazianzenus *Orat.* 1. *cont. Jul.* Nyssenus *Orat. De iis qui rapiuntur immatura morte*, et alii innumeri. Testimonia veterum Philosophorum vide apud Huetium *in Alnetanis*, et Petavium *Lib. VIII.*

mata sit. Unde inquit Clemens Alex. *Lib. VI. Strom. Constat jam, supplicium magis, quam confutationem mereri illum omnem, qui providentiam esse non putat, et revera esse atheum.*

Prob. 2a. *pars.* I. ex Scriptura *Luc. XII. 6. Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed et capilli capitis vestri, omnes numerati sunt: nolite timere etc.* Et ibidem volatilia caeli; lilia, et foenum agri divina providentia regi, dicitur. Vide etiam *Matth. VI.* et Psalm. CIII. ubi David Deum exhibet, ut Patrem familias, a quo vel minima animantia petunt, et expectant escam in tempore opportuno: *Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate* etc.

Prob. II. ratione, quam paulo ante explicavimus. Si enim vel minutissimas quasque universi partes Deus creavit, et servat, utique certum ad finem dirigit, quae directio providentia est.

Prob. 3a. *pars.* Directio rerum in finem est ex voluntate Dei consequente; qui enim aliquid in finem dirigit, illud utique cum omnibus circumstantiis respicit. Sed voluntas Dei consequens semper impletur, ut supra ostendimus. Ergo et providentia. Hinc merito Ecclesia: *Deus*, inquit, *cujus providentia in sui dispositione non fallitur.* Ergo.

Solvuntur Objectiones (a).

Objic. I. Quidquid in natura videmus accidere, oritur utique ex certis, aeternis, et immutabilibus naturae legibus, ut Physici demonstrant. Vicissitudines anni tempestatum, dierum, et noctium inaequalitas, pluviae, venti, tonitrua, terraemotus, plantarum, atque animalium ortus, vita, et interitus, et cetera omnia naturae miracula ex caussis naturalibus

(a) Mira est *P. Baelii* stoliditas, qui in *Diction. Hist. Crit.* variis in locis asserit, argumenta Epicureorum contra Dei providentiam non posse solius rationis lumine dissolvi.

libus tam necessario eduntur; ut portentum esset si non evenirent. Hinc Patres docent, Deum administrare media per suprema, et infima per media. Ergo vel in Deo non est providentia, et cuncta naturae legibus permisit, vel saltem est in eo generalis quaedam providentia, quae ad minima non extenditur.

℞. *Dist. ant.* Fiunt haec ex naturae legibus, Deo tamen cum caussis secundis ἀμέσως *immediate* concurrente, et agente, *conc.* Secus, *neg.* Caussae enim naturales nihil agere possent, nisi conservante, et concurrente, seu simul operante Deo, qui earum vim aliquando impedit, imo contra earum virtutem miracula edit, sicut accidit cum sol, jubente Josue, stetit *Jos. X.* 13. et umbra ejus decem lineis regressa est in horologio Achaz *IV. Reg. XX.* 11. Mare rubrum, et Jordanis iter praebuit Filiis Israel, et cet. Hinc Deus in Scripturis saepe filiis Israel denunciat, se pro eorum merito vel pluvias, et frugum abundantiam, vel siccitatem, et sterilitatem daturum *Levit. XXVI.* Plena est omnis Scriptura exemplorum, quibus constat, effectus etiam caussarum naturalium a Deo regi, et certum ad finem ordinari, ita ut nulla cadat pluviae gutta, nisi certo Dei consilio; ideoque Christus ait *Joan. V.* 17. *Pater meus usque modo operatur*, hoc est licet die septimo requieverit ab omni opere creationis, non cessat tamen singulis momentis operari in creaturis, illas movendo ad effectus suos producendos juxta leges naturae, aliquando etiam praeter leges.

Inst. 1.° Indecorum est, majestatem Dei ad minima, et abjectissima quaeque deducere, sicut indecorum esset Regi, si vilissima officia per seipse et non per ministros obire vellet. Unde Hieronymus *in Cap. I. Habacuc*: *Absurdum est*, inquit, *ad hoc deducere majestatem, ut sciat quot per singula momenta nascantur culices, quotve moriantur.* Ergo.

℞. *Neg. ant. et parit.* Ut enim supra arguebat Ambrosius, si non fuit divinae majestati indecorum creare minima ista, et quae nobis videntur abjectissima (talia enim non sunt in conspectu Dei, sed mirifice

fice conspirant ad complementum, et ornatum Universi); multò minus indecorum est regere: imo valde indecorum esset creasse, et non ea dirigere ad finem suum. Exemplum autem ex Rege deductum valde dispar est a proposito, ut observat S. Thomas *I. P. Q. XXII. art. 3. ad 3.* homo enim cum non possit simul curare omnia, si velit minimis se immiscere, necesse est ut majora negligat, ex quarum neglectu omnia pessum ibunt. At non eadem est ratio de mente infinita. *Qui enim omnia administrando implet, regit implendo, nec universis deest, cum disponit unum, nec uni deest, cum disponit universos*; inquit *Gregorius Lib. XXV. Moral. Cap. 13.* Denique *Hieronymus*, cujus verba fatemur cum *Petavio* esse duriora, et melius ab eo concipi potuisse; benigne interpretandus est; ut velit, non eandem curam esse Deo hominum, et viliorum animalium. *Non simus*, inquit *loc. cit. tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes.* Quod si verba ejus aliquanto duriora nimis urgere velis, erit non veritas, sed ipse *Hieronymus* ea, qua par est, reverentia deserendus.

Inst. 2.° Sunt nonnulla in universo supervacanea, atque inutilia; quid enim deesset *ex. gr.* de ejus perfectione, si una minus nasceretur musca, aut vilius animalculum? sunt etiam multa noxia, et inordinata, quae se se invicem destruunt; ac proinde inutilia, imo contraria fini, quem in eorum creatione spectare debuisset Deus. Ergo ad ea non pertingit Dei providentia.

℞. *Neg. ant.* Ideo enim supervacanea quaedam videntur imperitis, quia non comprehendunt totius universi structuram, et relationem, quam singulae particulae habent ad totum. *Cum ista dicunt*, inquit Augustinus *Lib. I. de Gen. ad lit. cap. 16. non intelligunt quemadmodum omnia pulchra sunt conditori, et artifici suo, qui omnibus utitur ad gubernationem universitatis, cui summa lege dominatur.* Quod si ingressi artificis cujusdam hominis officinam, non audemus

mus judicare supervacanea multa instrumenta, quorum usum nescimus, quanto minus id audebimus in operibus supremi, et sapientissimi artificis Dei? Certe si Physici vel unius animalculi corpusculum, aut folium arboris contemplantes, obstupescunt, et mirantur sapientiam conditoris, qui nihil in illis supervacaneum, aut inutile posuit, quanto minus erit aliquid inutile in toto universo, cum omnis artifex magis de toto, quam de partibus sit sollicitus! Ut una minus nasceretur musca, aut planta, deberent e medio tolli leges naturae, ex quibus tot, et non minus nasci debent: ablatis autem naturae legibus, totius universi machina, conquassata rueret. Quod quaedam se mutuo destruant, sapientissime factum est, ne nimis succrescendo toti Mundo crearent incommodum. Denique quod attinet ad noxia, iis justissime, et sapientissime utitur Deus vel in poenam, vel in remedium peccatorum.

Inst. 3°. *I. Cor. IX.* 9. ait Apostolus: *Numquid de bobus cura Deo est?* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Non est cura praecipua, *conc.* Non est cura ulla, *neg.* Vult ergo Apostolus, ea, quae jussit Deus *Deut. XXV.* 4. *non alligabis os bovi trituranti*, scripta esse praecipue ad instructionem nostram, ut sciamus, eum, qui in vinea Domini laborat, debere ali de fructibus. *Providentiam ceteris creaturis non negamus, curam sponsa vindicat sibi*, inquit Bernardus *Serm. LXVIII. in Cant. n.* 2.

Inst. 4°. Si iis, quae sunt in mundo noxia, uteretur Deus in poenam peccatorum, videremus hic impios obrui miseriis, bonis e contrario affluere justos. Atqui contrarium saepe videmus accidere. Ipse David suam hac de re admirationem non semel exponit in Psalmis. *Mei autem*, inquit Psal. LXXII. *pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns* etc. . . . *ecce ipsi peccatores, et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias* etc. *Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus, qui praevaricantur, et inique agunt?* inquit Jeremias *Cap. XII.* 1. Ergo sequitur, Deum istis inferioribus non providere.

℟. *Dist.*

℞. *Dist. maj.* et *min.* Aliquando, *conc.* Semper, *neg.* Etenim ne homines putarent, nullam esse Dei providentiam, aequum erat aliquando malis temporalibus hic opprimi scelestos; sed ne putarent homines, non esse alteram vitam, in qua Deus judicaret, et puniret impios, aequum etiam erat, ut eorum poena aliquando ad aliam vitam differretur, praesertim si aut essent in eis aliqua bona opera naturalia, quae Deus bonis temporalibus remunerari vellet, sicut ex *Augustino* remuneratus est Romanos, et obstetrices Ægyptias *Exod. I.* 21. aut vellet Deus justo judicio eos majoribus abundare bonis, quibus culpa sua deteriores effecti majorem sibi poenam in altera vita accumularent, quasi pecora, quae sinuntur errare per prata libere, ut pinguiora veniant ad lanium, ut idem Augustinus observat *in Psalm. LXXV.* Idem de bonis temporalibus dicas quoad justos. Etenim ne homines putarent, nullam esse providentiam, decebat, bonis temporalibus aliquando justos abundare: sed ne putarent, haec sola bona habere Deum, quae redderet piis, ipsique justi nimio affectu rerum terrenarum implicarentur, aut Deo propter ista servirent, decebat etiam, aliquando iis spoliari; praesertim si leviores haberent culpas; quae Deus tum egestate, tum aliis malis temporalibus vellet eluere, ipsosque ita reddere in caritate puriores: *quis enim filius, quem non corripit pater?* inquit Apostolus *Heb. XII.* 7. Et sicut pater aliquando per vilissimum famulum corripit filium; aut per virgam, quam mox in ignem projicit, sic Deus aliquando corripit justum per hominem impium, tamquam per virgam, quam mox confringet et in ignem conjiciet. Ideo nos non solum in *poenam*, sed *remedium* etiam peccatorum diximus, Deum uti malis temporalibus. Hac igitur ratione aliquando impii bonis affluunt, justi malis afflictantur, aliquando vero contra accidit. Semper tamen verum est, impios inter ipsa temporalia bona esse miseros, et justos inter ipsa mala felices; *nihil enim infelicius est felicitate peccantium, quia poenalis nutritur impunitas, et mala voluntas velut hostis interior roboratur,* inquit

inquit Augustinus *Epist CXXXVIII. ad Marcellin.* At contra *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, inquit Apostolus *Rom. VIII.* 28. Et *II. Cor. I.* 5. *Sicut abundant passiones Christi in nobis*; *ita et per Christum abundat consolatio nostra.* Verba autem illa Prophetarum dicta sunt ex persona hominum infirmorum, unde ipsi Prophetae illis infirmorum objectionibus respondent, ut patet ex contextu.

Inst. 5°. Videmus nonnulla casu evenire, ut si *ex. gr.* lapis e tecto sponte excisus, transeuntem hominem opprimat. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Casu accidunt, quoad nos, *conc.* In conspectu Dei, qui omnia praevidit, et ordinavit, *neg.* Nihil enim omnino accidit, *quod non de aula summi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur*; inquit Augustinus *Serm. LVIII. ap. Prosper.* Unde infert, fortunae nomen a Christianis usurpari non debere.

Objic. II. Si Dei providentia ad omnia pertingeret, non permitteret peccatum, quod omnino adversatur bonitati divinae. Atqui contrarium perpetua, et luctuosa probat experientia. Ergo.

℟. *Dist maj.* Sicut ad simile argumentum supra respondimus. Non permitteret peccatum, si non esset provisor generalis adeo sapiens, omnipotens, et bonus, ut sciret, et posset bona facere de ipsis malis, *conc.* Secus, *neg.* Vide quae ibi diximus.

Objic. III. *cont.* 3. *part.* Deus omnes rationabiles creaturas ad aeternam felicitatem ordinavit. Atqui non omnes eam assequuntur. Ergo providentia Dei aliquando in sui dispositione fallitur.

℟. *Dist. maj.* Ordinavit ad felicitatem omnes rationabiles creaturas, ita tamen, ut non eis adimeret liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes justissime judicentur, *conc.* Secus, *neg.* Deus ergo ordinavit quidem rationales creaturas ad gloriam, sed eodem decreto statuit, ut si quae per liberum arbitrium eligeret contrarium, non gloria, sed supplicio afficiatur; atque ideo ejus providentia erga creaturas rationales semper finem suum assequitur; qui finis non alius utique est, nisi manifestatio suae gloriae vel per praemium justorum; vel poenam im-

impiorum. Tunc autem providentia falleretur, si impii, nolentes uti misericordia Dei, possent effugere judicium, quod fieri non potest. *Si quis enim dicit: volo ut omnes servi mei laborent in vinea, et post laborem requiescentes epulentur, ita ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat; videtur quidem quicumque contemserit contra voluntatem domini sui facere, sed tunc eam vincet, si pistrinum contemnens effugerit, quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate . . . . voluntas Dei semper invicta est:* verba sunt Augustini *Lib. de Spirit. et lit. c. 33.*

Corollaria.

I. Si nomen fati intelligatur in sensu Stoicorum pro ferrea quadam, et ineluctabili vi, orta ex siderum situ, atque influxu, patet, fatum nihil esse: *absit a fidelium cordibus, ut fatum esse aliquid dicant,* inquit Gregorius M. *Homil. X. in Evang.* Si vero usurpetur pro ipsa providentia; non falso diceretur, cuncta subjecta esse fato, sed abstinendum esse ab eo nomine, monet Augustinus *Lib. V. de Civ. cap. 1.* Quia *id homines quando audiunt, usitata loquendi consuetudine non intelligunt, nisi vim positionis siderum, qualis est quando quis nascitur, vel concipitur.*

II. Providentia necessitatem non imponit caussis liberis, quia ita earum actus ordinavit, ut quidquid eligerent, providentia finem suum assequatur.

III. Quidquid in historia rerum humanarum narratur, dici quodammodo posset historia providentiae Dei, qui omnibus usus est prout voluit, ad finem suum, cui illi nescientes serviebant, dum ambitioni, et superbiae suae servire arbitrabantur. Sic victoriae Assyriorum serviebant divinae providentiae ad puniendos Israelitas, et alios Palaestinae incolas, unde Deus ipse ait, *Nabuchodonosor* sibi servisse in obsidione Tyri, quamvis ille solam dominandi cupiditatem explere vellet. Sic victoriis Romanorum usus est Deus, ut tot populos unius imperio subderet, ex quo facilior extitit per universum orbem dilatatio Christianae religionis.

IV.

IV. Quoniam Deus per sapientiam, ac scientiam suam, quae ut supra diximus, causa rerum est, cuncta creavit, et mirabili providentia administrat; profecto si res omnes non more pecudum inspiciamus, infinitam in ipsis relucentem Dei scientiam, et paternam providentiam mirabimur. Cui considerationi, atque contemplationi naturae, si a dsuescere incipiamus, occurrentem nobis ubique Deum videbimus, quocumque oculos conjiciamus; ut dicere possimus: *Auditu auris audivi te; nunc autem oculus meus videt te Job. XLII.* 5.

V. Quoniam Dei providentia ad omnia etiam minima extenditur, si quid nobis aliquando accidat adversi, id nonnisi ex voluntate Dei, Patris nostri, accidisse scientes; agamus ei gratias, et humiliemur sub potenti manu ejus, sicut S. Job dixit, Dominum abstulisse quod latrones Chaldaei rapuerant; et nomini ipsius benedixit. Si quod vero impendens malum timeamus, non tam creaturas, quam ipsum timeamus Deum. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus* Matth. X. 28. *Et quis vobis noceat si boni aemulatores fueritis?* I. Pet. III. 13. *Fera saevit? Deum time*, inquit Augustinus *Enar.* in Psal. XXXII. *homo te odit? Deum time: Diabolus te impugnat? Deum time: tota enim creatura sub illo est, quem juberis timere.* Atque hujus quidem corollarii doctrina, si penitus animo nobis insederit, erit hic totius hujusce Tractatus, imo et Theologiae universae fructus uberrimus.

Finis Libri III.

INDEX CAPITUM.

§. III.

In pag. II. pro mutilantur leg. mutilentur: item pag. IV. pro persuadam leg. persuadeam: pag. 13. pro riduculus leg. ridiculus: pag. 23. pro pateat leg. patet: pag. 25. pro Deos leg. Deus: pag. 26. pro plautu leg. plausu: ib. pro Pilato leg. Plato: pag. 28. pro si leg. ei: pag. 44. pro remanent leg. remaneant: pag. 59. pro Ipse leg. Ipsae: pag. 60 pro XVIII. S. leg. XVIII. 8: pag. 99. pro traditione leg. traditiones. pag. 103 pro quandod leg. quando id: pag. 108 pro aliisque nonnisi leg. aliisque, qui nonnisi: pag. 229. pro te leg. et: pag. 235. pro quaerela leg. querela: pag. 284 pro juri divino leg. jure divino: pag. 301. pro ludibro leg. ludibrio: pag. 302 pro Alex. V. et VIII. Pius leg. Alex. VIII. et Pius: pag. 317 pro Quae in re leg. Qua in re: pag. 345. pro evomissent leg. evomuissent pag. 365 pro in eccerat leg. infecerat: pag. 407 pro cum ipsis leg: cum ipsi: pag. 544. pro absoluta leg. absolute: pag. 559. pro justitiam leg. justitia. Cetera levioris momenti libenter omittimus.

A. S. E.

IL CARDINALE ARCIVESCOVO DI NAPOLI

PRESIDENTE DELLA GIUNTA PERMANENTE DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE.

Gennaro Reale Pubblico stampatore di questa fedelissima Città umilmente espone che desidera ristampare un' opera intitolata *Institutiones Theologicae* per uso della gioventù divisa in 6. tomi dell' Autore D. Gaetano de Fulgore, perciò prega l' Eminenza Sua di accordarli un revisore, e l' avrà ut Deus.

Addì 15 *Gennaro* 1822.

Per disposizione di Sua Eminenza, il Regio Revisore Signor Canonico Lavitrano avrà la compiacenza di rivedere la soprascritta opera, ed osservare se vi sia cosa contro la Religione, ed i dritti della Sovranità, col farne rapporto in iscritto alla Giunta.

Il membro della Giunta Deputato

FERDINANDO CANONICO PANICO

Napoli 4 Febbrajo 1822

La Giunta permanente per la Pubblica Istruzione.

Veduta la domanda di Gennaro Reale Pubblico Stampatore per dare alle stampe l' opera intitolata *Institutiones Theologicae.*

Veduto il parere del Regio Revisore Signor Canonico Lavitrano; permette che la indicata opera si stampi, ma ordina che non si pubblichi se prima lo stesso Regio Revisore non attesti di aver nel confronto riconosciuta la impressione uniforme all' Originale approvato, e non sia eseguita la consegna ad essa Giunta delle sedici copie ordinate dal Real Decreto de' 24 Dicembre 1817.

Il Presidente = firmato

L. CARDINALE ARCIVESCOVO

Il Segretario Generale, e Membro della Giunta = firmato

ANGELO ANTONIO SCOTTI

Neapoli die 25 *Januarii anni* 1822

Institutiones theologicae a viro doctissimo Cajetano de Fulgure Canonico Aversano conscriptae et, jam a prima editione mihi notae, et probatae, dignissimae sunt, quae novis typis evulgentur. Tanta enim aviditate ab adolescentibus clero adscriptis exoptantur, ut Exemplaria, quae adhuc supersunt, eorum votis, sufficere non possint. Accedit doctorum hominum judicium, qui has Institutiones commendant, quum contineant sanam, et Catholicam doctrinam, accuratam theologicae scientiae discussionem, selectam propositionum seriem, quae aut ipsam Catholicam Fidem, aut in rebus non definitis saniores, probatiores, graviores sententias complectuntur. Nihil in iis extat, quod regulis morum, aut regni tranquillitati adversetur. Mihi igitur gratulor, quod expectationem publicam, quam in ipso hujus operis ortu aliquo modo familiari epistola praeoccupavi, publico judicio confirmatam viderim. Teque, Eminentissime, et Reverendissme Praesul, exoro, ut novae huic editioni libenter assentiaris.

Humillimus, addictissimus famulus

CANONICUS JOACHIM LAVITRANO



23 Nov.e 1835
Mancano i fogli da 375 a 392.

164
a
13

